BIBLIOTHECA S. J.
Maison Saint-Augustin
ENGHIEN

E. 493/5

Digitized by Google

Hommage affectueux

J. Corluy S. J.

COMMENTARIUS

IN EVANGELIUM

S. JOANNIS

Digitized by Google

Praestita sunt quae lege civili praescribuntur ut sua jura integra serventur auctori

Digitized by Google

Josephi CORLUY, S. J.

IN COLLEGIO LOVANIENSI SOCIETATIS JESU S. SCRIPTURAE PROFESSORIS

COMMENTARIUS

IN EVANGELIUM

S. JOANNIS

IN USUM PRAELECTIONUM

EDITIO TERTIA

GANDAVI

EXCUDEBAT C. POELMAN, TYPOGRAPHUS ILL^{mi} EPISCOPI

1889

Digitized by Google

Digitized by Google

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

Ego LEOPOLDUS DELVAUX, Praepositus Provincialis Societatis Jesu in Belgio, potestate ad hoc mihi facta ab Admodum Reverendo Patre ANTONIO ANDERLEDY ejusdem Societatis Praeposito Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus **Commentarius in Evangelium S. Joannis,** a P. JOSEPHO CORLUY S. J. conscriptum, et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo meo munitas dedi.

Bruxellis, die 1 Octobris 1889.

L. DELVAUX, S. J.

L. S. *Praep. Prov. Belg.*

LICENTIA ORDINARII

Commentarium R. Patris CORLUY S. J. **in S. Joannem,** mandato nostro examinatum, libenter approbamus, vel eo magis quod praecipua illius loca, in mediis occupationibus, legentes. cum animi voluptate sanam docti interpretis eruditionem recognoverimus.

Gandae, 3 Julii 1878.

† HENRIC. *Episcop. Gandaven.*

Denuo imprimatur.

Gandae, 25 Octobris 1889.

L. J. VANDENHENDE, *Vic. Cap.*

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO

Cum anno 1878 primum typis edidimus hunc Commentarium, sequentia duximus praenotanda, quae et huic tertiae editioni conveniunt :

« *Publici juris facimus librum studio magis quam lectioni destinatum. Commentarium enim hunc fere sub ea forma, qua eum dudum auditoribus nostris autographice exaratum proposuimus, placuit Moderatoribus in aliorum etiam utilitatem typis vulgari.*

In illo igitur res tractandas ita adornavimus, ut et praeceptori spatium addendis explanationibus relinqueretur et auditoribus ea quae indicata potius quam evoluta invenirent proprio labore penitius indagandi necessitas incumberet.

Hinc est etiam quod formam adoptavimus stricte didacticam, in qua, dicendi abundantia prorsus neglecta, concinnitati maxime servire voluimus, ut quod elegantiae detraheretur accederet claritati. Docet enim experientia, libentius nos et facilius ad res dubias elucidandas eos libros adhibere in quibus ea quae ad quaestiones solvendas juvent plene quidem sed et compendiose exponantur.

Reperiet praeterea studiosus lector multas quaestiones, eruditorum controversiis agitatas, ita a nobis tractari, ut variarum opinionum argumenta et difficultates quasi in synoptica tabula proponantur. Hanc nimirum premendam perpetuo viam

Digitized by Google

duximus, ut non solum quid sentiat auctor, lector discat; sed ut tales quaestiones integre habeat perspectas, illi opinioni pro se quisque adhaesurus quae sibi magis probari videatur. Sunt enim humana ingenia ita attemperata, ut aliis alia argumenta magis vel minus arrideant. » *Non latet nos huic methodo sua inesse incommoda, quibus tamen commoda praevalere existimamus.*

« *Ultimum istud monendum habemus. Cum in Societate Jesu juvenum nostrorum profundiora studia praecipue circa res dogmaticas occupentur, in commentationibus hisce nostris rerum exponendarum momentum dogmaticum perpetuo prae oculis habuimus. Ideo multoties expositionem litterae evangelicae excipit quod vocamus* Scholion dogmaticum, *in quo breviter indicamus quid pro dogmate catholico ex praemisso evangelii textu depromi valeat. Huc etiam faciunt SS. Patrum textus non pauci commentario inserti, qui et contionatoribus utiles esse possint.* »

In hac editione placuit textum Vulgatae editionis ad amussim, etiam quoad scribendi et interpungendi rationem, conformare ad editionem vercellonianam anni 1861, quam constat editioni authenticae Clementis VIII in omnibus consonare.

Faxit Deus ut, quod unum optamus, haec opella nostra aliquid ad Ipsius gloriam, sacrarumque litterarum studium promovendum conferat!

Scribebam Lovanii, die festo Septem Dolorum B. M. V., vicesimo secundo septembris anni millesimi octingentesimi octogesimi noni.

AUCTOR.

Digitized by Google

INDEX RERUM

PROLEGOMENA

COMMENTARIUS

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PROLEGOMENA

I. De authentia quarti evangelii

Constans est Ecclesiae traditio S. Joannem apostolum esse auctorem quarti evangelii. Id quidem saeculo II negarunt Alogi (Epiphan., Haer. 51, 3), opus apostoli Cerintho inepte adscribentes; at solis rationibus dogmaticis in ea re ducebantur. Saeculis autem XVIII et XIX plures rationalistae quartum evangelium Joanni abjudicarunt. Inter eos agmen fere ducit Bretschneider (1).

Tres circumferuntur de ea re rationalistarum opiniones.

1. Quartum evangelium est Joannis quoad substantiam, licet ab ejus discipulis retractatum. Res gestae in eo narratae directae sunt de Jesu traditiones; sermones tantum exprimunt modum quo auctor conceptus Jesu sibi fingebat (Ewald, Lücke, Weisse, Reuss).

2. Quartum evangelium non est Joannis, sed ei tributum ab aliquo ejus discipulo, circa annum 100. Sermones fere toti fictitii sunt; sed narrationes continent traditiones partim ad ipsum Joannem pertingentes (Weizsäcker, Renan).

3. Quartum evangelium nullatenus est Joannis. Nec sermones nec narrationes sunt historica. Opus est allegoricum, anno fere 150 ortum, in quo auctor conatus est non referre Christi vitam,

(1) In opere : ***Probabilia de evangelii et epistolarum Joannis apostoli indole et origine.*** Lipsiae, 1820.

Digitized by Google

sed ideam inculcare quam ipse de Christo conceperat (Baur, Volkmar, Hilgenfeld, Réville).

Contra quos probatur authentia,

A) **Argumentis externis.**

1° Apud *Patres apostolicos* indicia quaedam prostant quibus putandi sint evangelium quartum cognovisse.

Barnabas (c. 5, 10) : « Si enim non *venisset in carne*, quo» modo homines fuissent servati? » Cf. 1 Jo. 4, 2; 2 Jo. 7 et Jo. 1, 14. — c. 12. dicit Moysen fecisse *serpentem typum Jesu*, quod et Jo. 3, 14 reperitur.

Clemens Rom. (Epist. I de Virginitate (1) c. 6) : « *Joannes* » quoque, *is qui super pectus Domini nostri recubuit*, *quem* » *Dominus valde diligebat.* » Cf. Jo. 21, 20 : *Conversus Petrus vidit illum discipulum*, *quem diligebat Iesus*, *sequentem*, *qui et recubuit in coena super pectus eius.* — Ibid. c. 8 : « *Quod nasci*» *tur ex carne*, *carnale est : et qui de terra est*, *de terra loqui*» *tur.* » Cf. Jo, 3, 6. 31 : *Quod natum est ex carne*, *caro est ... Qui est de terra*, *de terra est*, *et de terra loquitur.* — Ibid. c. 13 : « Itaque precemur Dominum messis ut emittat operarios » in messem suam ... operarios *qui operentur non hunc cibum* » *qui periturus est*, *verum cibum illum qui permaneat in* » *vitam aeternam.* » Cf. Jo. 6, 27 : *Operamini non cibum qui perit*, *sed qui permanet in vitam aeternam.* — Et (Epist. II, c. 15) de Samaritana : « *Disciputi ejus advenerunt ... et mirati sunt* » *quod cum muliere esset et loqueretur Jesus.* » Et de Mag» dalena : « *Ipse autem dixit illi : Noli me tangere : nondum* » *enim ascendi ad Patrem meum.* » Cf. Jo. 4, 27; 20, 17. — Et » c. 16 : « *Quicumque ex Deo non est*, *non audit nos.* »

(1) Binas epistolas de Virginitate syriacas, quae S. Clementi Romano tribuuntur, edidit et nova latina versione donavit cl. J. Th. Beelen, earumque authentiam haud spernendis argumentis vindicavit. *Sancti Patris nostri Clementis Romani epistolae binae de Virginitate*, Prolegom. Sect. II, p. XXI-LXXXIX.

Digitized by Google

Cf. 1 Jo. 4, 6 et Jo. 8, 47 : *Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

Hermas (Pastor, Similit. 9, 12) : « *Porta* Filius Dei est, qui » solus est accessus ad Deum. Aliter ergo *nemo intrabit ad eum* » *nisi per Filium ejus.* » Cf. Jo. 10, 7. 9 et 14, 6 : *Ego sum ostium, ... nemo venit ad Patrem, nisi per me.*

Ignatius Martyr (Ad Philad., 7) : « Spiritus non seducitur » cum sit a Deo. *Novit enim unde veniat et quo vadat* et » secreta coarguit. » οἶδεν γὰρ πόθεν ἔρχεται καὶ ποῦ ὑπάγει. Cf. Jo. 3, 8 : οὐκ οἶδας πόθεν ἔρχεται καὶ ποῦ ὑπάγει. — Ad Rom., 8 : « *Panem Dei volo, quae est caro Jesu Christi ... et potum volo* » *sanguinem ejus.* » Cf. Jo. 6, 33. 56.

Epistola ad Diognetum frequenter Christum vocat τὸν λόγον.

N. B. Patres apostolici non solent nominare auctores sacros quorum proferunt testimonia. Hinc nil mirum quod et Joannis nomen in locis allatis tacent.

2° Apud *Patres saeculi II.*

Justinus Martyr. (Apol. I, 61) : « In nomine enim Patris » universorum et Domini Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi » et Spiritus sancti id quod in aqua est tunc sibi lavacrum effi- » ciunt. Nam Christus dixit : *Nisi renascamini, non intrabitis* » *in regnum caelorum. Quod autem impossibile sit in ventres* » *matrum eos qui semel nati sunt introire,* manifestum omni » bus est. » ἂν μὴ ἀναγεννηθῆτε, οὐ μὴ εἰσελθῆτε εἰς τὴν βασίλειαν τῶν οὐρανῶν· ὅτι δὲ καὶ ἀδύνατον εἰς τὰς μήτρας τῶν τεκουσῶν τοὺς ἅπαξ γεννωμένους ἐμβῆναι, φανερὸν πᾶσίν ἐστι. Haec procul dubio desumpsit ex Jo. 3, 3. 4 : *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei ... numquid potest (homo) in ventrem matris suae iterato introire?* — Vide etiam Apol. I, 16, ubi alludit ad Jo. 1, 13. — (Tryph. 88) : « Homines ipsum (Joannem Bapti- » stam) Christum esse suspicati sunt. Apud quos ille *clamavit :* » *Non sum Christus, sed vox clamantis : veniet fortior me...* » Quae sane desumpsit, non e Synopticis, sed e Joanne, apud quem

Digitized by Google

solum inducitur Baptista de se dicens : « *Ego vox clamantis...* » Cf. Jo. 1, 20. 23; Matth. 3, 3 et Marc. 1, 1. — Apol. I, 52 commentatur Zach. 12, 10-12 et inter alia scribit : καί τοτε ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, Joannem secutus dicentem : ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, non vero Zachariam ita habentem apud 70 : καὶ ἐπιβλέψονται πρός με ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο (1).

Tatianus, Justini auditor (Oratio adv. Graecos, n. 13) : « Et » hoc est ergo quod dictum est : *Tenebrae lucem non compre-* » *hendunt .... Verbum quidem est lux Dei.* » ἡ σκοτία τὸ φῶς οὐ καταλαμβάνει ... ὁ λόγος μέν ἐστι τὸ τοῦ θεοῦ φῶς. Cf. Jo. 1, 5. 9 : *tenebrae eam non comprehenderunt ... Erat lux vera.* — Scripsit ille auctor librum de concordia quattuor evangeliorum, cui nomen posuit Diatessaron.

Theophilus Antiochenus (Ad Autolycum, 2, 22) : « Haec nos » docent sacrae Litterae et omnes sancto Spiritu afflati, quorum » de numero *Joannes* dicit : *In principio erat Verbum, et* » *Verbum erat apud Deum.* » Cf. Jo. 1, 1.

Ignoti auctoris ***fragmentum Muratorii,*** saeculi II : « Quarti » evangeliorum Joannes ex decipulis. » Testimonium est ecclesiae romanae.

Epistola ecclesiae Viennensis (apud Euseb., H. E. 5, 1), citat Jo. 16, 2, tacito nomine.

Apollinaris, episcopus hierapolitanus (apud Migne., P. G. t. 5, c. 1298) : « Decima quarta veri Paschatis Domini magnum sa- » crificium, pro agno Dei Filius, qui .... in sacro latere percussus » est, qui ex latere suo duo fudit purgatoria, aquam et sangui- » nem. » Cf. Jo. 19, 34 : *unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua.*

Irenaeus, qui in Galliam ex Asia venerat, discipulus Polycarpi, qui et ipse discipulus S. Joannis fuerat et obiit anno 202 (Haer. 3, 1, 1) : « Postea et Joannes discipulus Domini, qui et supra

(1) Vide Cornely, *Introd. in lib. N. T.*, p. 222.

Digitized by Google

» pectus ejus recumbebat, et ipse edidit evangelium Ephesi Asiae » commorans. » — Et (Haer. 2, 22, 5) : « Omnes seniores testan» tur qui in Asia apud Joannem discipulum Domini convene» runt, idipsum tradidisse eis Joannem (Christum vixisse annos » fere quinquaginta) (1). Permansit autem cum eis usque ad Tra» jani tempora (2). » — Et (Haer. 3, 11, 1) : « Sic incohavit in ea » quae est secundum evangelium doctrina : *In principio erat* » *Verbum* ... »

Hujus Patris testimonium tanti est ponderis tantaeque claritatis, ut vel solum sufficeret ad authentiam quarti evangelii vindicandam.

3° Apud *Haereticos saeculi II.*

Valentiniani, teste Irenaeo (Haer. 3, 11, 7) : « eo quod est » secundum Joannem (evangelio) plenissime utentes. »

Addere hic placet testimonium libri gnostici cui titulus πίστις σοφία, ignoti auctoris et incertae aetatis, in quo undecim citationes vel evidentes allusiones ex evangelio S. Joannis reperiuntur, v. g. p. 8, Jo. 17, 14; p. 34, Jo. 15, 25; p. 51, Jo. 14, 3; p. 146, Jo. 12, 26; p. 233, Jo. 4, 10 etc. (3).

Ptolemaeus, Valentini discipulus (ap. Epiphan., Haer. 33, 3) : « Praeterea mundum a se fabricatum asserit, *et omnia per ipsum* » *facta, et sine ipso nihil esse factum.* Quibus verbis apostolus » (ὁ ἀπόστολος, Joannes utique) mendacissimorum hominum » minime solidam sapientiam refellit. » Cf. Jo. 1, 3.

Heracleon, alter Valentini discipulus (Migne, P. G. tom. 7, c. 1293) scripsit commentarium de evangelio Joannis, cujus fragmenta servavit nobis Origenes.

Theodotus, valentinianus et ipse (Ecloge, c. 9) : « Eliguntur » vero qui majore fide sunt praediti, ad quos ait : ... *Pater sancte,* » *sanctifica eos in nomine tuo.* » Cf. Jo. 17, 11. 17 : *Pater sancte,*

(1) Haec erat Irenaei singularis persuasio.
(2) Trajanus regnavit ab anno 98 ad 117.
(3) Editio Petermanni.

Digitized by Google

serva eos in nomine tuo. ... Sanctifica eos in veritate. — Alibi citat Jo. 6, 52; 8, 56; 1, 1.

Basilides (Philosophumena, 7, 22) : « Et hoc est, inquit, quod » dictum est in evangeliis : *Erat lux vera quae illuminat » omnem hominem venientem in mundum?* » — Et (ibid. 7, 27) : « Suum autem cuique rei esse tempus, inquit, idoneus testis » Salvator est cum dixit : *Nondum venit hora mea,....* » Cf. Jo. 1, 9; 2, 4.

Montanus ex evangelio Joannis conceptum *Paracleti* desumpsisse dicendus est.

4° Apud *Patres saeculi III.*

Clemens Alex. (apud Euseb., H. E. 6, 14) : « Joannes omnium » postremus .... ipse divino spiritu afflatus spirituale evange» lium .... conscripsit. »

Tertullianus (Adv. Marcion., 4, 2) : « Denique nobis fidem ex » apostolis Joannes et Matthaeus insinuant, ex apostolicis Lucas » et Marcus instaurant. »

Origenes (Comm. in Matth., apud Euseb., H. E. 6, 25), loquens de quattuor evangeliis quae sola absque contradictione in ea quae sub caelo est Ecclesia accipiuntur, pergit : « quoniam » primum quidem Matthaei .... super omnia autem illud quod est » secundum Joannem. » — Et (contra Celsum, 1, 67) inducit Celsum dicentem Christo : *Te provocaverunt in templo Judaei ut manifesto signo te Filium Dei declarares*, quod ethnicus ille philosophus procul dubio in Jo. 2, 18 legerat : *Responderunt ergo Iudaei, et dixerunt ei : Quod signum ostendis nobis quia haec facis?*

Recognitiones Clementinae (opus saec. III ineuntis, ab Origine Clementi Romano tributum) verba habent ex evangelio quarto desumpta, scilicet : lib. 2, 48, Jo. 5, 23; et lib. 6, 9, Jo. 3, 5.

Istius saeculi Patrum omnium sententiam refert Eusebius (H. E. 3, 25), ubi adnumerat evangelium Joannis libris ὁμολογουμένοις novi testamenti.

Digitized by Google

Conclusio. Ergo saeculo jam II reperimus quartum evangelium ubique terrarum in Ecclesia sine ullo contradictionis vestigio ut opus S. Joannis receptum et in usum universalem, etiam ab haereticis, deductum. Sed haec explicari nequeunt nisi fuerit scriptum saeculo I ab ipso Joanne. Nam cum Joannes usque ad finem saeculi I superstes fuerit, et certe discipuli ejus saeculo II plures viverent, evangelium spurium sub Joannis nomine prodire et absque contradictione ubique recipi omnino non potuit.

B) **Argumentis internis.**

1° In quarto evangelio Joannes seipsum auctorem non obscure insinuat. Ita *a)* 1, 35 *duos* dicit cum Baptista fuisse ejusdem discipulos; versiculo 40 unum ex eis nominat, Andream, alterum tacet : *Erat autem Andreas, frater Simonis Petri, unus ex duobus, qui audierunt a Ioanne, et secuti fuerant eum.* — *b)* 13, 23 rursum tacet nomen illius discipuli qui in cena recubuit supra pectus Jesu. Sed et 21, 20. 24 traditur idem ille discipulus scripsisse narrationem evangelicam. *Joannem* autem in cena supra pectus Domini recubuisse tota antiquitas clamat. — *c)* 19, 35 seipsum auctor manifeste prodit ut testem oculatum; at 19, 26 novimus ibi adfuisse « discipulum quem diligebat Jesus », Joannem : *Cum vidisset ergo Iesus... discipulum stantem, quem diligebat .... Et qui vidit, testimonium perhibuit.* — *d)* 18, 15 et 20, 2. 3 apparet ille qui emphatice vocatur ὁ ἄλλος μαθητής socius Petri individuus et 13, 24 cum Petro familiari modo agens; at 21, 20 ejusdem Petri peculiaris socius exhibetur « discipulus quem diligebat Jesus », qui v. 24 haec scripsisse dicitur : *Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, et alius* (ὁ ἄλλος) *discipulus.... Venit ad Simonem Petrum, et ad alium* (τὸν ἄλλον) *discipulum, quem amabat Iesus. Exiit ergo Petrus, et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum.... Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui et recubuit in coena super pectus eius, et dixit : Domine, quis est qui tradet te? ... Hic est discipulus ille, qui ... scripsit haec.* Accedit

Digitized by Google

quod haec Petri et Joannis specialis familiaritatis societas etiam ab aliis sacris scriptoribus innuitur, ut Luc. 22, 8; Act. 3, 1; 4, 13. 19; 8, 14. Addi possunt Matth. 5, 37; 17, 1; 26, 37. — *e)* Pluribus in locis tam minuta refert ut nonnisi ei qui rebus gestis adfuerit potuerint innotescere; sed et dialogi Jesu non tam facile potuissent servari traditione orali, per quam auctor non apostolus eos accipere debuisset. — *f)* Praecursorem Domini semper vocat « Joannem », absque epitheto « Baptistae », quo eum Synoptici ab apostolo homonymo discernunt.

2° Tanta est concipiendi et scribendi similitudo inter quartum evangelium et epistolam primam Joannis, ut eumdem auctorem manifeste prodant (Vide de Wette : *Lehrbuch*, § 177 *a*). Hanc autem epistolam norunt Papias et Polycarpus discipuli S. Joannis, et ex ea citarunt. Cf. Euseb., H. E. 3, 39 : « Papias » testimoniis ex priore Joannis epistola ... desumptis utitur. » et Polycarp. ad Philipp., 7.

Est autem haec epistola indubiae authentiae. Quae nuper contra eam objecta fuere ipsi de Wette futilia apparent. Immo ideo a rationalistis rejicitur, quia epistolae et quarti evangelii nequit non idem auctor admitti (Vide Réville, in periodico *Revue des Deux Mondes*, tom. 63, p. 105).

3° Non minima etiam viget necessitudo inter quartum evangelium et Apocalypsim. At minus validum inde conficeretur argumentum ob contradictiones quas Apocalypsis auctoritas passa est, necnon ob discrimina non pauca quae inter duos illos libros vigere objiciuntur.

4° Evangelium quartum plura refert *minutatim* et *accurate* quae pertinent ad consuetudines Palaestinae proprias vel ad rempublicam romanam in Syria dominantem. Ergo scriptorem prodit non asianum origine, sed judaeum qui in Palaestina vixerit. Ita 2, 6 : *Erant autem ibi lapideae hydriae sex positae, secundum purificationem Iudaeorum;* 3, 29 : *amicus autem sponsi, qui stat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem*

Digitized by Google

sponsi; 4, 9 : *non enim coutuntur Iudaei Samaritanis*; 4, 20 : *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, ubi adorare oportet*; 4, 35 : *Nonne vos dicitis, quia adhuc quatuor menses sunt, et messis venit?* 5, 2 : *Est autem Ierosolymis Probatica piscina, quinque porticus habens*; 11, 18 : *Erat autem Bethania iuxta Ierosolymam, quasi stadiis quindecim*; 11, 44 : *Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis, et facies eius sudario erat ligata*; 11, 55 : *et ascenderunt multi Ierosolymam de regione ante pascha, ut sanctificarent seipsos*; 13, 26 : *et cum intinxisset panem, dedit Iudae Simonis Iscariotae*; 18, 3 : *Iudas ergo cum accepisset cohortem, et a pontificibus, et pharisaeis ministros*; 18, 12 : *Cohors ergo, et tribunus, et ministri Iudaeorum comprehenderunt Iesum*; 18, 13 : *Qui erat pontifex anni illius*; 18, 31 : *Nobis non licet interficere quemquam*; 19, 13 : *Sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, hebraice autem Gabbatha*; 19, 14 : *Erat autem parasceve Paschae*; 19, 19 : *Scripsit autem et titulum Pilatus, et posuit super crucem*; 19, 31 : *erat enim magnus dies ille sabbati*; 19, 40 : *Acceperunt ergo corpus Iesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudaeis sepelire.*

5° Stilus aramaizat; at graecitas purior est quam apud Synopticos, talis scilicet qualis congruit homini Hebraeo qui diu in Asia inter Graecos egerit.

Objicitur

(Praecipue a Bretschneider, Strauss, Baur, Schweizer, Lützelberger, etc.)

1° Ex silentio discipulorum S. Joannis. Polycarpus, Ignatius et Papias evangelium hoc ignorarunt. Ergo non habet Joannem auctorem.

R. Irenaeus illud novit et ut joanneum accepit. Debuit autem accipere a Polycarpo magistro suo. Ergo et Polycarpus illud noverit oportet. Ipsius Polycarpi unum dumtaxat superest scri-

Digitized by Google

ptum, epistola ad Philippenses. In ea quartum evangelium non commemorat; at id commemorare vel ex eo citare non debuit: agitur enim in illa epistola de depositione alicujus presbyteri Valentis et de exercitio virtutum christianarum. Potuisset quidem verbis Domini Jo. 13, 34. 35 commendare caritatem; at aequo jure potuisset ad eam virtutem exhortari ex epistola 1ª Joannis, quod tamen non facit, quamvis ex ea citet unam sententiam, 1 Jo. 4, 3.

Ignatius Joannem non nominat, at ex ejus evangelio citare merito creditur, ut supra ostendimus.

Papiae fragmenta tantum supersunt servata ab Eusebio (H. E. 3, 39). Inter alia de Papia testatur: κέχρηται δ'ὁ αὐτὸς μαρτυρίαις ἀπὸ τῆς Ἰωάννου προτέρας ἐπιστολῆς. Ergo et quartum evangelium noverit oportet Papias, quippe quod ab eodem ac epistola esse auctore ex tanta rerum et verborum similitudine convincitur. Papiam quarto evangelio usum esse non dicit quidem Eusebius; at nil mirum: nam talia apud antiquos notare non solet nisi quoad libros de quorum authentia dubitari tunc posset (1). — Accedit quod Papias opus suum τῶν λογίων κυριακῶν ἐξήγησιν potissimum ex traditione *ore* accepta composuisse videtur (Vide Euseb. l. c.).

Instant 1°. a) Irenaeus non nisi adulescens cum Polycarpo fuit; hinc seniorem potuit circa acceptam a Polycarpo evangelii Joannis notitiam memoria fallere, praebendo ipsi pro Joanne apostolo, *Joannem Presbyterum*, magistrum Papiae, ab eodem Papia vocatum τὸν τοῦ Κυρίου μαθητήν (Euseb., H. E. 3, 39). — Ceterum *b)* Irenaeum non ex historicis documentis evangelium aliquod Joannis novisse vel ex eo patet, quod eodem ad haereticos refellendos non utitur, sed traditione tantum eos convellit.

(1) In prologo veteris codicis *Reginae Sueciae* legitur Papias narrare evangelium Joannis ab hoc apostolo ipso fuisse datum ecclesiis. Vide Aberle, in *Tübinger Quartalschrift*, anno 1864, p. 1 sq. Sed ipse ille prologus dicit hoc reperiri in 5 libris Papiae *exotericis*, qui apocryphi sunt.

Digitized by Google

R. ad *a)* Irenaeus minutissima quaeque suae cum Polycarpo conversationis senex accurate commemorat, ut videre est in *Epistola ad Florinum*, apud Euseb., H. E. 5, 20 : ergo non potuit eum circa rem tantam memoria fallere. Constat praeterea nihil memoriam senioribus repraesentare fidelius quam quod adulescentes didicerint. Accedit quod ipsa ecclesia smyrnensis, in relatione de martyrio Polycarpi, hunc virum ἀποστολικὸν adeoque immediatum apostolorum discipulum vocat (ap. Euseb., H. E. 4, 15). — ad *b)* Haeretici quos aggrediebatur Irenaeus quattuor evangeliorum auctoritatem non recipiebant. Ergo frustra ex eis argumenta contra ipsos desumpsisset.

Instant 2°. Totam de Joannis in Asia commoratione et actione fabulam evertit indoles epistolarum Ignatii Antiocheni. « Ignatius enim, ... Smyrnae cum Polycarpo versatur et ad vicinas ecclesias epistolas scribit, sed et ad ipsum Polycarpum et ad ecclesiam romanam, ut ecclesias contra haereses judaizantium, docetarum, ... schismaticorum et contra inobedientiam praemoneat; meminit quidem Petri et Pauli in suis epistolis aliquibus, et saepe ex Pauli epistolis sententias allegat; ... at ne syllabam quidem profert de nuper Ephesi defuncto et in tota Asia celebratissimo apostolo Joanne... » (Lützelberger) (1).

R. Quamvis fatendum sit objectionem hanc non esse mere negativam, et talem esse epistolarum Ignatii indolem ut in eis provocatio aliqua ad S. Joannis auctoritatem exspectari possit, difficultas ex inexspectato Ignatii silentio non tamen ea est quae praevalere possit contra auctorum antiquorum plurium disertissima et a se mutuo independentia testimonia, Irenaei, Polycratis ephesini episcopi, Clementis Alex. et Origenis. Scilicet :

Irenaeus, uti supra, p. 4 et 5.

Polycrates, in epistola ad Victorem Papam (apud Euseb., H. E. 3, 31) : « Sed et Joannes, qui supra pectus Domini recubuit,

(1) *Die kirchliche Tradition über den Apostel Johannes*, p. 42-67.

Digitized by Google

» qui factus est sacerdos laminam gestans et martyr et doctor, » ipse Ephesi conditus jacet. »

Clemens Alex. (apud Euseb., H. E. 3, 23) : « Ausculta, inquit, » fabulam (μῦθον), immo non fabulam, sed verissimam historiam » de Joanne apostolo nobis traditam et memoria servatam. Cum » enim, post tyranni obitum, ex Patmo insula rediisset Ephe» sum... »

Origenes (apud Euseb., H. E. 3, 1) : « Et Thomas quidem, uti » traditio retulit, Parthiam sortitus est; ... Joannes Asiam, qui » apud eos (asianos) commoratus, Ephesi diem obiit. »

2° (Schola tubingana). Auctor quarti evangelii vir est liberaliter satis et spiritualiter de christiana doctrina sentiens; Joannes vero, ut in epistolis Pauli et in Actis apostolorum apparet, Judaeus est, litterae legis angustiis implicatus (Cf. Gal. 2, 2; Act. 15, 1-5).

R. Minime probatur judaizantes illos, de quibus Act. 15, 1-5, falsum suum zelum legis ab illis tribus apostolis, Jacobo, Cepha et Joanne (Gal. 2, 2) accepisse. Quinimo decretum concilii jerosolymitani (Act. 15, 7-29) contrarium probat. Sed et Gal. 2, 9 apparent hi tres cum Paulo, legis inimico ut volunt Tubingani, amice conversati fuisse : ***Et cum cognovissent gratiam, quae data est mihi, Iacobus, et Cephas, et Ioannes..., dexteras dederunt mihi, et Barnabae societatis.***

3° In controversia saeculo II agitata de die Paschatis, quartodecimani, tenentes Christum cenam ultimam egisse 14° Nisan, ut suam sententiam defenderent, duce Polycrate, provocabant ad traditionem apostolicam a S. Joanne acceptam. Sed quartum evangelium hujusmodi traditioni aperte contradicit, quippe quod cenam ultimam ponit 13° Nisan et crucifixioni Christi 14um Nisan assignat. Cf. Jo. 13, 1. 29; 18, 28; 19, 14. 31. Ita Hilgenfeld (1).

(1) *Einleitung in das Neue Testament.* Leipzig 1875. P. 711. 730 sq.

Digitized by Google

R. Nego suppositum. Joannem, cum Synopticis, cenam ultimam ponere 14° Nisan ostendetur in dissertatione praevia ad caput 13.

4° Jo. 19, 35 : *Et qui vidit testimonium perhibuit...* Qui modus scribendi de Joanne in tertia persona ostendit ipsum auctorem rebus gestis non adfuisse, sed a discipulo dilectionis accepisse quae tunc narraret.

R. Gratis asseritur. Ipse auctor optime potest ita de se loqui. Sollemne est historiae scriptoribus de se loqui in tertia persona. Ita et Moyses in Pentateucho, et Matthaeus in evangelio (Matth. 9, 9; 10, 3), et Julius Caesar in commentariis, etc.

5° Apostolus *testis oculatus* plura rerum adjuncta accuratius et magis minutatim exposuisset.

R. *a)* Evangelista τὸν ἄλλον μαθητήν non semper ut testem de visu inducit. — *b)* Plura omittit dedita opera quae ad scopum suum non faciunt.

6° Jesus, quem depinxit quartum evangelium, valde diversus est a Jesu in prioribus evangeliis depicto. ***Hic*** arte dialectica, ambiguitate artificiosa, stilo mystico in loquendo, docendo disputandove numquam utitur, sed summa potius simplicitate, perspicuitate et naturali quadam facundia; ***ille*** dialectice disputat, stilo mystico utitur, obscura profert etiam doctissimis fere impervia. — ***Hic*** maxime de moribus ordinandis agit; ***ille*** de dogmatibus, de rebus metaphysicis, de divina sua natura ac dignitate. — ***Hic*** se Messiam esse nusquam publice annuntiat, immo discipulis suis ne idipsum divulgent vetat; ***ille*** ubique Messias et esse vult et haberi etc. (Ita fere Bretschneider).

R. 1° Haec discrimina non tanta sunt quanta hic urgentur. Nam Matth. 22, 42 sq. legitur Jesus disputans cum pharisaeis : ***Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei : David. Ait illis : Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum?*** etc. Matth. 22, 24 sq. disserit cum sadducaeis de resurrectione mortuorum : ***Erratis, nescientes Scripturas, neque***

Digitized by Google

virtutem Dei. In resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur etc. Non minus quam apud Joannem inculcat suae personae dignitatem, Matth. 11, 25-30 : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* etc. Item Matth. 16, 15-17 : *Dicit illis Iesus : Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit : Tu es Christus, Filius Dei vivi...* Diserte se Christum pronuntiat Marc. 14, 61-62 : *Rursum summus sacerdos interrogabat eum, et dixit : Tu es Christus Filius Dei benedicti? Iesus autem dixit illi : Ego sum.* Doctrinam etiam mysticam proponit, Matth. 11, 28-29 : *Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos... Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris.* Item Luc. 9, 23-24 : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Vide etiam loca plurima ubi Deum dicit Patrem suum.

2° Discrimina explicantur ex diversitate *a) locorum* et *personarum.* Apud Synopticos Jesus fere semper agit in oppidis Galilaeae et cum turba populi rudi et inculta; apud Joannem Jerosolymis docet in templo et disputat cum legisperitis et primoribus Judaeorum. — *b) scopi* scriptorum. Synoptici magis videntur intendere ut Jesus appareat tamquam Dei legatus a prophetis promissus, pertransiens benefaciendo et docendo homines omnimodam morum rectitudinem; Joannes, grassantibus haereticorum erroribus, totus in eo est ut Jesu divinam naturam ejusque in animis supernaturalem influxum inculcet. — *c) indolis* scriptorum. Synoptici, homines ad actionem magis quam ad contemplationem inclinati, ea Christi effata potius observarunt et memoriae mandarunt et Ecclesiae communicanda duxerunt quae ad informandos mores conferrent; Joannes, qui recubuit in sinu Jesu, contemplationi rerum supernarum magis procul dubio addictus, sermones Christi dogmaticos ac mysticos

Digitized by Google

et attentius audierit, et majori cura mente memoriaque custodierit, et opportuno tempore ad salutem Ecclesiae in medium protulerit.

II. De vita S. Joannis

Joannes natus est Bethsaidae Galilaeae, ut apparet ex Marc. 1, 16-20, ubi leguntur a Jesu simul vocati quattuor. Eorum duo, Simon et Andreas, erant e Bethsaida (Jo. 1, 44); ergo et duo alii, Jacobus et Joannes inde fuisse credendi sunt. Patrem habuit Zebedaeum, matrem Salome (Matth. 4, 21; 27, 56; Marc. 15, 40; 16, 1). Haec legitur Jesu morienti adfuisse et sepultum ungere voluisse : unde et eum resuscitatum vidisse concluditur (Matth. 28, 9). — Piscator erat Joannes sicut et Zebedaeus pater ejus, non tamen conditione egenus, ut aliqui e Chrysostomo eruere voluerunt immerito. Nam : *a)* juxta Marc. 1, 20, Zebedaeus habebat mercenarios. — *b)* Salome Jesum in Galilaea praedicantem sequebatur, facultatibus suis eum sustentans (Matth. 27, 55. Cf. Luc. 8, 3). — *c)* Erat notus Pontifici ὁ ἄλλος μαθητής (Jo. 18, 15).

Videtur fuisse discipulus Joannis Baptistae, ut innuitur clare Jo. 1, 35-40, ubi alterum nominat, Andream, alterius nomen non alia de causa tacet quam quod nolebat seipsum nominare. Consonat traditio Patrum. — Juxta perpetuam Patrum traditionem virgo permansit. Ita, praeter Patres saeculi III, S. Clemens Rom. (Epistola I de Virginitate, c. 6), ubi haec habet : « Joannes quoque, is qui super pectus Domini nostri recubuit, quem Dominus valde diligebat, is quoque virgo fuit. » Sed et πίστις σοφία (p. 231) : « Maria Magdalena et Joannes παρθένος erunt praestantissimi inter meos μαθητὰς omnes. » Ipse et frater Jacobus a Domino vocati sunt Boanerges (בְּנֵי רֶגֶשׁ, *filii tonitrui*). Non improbabilis conjectura est, ita eos fuisse vocatos ob indolem contradictionis impatientem. Vide Luc. 9, 54 et Marc. 9, 37.

Digitized by Google

Praeter alia quae de eo in evangeliis referuntur nulli quaestioni obnoxia, post ascensionem Domini aliquamdiu Jerosolymis mansit, praedicavit et persecutionem passus est, ut constat ex Actis et epistola ad Galatas 2, 9. Post mortem Stephani neophytis samaritanis Spiritum sanctum dedit. Si fides est Nicephoro (Hist. Eccl. 2, 42), Jerosolymis commoratus est saltem usque ad obitum B. Virginis. Inde profectus Asiam minorem evangelizavit et post martyrium S. Pauli stabilem sedem Ephesi posuit. Ita Origenes, apud Euseb., H. E. 3, 1; Clem. Alex., apud Euseb., H. E. 3, 23; Irenaeus, Haer. 3, 1; Hieron., De vir. illust. 9. — Epheso sub Domitiano Romam deductus et in ferventis olei dolium missus, ex eo illaesus evasit et in insulam Patmos relegatus est. Id narrat Tertullianus (De Praescript., 36), et juxta eum S. Hieronymus (Adv. Jovin., 1, 14 et in Matth. 20, 33), allegans historias ecclesiasticas sui temporis. Cf. Apoc. 1, 9 : *fui in insula, quae appellatur Patmos, propter verbum Dei, et testimonium Iesu.* — Ineunte regno Nervae Joannes exilio liberatus rediit Ephesum ibique fere centenarius obiit sexagesimo octavo post passionem Domini anno, id est 101 (Hieron. l. c.).

Praeter evangelium scripsit Apocalypsim in insula Patmo, et canonicas epistolas tres. Harum prima ad evangelium respicit, ubi dicit : *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, ... et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae .... annunciamus vobis* (1 Jo. 1, 1-3). » Quae utique non in epistola illa, sed in evangelio suo Joannes annuntiat. Forte fuit haec epistola velut introductio exhortatoria ad evangelium, cujus cum apographis mitteretur ad ecclesias.

III. De tempore et loco

Testimoniis veterum docemur S. Joannem scripsisse evangelium post Apocalypsim, et quidem Ephesi. Scripsit itaque in ultima senectute et grassantibus jam haeresibus pluribus. Cf.

Digitized by Google

Euseb., H. E. 6, 14; 3, 24; Epiph., Haer. 51, 12 : μετὰ ἔτη ἐννενήκοντα τῆς ἑαυτοῦ ζωῆς, μετὰ τὴν αὐτοῦ ἀπὸ Πάτμου ἐπάνοδον. Iren., Haer. 3, 1, vide supra, p. 4 et 5 (1). — Aliqui putarunt Joannem scripsisse ante ruinam Jerusalem, quia dicit (Jo. 5, 2) : ***est autem Ierosolymis probatica piscina.*** Sed praeterquam quod lectio ἔστι non est omnino certa, poterat haec piscina ruinae urbis fuisse superstes. — Deinde retorqueo Jo. 18, 1; 19, 41; 11, 18. — In versione syriaca ponitur *erat* (ܐܝܬ ܗܘܐ).

IV. De scopo scribendi

Scopus scribendi triplex fuit. 1. Asserere Christi divinitatem veramque incarnationem et vitam supernaturalem nobis per fidem in ipsum consequendam. 2. Impugnare falsa gnosticorum dogmata. 3. Supplere nonnulla a prioribus evangelistis omissa, praecipue ex iis quae Christus duobus primis vitae publicae annis egerat.

Probatur. Jo. 20, 31 : ***Haec autem scripta sunt, ut credatis quia Iesus est Christus Filius Dei*** (ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ), ***et ut credentes, vitam habeatis in nomine eius.***

Irenaeus (Haer. 3, 11, 1) : « Joannes volens per evangelii » annuntiationem auferre eum qui a Cerintho inseminatus erat » hominibus errorem, et multo prius ab his qui dicuntur Nico- » laitae... sic incohavit evangelium... »

Hieronymus (Prol. in Matth.) : « Joannes cum esset in Asia, et » jam tunc haereticorum semina pullularent, Cerinthi et Ebionis » et ceterorum qui negant Christum in carne venisse,... coactus » est ab omnibus tunc paene Asiae episcopis et multarum eccle- » siarum legationibus de divinitate Salvatoris altius scribere. »

Clemens Alex. (ap. Euseb., H. E. 3, 24) : « Perlatis jam in » omnium ipsiusque adeo Joannis notitiam supradictis tribus

(1) Pseudo Hippolytus (De XII Apostolis) tradit evangelium S. Joannis scriptum fuisse in insula Patmo.

Digitized by Google

» evangeliis, approbasse ea Joannes et veritatem scriptorum suo » testimonio confirmasse dicitur : solam vero narrationem earum » rerum quas Christus circa praedicationis initium gesserat desi» derasse. » et (H. E. 6, 14) : « Joannem autem ultimum, cum » perspiceret corporalia (vitae Christi) in evangeliis exposita » fuisse, excitatum a familiaribus, Spiritu divinitus afflatum, » spirituale fecisse evangelium. »

De haereticis quos S. Joannes impugnat vide 1 Tim. 4, 1-11; Act. 20, 29; 1 Jo. 2, 18; Apoc. 2, 6. 15, ubi gnosticorum errores indigitantur.

Est ergo quartum evangelium opus multo magis dogmatico-didacticum quam historicum. Omnia ad primum praecipue supradictum scopum ab auctore magna sollicitudine diriguntur, ita ut ibi resideat vinculum internum quo liber non ut congeries quaedam rerum et sermonum, sed ut verum artificium uno consilio elaboratum appareat. Idipsum plurimis in decursu commentarii allatis exemplis manifestum fiet. Et ut jam quaedam in genere indicemus, ex scopo auctoris intellegitur cur vix aliquid referat de iis quae egit Jesus in Galilaea ubi tertio anno praecipue fuit; cur e miraculis Christi ea potissimum narret quae divinitatem clarius arguant; cur dicta Jesu dogmatica potius quam moralia exponat; cur parabolas non habeat, quae ad moralia pertinent praecipue, quamvis allegoria de bono pastore Jo. 10, 1 sq. parabolas imitetur. — Sic multae rationalistarum difficultates praeoccupantur.

V. De indole sermonum Jesu apud S. Joannem

1° Evangelium S. Joannis id proprium habet quod longiores Christi sermones ejus partem praecipuam constituant, quorum haec fere summa est, ut Christi duplicem in unitate personae naturam, vitaeque supernaturalis ex eo per fidem et dilectionem hauriendae necessitatem manifestent.

Digitized by Google

2° Magna evangelistae sollicitudo in servando ordine locorum et temporum minime sinit dubitare sermones illos iis in adjunctis rerum, locorum et personarum revera fuisse prolatos quibus in quarto evangelio vestiti exhibentur.

3° Sed quaeri ulterius potest utrum evangelista retulerit sermones Jesu iisdem omnino verbis quibus ex ore Magistri prodierint, an vero eorum generalem tantum sensum sive compendium tradiderit.

Respondendum videtur, in hac re distinguendum esse inter eas propositiones quae quasi capita doctrinae apparent et eas quae magis ad horum capitum evolutionem pertinent. Illas ad verbum referri admittendum putamus (v. g. 3, 3. 5; 4, 24; 5, 31; 6, 48. 52 etc.; 8, 12; 10, 30; 11, 25; 14, 6 etc.); horum vero compendiosam tantum relationem tradi ex sequentibus argumentis ostenditur : *a)* S. Joannes non potuisset tot ac tantos Magistri sermones, adeo praesertim inter se similes, per tot annos memoria retinere : ipsum autem ea colloquia, quando proferebantur, scripto consignasse a moribus apostolorum abhorret; neque memoriae defectum supplevisse quoad singula vocabula divinam inspirationem credi debet, cum communis sententia teneat inspirationem conceptus quidem sacris scriptoribus suppeditare, non vero semper singularia verba quibus conceptus enuntientur. — *b)* Apud Synopticos eadem Christi verba, iisdem in adjunctis semel prolata, aliter atque aliter referuntur (qualia sunt verba institutionis sanctae Eucharistiae). Ergo neque apud S. Joannem major est verbalis concordia requirenda. — *c)* Aliquorum sermonum adjuncta supponunt colloquia multo prolixiora quam quae evangelista exhibeat. Ita non est censendus Nicodemus nocte venisse ad Christum ut ab eo summas veritates doceretur, et abiisse post duo vel tria temporis momenta quibus potuerint enuntiari Jo. 3, 1-21. Idem dic de 7, 38. 39, ubi ipse evangelista insinuat se sermonis argumentum dumtaxat in medium proferre. — *d)* Ratio scribendi S. Joannis in ser-

Digitized by Google

monibus Jesu et in sua epistola prima adeo concordat, ut vel discipulus modum loquendi Magistri sui sibi omnino proprium fecerit, vel Magistri sermones suo proprio modo expresserit. Hoc alterum et in se est probabilius et confirmatur ex dicendi similitudine inter evangelistam et Joannem Baptistam iis in locis ubi Praecursor loquens inducitur. Cf. 3, 31-36 et 3, 11. 15. 18, etc. — *e)* In sermonibus prout ab evangelista referuntur nexus idearum aliquando adeo remissus est ut prodat in Christi verbis hiatum, a narratore non impletum. Ita v. g. 13, 20; 14, 12.

4° Si res praedicto modo concipitur, ilico ruit objectio rationalistarum : sermones illos adeo prolixos procul dubio esse confictos, quippe quos nulla hominis memoria potuisset per tot annos conservare. Eo enim modo quo diximus, optime potuerunt menti discipuli Christo addictissimi inhaerere capita sermonum et quaedam singularia eloquia Magistri, eo magis quod et juvenis ea audierat et procul dubio ordinaria multorum annorum praedicatione frequentarat. Accedit tamquam orthodoxis acceptissimum argumentum, menti apostoli praesens fuisse auxilium Spiritus veritatis ipsi in memoriam revocantis quae a Christo dicta audierat.

5° Nec minus falsa apparet objectio Tubingensium, auctorem quarti evangelii nobis non praebuisse gesta et dicta Christi tamquam historica, sed tamquam exprimentia ideam quam ipse de Christo concepisset. Nam *a)* huic hypothesi plane adversatur quod evangelista quaedam acta et dicta a Jesu narret quae asserat a discipulis, adeoque a se etiam, non fuisse, cum fierent, intellecta. Talia sunt 2, 19-22 : *cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat*; 11, 11-13 : *Dixerat autem Iesus de morte eius (Lazari) : illi autem putaverunt, quia de dormitione somni diceret*; 12, 16 : *Haec non cognoverunt discipuli eius primum : sed quando glorificatus est Iesus, tum recordati sunt, quia haec erant scripta de eo et haec fecerunt ei*; 13, 27-29 : *Hoc autem nemo scivit discumbentium ad*

Digitized by Google

quid dixerit ei (Iscariotae). — *b)* 19, 35 se et vidisse et secundum quod vidit testari instanter affirmat. Hinc desumitur solida ratio non supponendi apud eum intentionem in aliis sui evangelii locis ideas in facta transmutandi.

Fuit ergo evangelistae vera intentio referendi vel historica facta vel putida mendacia. Hoc in candido evangelista supponere mens sobria refugit; restat ergo ut alterum admittatur. — Vide Lücke, op. cit. t. I, p. 174-246, ubi auctor ille, licet rationalista, evangelii quarti intentionem historicam egregie defendit.

VI. De integritate evangelii S. Joannis

Contendunt patroni aliqui « sublimioris criticae » Germanorum quartum evangelium non esse manus unius fetum : conflatum vero ex libro quodam didactico, in quo sermones Christi tantum relati exstarent cuique postea ab alio auctore narratio rerum gestarum fuerit inserta.

Rationes. *a)* Sermones fere totum librum replent. — *b)* Tanta est sermonum similitudo ut tamquam variarum rerum gestarum adjuncta haberi nequeant (Ita praecipue Weisse et Schenkel).

Respondeo 1° De tali duplici fonte nullum in traditione vestigium exstat. — 2° ad *a)* Verum quidem est 17 priora capita sermonibus fere constare; at rerum a Christo gestarum narratio efficit evangelii partem veluti *fundamentalem*. Res gestae chronologico ordine narrantur et ex eis sermones sponte prodeunt eisque superstruuntur. Exemplo sit caput 4. — ad *b)* Similitudo haec vera est, sed explicatur ex peculiari scopo Joannis ostendendi divinitatem Christi. Explicatur etiam ex loco ubi sermones habiti sunt, qui fere semper idem est, templi atrium; et ex auditoribus Christi, qui fere semper sunt scribae et pharisaei.

Nota. Praeterea ut interpolata traducuntur 1) Jo. 5, 4 de angelo piscinae Bethsaidae. — 2) Jo. 7, 53 — 8, 11 de muliere adultera. — 3) Jo. 21.

De quorum locorum authentia dicetur in decursu commentarii.

Digitized by Google

VII. De historia litteraria interpretationis

Evangelium S. Joannis data opera interpretati sunt :

A) **Antiquo aevo.** (Saec. III) HERACLEON gnosticus et Valentini discipulus. Fragmenta servantur in operibus Clem. Alex. et Origenis. Evangelium ad placita sua corrupit. — ORIGENES. Ex 32 libris remanent 9 ab Huetio et de la Rue editi. Habentur in eis quaedam doctrinae catholicae opposita, quae forte tribuenda sunt haereticis qui Origenis opera depravarunt. — (Saec. IV) S. DIONYSIUS ALEX. et THEODORUS HERACLEENSIS. Fragmenta utriusque edita a Cordero. — (Saec. V) S. AUGUSTINUS scripsit tractatus 124 in Joannem. Praeterea plura de evangeliis habet in sermonibus *de verbis Domini* et *de tempore*. Magis ascetica quam ad literam exegetica. — S. JOANNES CHRYSOST. scripsit homilias 87 in Joannem. Contionatorem in iis magis quam interpretem agit. Hinc plura loca non attingit. — THEODORUS MOPSUESTENUS. Fragmenta edita a Maï. Non orthodoxus, pelagianismum olet. — NONNUS PANOPLITANUS versibus heroicis S. Joannem bene exposuit. — S. CYRILLUS ALEX. Ex ejus expositione in Joannem quaedam perierunt. Praesertim in re dogmatica versatur contra arianos et sabellianos.

B) **Medio aevo.** V. BEDA, S. Augustini abbreviator. — ALCUINUS. — RUPERTUS TUITIENSIS. — THEOPHYLACTUS, S. Chrysostomi abbreviator. — EUTHYMIUS ZIGABENUS, concinnus sed solidus. — OECUMENIUS Patres fere exscribit. — S. THOMAS AQUINAS in *Catena*. Multo praestantior est ejus expositio in evangelium Joannis, quae theologica scientia referta est. — S. BONAVENTURA.

C) **Recentiori aevo.** LUCAS BRUGENSIS, optimus. — JANSENIUS GANDAV. in *Concordia*. — TOLETUS, omnium fere praestantissimus. — MALDONATUS, eximius in tractandis quaestionibus polemicis. — RIBERA. — BARRADIUS, pro contionatoribus praecipue

Digitized by Google

exponens. — CALMET, praedictis inferior. — A LAPIDE multa habet, sed non sat critice explicat. — SALMERON. *Commentarius in evangelicam historiam*, t. 8 et 10. — BOSSUET, in opere : *Méditations sur l'Évangile*, praeclare disserit de sermone eucharistico capitis VI Joannis et de sermone Christi in cena. — NATALIS ALEXANDER, duplicem sensum, litteralem et moralem, sedulo scrutans. — CONTZEN. — EMM. SA, multorum interpretationes exhibens. — TIRINUS, bonus sed concinnus valde. — SILVERIA, Patrum citationibus insignis. — ZIDRON DE AZEVEDO. — FERUS, contionatorio modo exponens. — MAUDUIT analysim evangeliorum confecit. — B. LAMY *Harmoniam* habet celeberrimam. — CALVINUS, BEZA et BUCER, quorum interpretationes exhibet *Synopsis criticorum Poli*. — LAMPE, protestans minima quaeque erudite examinans.

D) **Recentissimo aevo.** Versiones N. T. adnotatae a MARTINI, ALLIOLI, REISCHL, KENRICK et BEELEN, — LIÉNARD, Duacenus, commendabilis. — BISPING, cujus commentarius sobrius, eruditus et critice factus. — KLEE, nimis tenuis. — ADALB. MAIER, bonus sed in aliquibus aequo audacior. — PATRIZI, brevis sed accuratus; complendus per magnum ipsius opus in evangelia. — GRIMM. *Einheit der Evangelien*. Opus optimum. — KLOFUTAR, brevis, sed modernae exegeseos peritus. — CRAMPON. *Les quatre Évangiles*. Nitidus et doctus. — HANEBERG-SCHEGG, plenissima expositio. — SCHANZ, philologica eruditione clarus. — FILLION etiam valde commendabilis. — HENGSTENBERG (protestans) in plerisque accuratus, in aliquibus locis sectae suae erroribus abreptus. — THOLUCK (protestans). — EBRARD, in collectione protestantica Olshausen, utilis qui consulatur. — GODET. — Inter rationalistas : LÜCKE multae eruditionis interpres. — H. MEIER. — KUINOEL. — DE WETTE, in *Evangelisches Handbuch*. — BRUNO BAUER, systemati mythico penitus addictus. —

Digitized by Google

COMMENTARIUS

CAPUT I

Argumentum. Prologus. Descriptio dogmatica personae Jesu Christi, sub nomine *Verbi*. Aeternitas, personalitas, divinitas; relatio ad creaturas, ad hominem; salvifica incarnatio (1-18). — Testimonia Joannis Baptistae de Christo (19-34). — Primi discipuli Jesu (35-51).

DISSERTATIO PRAEVIA

De doctrina Verbi apud S. Joannem

VERBUM, ὁ λόγος. Hoc vocabulo solus Joannes inter omnes N. T. scriptores personam Jesu Christi designat (1). Et quidem hoc capite, et in epistola prima (1 Jo. 1, 1) et in Apocalypsi (19, 13). Cf. Jo. 1, 14. 15-17 : *Et Verbum caro factum est... Ioannes testimonium perhibet de ipso... gratia et veritas per Iesum Christum facta est;* ex quibus patet *Verbum* et *Iesum Christum* unam esse personam.

Quaeritur 1° ***quae sint apud S. Joannem attributa Verbi.***

R. *a) Personalitas :* dicitur enim esse apud Deum; per illud facta omnia; venisse in propria; potestatem dedisse filios Dei fieri; habitasse in nobis; deinde identificatur (v. 17) cum Jesu qui sane persona est.

(1) Dicimus : *solus Joannes,* secundum opinionem communem interpretum, quamquam nobis probabilius videtur, apud S. Paulum in epistola ad Hebraeos (4, 12) ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ esse Dei Verbum hypostaticum.

Digitized by Google

b) Distinctio a *persona* τοῦ θεοῦ (Patris) apud quem est.

c) Aeternitas : erat enim in principio. (Vide infra).

d) Divinitas, ac proinde consubstantialitas cum Patre : θεὸς ἦν.

e) Potentia creatrix universorum (v. 3) a Patre accepta : δἰ αὐτοῦ.

f) Vita et lux hominum (v. 4).

g) Filiatio divina unigena (v. 14).

Quaeritur 2° ***unde S. Joannes hanc doctrinam acceperit.***

R. Inter rationalistas alii volunt doctrinam de Verbo primitus Platoni deberi, a cujus discipulis in scholam alexandrinam fuerit invecta, ibique a Philone aliisque expolita, unde eam Joannes hauserit. Alii volunt Joannem doctrinam de Verbo ex veteri testamento accepisse; nomen tamen a schola alexandrina venire, ejusdemque dogmata nonnullum in dogma joanneum influxum habuisse. Contra quos dicimus :

A) ***Doctrina S. Joannis de Verbo non est Platonis.***

Probatur. Plato Deum vocat Patrem; at filius ejus non est *Logos*, sed *mundus*, seu anima mundi quæ ei est ὁ θεὸς ἐσόμενος. — Saepe Plato loquitur de λόγῳ τοῦ θεοῦ, sed semper sensu *rationis* seu reflectendi et discernendi facultatis, qualis et in homine λόγος habetur; nusquam λόγον exhibet ut *personam* seu hypostasim a Deo distinctam vel ut rerum *causam efficientem* (1). τὸν λόγον θεοῦ habet ut rerum *causam* mere *directivam*, ut est in homine *ratio* causa directiva actuum deliberatorum. Si λόγον personalem demiurgum admisisset, illum sane inducere debuisset in *Timaeo*, in quo dialogo omnium rerum productionem longe lateque exponit. Ibi autem ne verbulo quidem eam doctrinam innuit. Sed neque eam habet in celebrato loco *De*

(1) Ne in *Epinomide* quidem (ap. Euseb., Praep. evang. XI, 16), ubi dicitur quidem ὁ λόγος mundi creator, adeoque ut hypostasis exhibetur, at minime apparet haec hypostasis distincta a Deo Summo. — Praeterquam quod opus istud passim ut spurium habetur. — Videsis T. H. Martin, *Études sur le Timée*,

Digitized by Google

Republ., 7. ubi dicit « ideam Summi Boni (1) causam (αἰτίαν) omnium quae recta et pulchra sunt, cum in ordine visibili lucem creaverit *et lucis auctòrem* ... in ordine vero intellegibili ipsam principatum tenere, veritatem et *rationem* (Νοῦν) producere. » Ibi enim ipse Plato *lucis auctorem* dicit *solem nostrum;* Νοῦν vero idem dicit ac *veritatem* (Phileb. p. 65, δ), ac proinde attributum Dei impersonale.

*B) **Doctrina S. Joannis de Verbo non est a Philone derivata.***

Probatur. Philo sescenties agit de *Logo* Dei. Quid autem omnino teneat obscurum est satis. Haec probabilius : Ab aeterno Deus secum habet *scientiam* suam, cum qua rerum omnium *pater* tamquam cum *matre* spiritualiter congressus genuit *Verbum* suum. Est autem Verbum imago Dei Summi, quo hic tamquam instrumento mundum condidit; superius universo mundo, antiquius creaturis omnibus; universi creator et rector; apud Deum Summum manens, et tamen simul in mundo praestans quod anima humana praestat in corpore. — Unde videtur admittere Verbum esse animam mundi. — Verbum est Dei Summi filius *primogenitus*, mundus ejusdem Dei filius *junior*. Ad Verbi imaginem factus est homo, non tamen factus per ipsum Verbum, sed per angelos. Verbum nobis est apud Deum patronus et advocatus, totius universi summus sacerdos et domus Dei. Verbum medium est Deum inter et creaturas, non *ingenitum* sed nec *genitum sicut nos*. Pater est *fons* (πηγή) Verbi, a quo rursus procedit *bonitas*. Verbum idem est ac *sapientia* Dei.

Hinc 1° dubitari vix potest Philonem habuisse τὸν λόγον ut hypostasim distinctam a Patre. — 2° Pluribus in locis ei tribuit quae divinitati sunt propria; sed et multa de Verbo praedicat quae inferioritatem naturae respectu Dei Summi involvunt. Vocat Verbum θεὸν δεύτερον, sed et δυνάμεις seu attributa Dei θεούς dici

(1) Ideam Summi Boni, secundum Platonem, exsistere extra Deum volunt alii, alii cum Deo identificari. Res est valde obscura.

Digitized by Google

vult; ὁ θεός (cum articulo) soli Deo Summo, τῷ ὄντι, reservat. Dicit hominem factum ***ad imaginem Verbi***, cum creatura nequeat ad ipsius Dei Summi imaginem fieri. Deum Summum esse omnino invisibilem, Verbum autem patriarchis apparuisse. Verbum dicit eos imitari debere qui nondum digni sunt ut filii Dei dicantur (1). Ergo Philo Verbi cum Patre consubstantialitatem proprie dictam admisisse non videtur (2). — 3° Philoni Verbum non est rerum ***creator ex nihilo***, cum, sicut Plato, materiam admittat aeternam et infectam. — 4° Quidquid veri est in doctrina Philonis de Verbo potuit Philo invenire in capite 8° Proverbiorum, quod citat, et ex libro Sapientiae quem nosse debuit. Porro Joannes ex eisdem fontibus revelatis potuit haurire. Quae autem Philo vel de suo habet vel a Platone accepit, ea sunt a Joannis doctrina aliena, ut doctrina de anima mundi, de exemplaribus ideis, de aeternitate materiae infectae. Ergo S. Joannes nihil a Philone accepit. — Accedit parum esse probabile S. Joannem Ephesi cognovisse opera Philonis qui in Aegypto circa tempus mortis Jesu scripserat.

C) Doctrina S. Joannis de Verbo non est scholae alexandrinae fetus.

Ita contra Gfrörer (3), qui contendit hanc doctrinam dudum ante Philonem Alexandriae viguisse : porro Joannem dogma suum hausisse quidem ex eodem fonte ac Philonem, at paulo aliter illud evolvisse.

(1) De quibus omnibus respective vide opera Philonis, in editione Mangeiana. I, p. 6; I, p. 277. 437; I, p. 308; I, p. 47; I, p. 121. 560; I, p. 145. 298; I, p. 330. 562; I, p. 501; I, p. 658; I, p. 128; I, p. 445; II, p. 496; I, p. 655. Praeterea vide Euseb., Praep. evang., 7, 13.

(2) Et sane diserte dicit (De Somniis. T. II, p. 683) : Μᾶλλον δέ, εἰ τὸ ἀληθὲς εἰπεῖν δεῖ, (ὁ λόγος) μεθόριός τις θεοῦ φύσις, τοῦ μὲν ἐλάττων, ἀνθρώπου δὲ κρείττων. *Potius vero, si verum dicere oportet (Verbum est) natura Deo confinis, hoc quidem minor, homine vero praestantior.*

(3) *Geschichte des Urchristenthums*, t. III, p. 355 sq., ubi vult christianos fuisse sectae Essenorum fetum; et t. I, p. 316 sq.

Digitized by Google

Probatur. Praecisione facta a V. T. libris inspiratis serioris aevi, Philo est istius scholae testis qui superest antiquissimus; quid autem ante eum schola alexandrina docuerit mera conjectura est, ad quam confugere vetamur, si in ipsis sacris litteris et in traditione sacra judaica doctrinae Joannis de Verbo solidum fundamentum invenimus. Jam vero

D) Doctrina S. Joannis de Verbo solidum fundamentum habet in sacris litteris.

Probatur. 1° ex doctrina *Angeli Jehovae.*

In veteri testamento saepe sermo fit de *Angelo Jehovae* מַלְאַךְ יְהוָֹה, qui ceteris angelis longe superemineat, cui praedicata divinitatis tribuantur, qui Dei nomine loquatur, Dei aeterni honorem sibi vindicet et ut Deus tractetur.

Ita Exod. 23, 20. 21 : *Ecce ego mittam* angelum meum, *qui praecedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi. Observa eum, et audi vocem eius, nec contemnendum putes : quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo.* Iste igitur angelus nomen habet ipsius Jehovae incommunicabile : ergo cum Jehova est natura identicus. — Is. 63, 9 : *angelus faciei eius salvavit eos.* — Jos. 5, 13-16 : *Cum autem esset Iosue in agro urbis Iericho, levavit oculos, et vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentum gladium, perrexitque ad eum et ait : Noster es, an adversariorum? Qui respondit : Nequaquam : sed sum* princeps exercitus Domini, *et nunc venio. Cecidit Iosue pronus in terram. Et adorans ait : Quid Dominus meus loquitur ad servum suum? Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis : locus enim, in quo stas, sanctus est.* Et paulo inferius, de eodem, ut videtur, angelo sermo pergit (6, 2) : *Dixitque Dominus* (Jehovah) *ad Iosue : ...* — Ergo *princeps exercitus Domini* ipse Jehovah est. — Exod. 3, 2, in celebri visione Moysis in rubo ardente : *Apparuitque ei Dominus* (in hebraeo מַלְאַךְ יְהוָֹה, *angelus Domini*), *in flamma ignis...* V. 4 idem angelus *Jeho-*

Digitized by Google

vah vocatur : *Cernens autem Dominus* (Jehovah) *quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, et ait : Moyses, Moyses! Qui respondit : Adsum.* — V. 5 : *At ille : Ne appropies, inquit, huc : solve calceamentum de pedibus tuis : locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Textus commentario non eget, estque evidens parallelismus cum Jos. 5, 16. — Gen. 28, 11-22 narratur Jacob vidisse Dominum innixum scalae portentosae Bethel, et Osee (12, 4) de eadem visione loquens dicit Jacob in Bethel invenisse *angelum.* Item Gen. 32, 28-30, Jacob luctatus cum *viro* (v. 24) dicit : *Vidi* Deum *facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* Et Osee (12, 4) de eodem eventu dicit : *Et invaluit ad* angelum, *et confortatus est.* — Tandem Mal. 3, 1, Messias vocatur *Angelus testamenti.*

Latet igitur in Scriptura veteris testamenti doctrina de Deo apud Deum *misso* a Deo, et *mediatore* Deum inter et populum.

2° Ex Prov. 8, 22-31, ubi exhibetur *divina Sapientia* ut *in principio* exsistens *hypostasis,* Deo *creanti assistens* et cum eo cuncta componens *artifex* (אָמוֹן, *amôn,* quod masculini generis est); ut *fons vitae* et salutis filiis hominum (v. 35).

3° Eadem doctrina elucidatur in recentioribus libris Sapientiae et Ecclesiastici. Ita Sap. 7, 24-30; et v. 21, dicitur *omnium artifex.* Et 9, 9 : *et tecum sapientia tua, quae novit opera tua, quae et affuit tecum cum orbem terrarum faceres, et sciebat quid esset placitum oculis tuis.* Item 8, 1-4. — Eccli 1, 4 : *Prior omnium creata est sapientia.* et v. 9. 10 : *Ipse creavit eam in Spiritu sancto... et effudit illam super omnia opera sua.* — Cf. Luc. 11, 49. 50 cum Matth. 23, 34 : in priori loco *Sapientia Dei* dicitur loqui eadem verba quae *Christus* tamquam sibi ipsi tribuit.

4° Eamdem doctrinam viderunt Patres in Psalmo 32 (33), 6 : *Verbo Domini caeli firmati sunt;* et in Sap. 18, 15 : *Omnipotens sermo* (λόγος) *tuus de caelo a regalibus sedibus, durus debellator, in mediam exterminii terram prosilivit.*

Digitized by Google

E) ***Doctrina S. Joannis de Verbo concordat cum doctrina veteris Synagogae.***

In *targumim* Onkelosi et Jonathan ben Usiel proponitur saepe *hypostasis* quaedam, per quam Jehovah se revelet, quae pro eo in mundo agat sitque mediatrix inter Jehovam et populum ejus. Nomina habet *Memra* (מֵימְרָא, *Verbum*) et *Schekina* (שְׁכִינָא, *Habitatio*) (cf. Jo. 1, 14) et saepe in paraphrasi chaldaica ibi inducitur ubi textus ipsum Deum Jehovam habet.

Ita v. g. Num. 23, 21, ubi habet textus hebraicus : *Dominus Deus eius cum eo est et clangor* (*bucinae*) *regis in eo*, Targum ponit : *Memra Jehovae est eis auxilio et Schekina regis ejus inter eos.* — In deserto populus ducitur a *Memra.* — Ozam morte percutit *Memra*, etc.

Notandum autem hoc *Memra* seu Verbum hypostaticum optime apud targumistas distingui a *verbo* Dei *impersonali*, quod vocatur פִּתְגָּמָא (*Pithgama*). Ita Deut. 18, 19 : *Et si quis non audierit* verbum meum (פִּתְגָּמִי) *quod locutus est in nomine meo*, Verbum meum (מֵימְרָתִי) *requiret ab eo* (1).

Ergo Judaei docti scribentes circa tempus vitae Christi, et a schola alexandrina graeca alieni, alteram in Deo hypostasim agnovisse videntur, quam *Verbum* vocabant. Quam notitiam ex revelatione, puta Prov. 8, hausisse credendi sunt. Nomen forte sumpserunt ex Ps. 32 (33), 6 : *Verbo Domini caeli firmati sunt*, vel ex Ps. 118 (119), 89 : *In aeternum Domine, verbum tuum permanet in caelo.*

Quaeritur 3° ***unde S. Joannes nomen*** τὸν λόγον ***acceperit.***

R. Nihil probat Jesum unquam hoc nomen sibi vindicasse; apud tres evangelistas synopticos non apparet; in epistolis ceterorum apostolorum frustra quaeritur (2) : restat igitur ut S. Joan-

(1) Vide Ad. Maier. *Commentar über das Evangelium des Johannes.* p. 120-122.

(2) Nisi tamen excipiendum sit Heb. 4, 12.

Digitized by Google

nes hoc nomen ex vetere testamento desumpserit, ad personam divinam Christi specialissime designandam. Huic nomini seligendo occasionem forte dederunt tunc jam grassantes doctrinae gnosticorum, qui ita post Philonem vocabant ens aliquod sublimius quod dicebant Jesu fuisse unitum. Sic etiam nomina ἀρχή, ζωή, χάρις, ἀλήθεια, μονογενής a gnosticis tribuuntur aeonibus suis, quae omnia Joannes in suo prologo sensu genuino exponit. Gnostici vero ea ex Joannis scriptis vel aliunde desumpta haereticis suis placitis aptarunt. Porro Joannem haec vocabula a gnosticis mutuatum esse gratis asserunt rationalistae (1).

Quaeritur 4° ***num doctrina haec etiam apud alios scriptores novi testamenti reperiatur.***

R. Omnino affirmandum, dempto nomine λόγος.

Ita : *a)* Christi distincta a Patre *personalitas* apud Synopticos affirmatur quotiens ea narrant de Jesu in quibus est inter eum et Deum Patrem relationum oppositio : v. g. Matth. 11, 25; 17, 5; 26, 53; 27, 46; Marc. 1, 11; 9, 6; Luc. 10, 21. 22; 22, 42; et in Actis et Epistolis passim.

b) aeternitas, S. Paulus, Col. 1, 17 : *Et ipse est ante omnes, et omnia in ipso* (id est *per ipsum*) *constant.*

c) divinitas. S. Paulus, Rom. 9, 5 : *Et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.* Item Phil. 2, 6 : *cum in forma Dei esset.* — Col. 1, 15; Act. 20, 28 et Heb. 1, 8. 9, ubi eum diserte *Deum* appellat, et 1, 10, ubi de Christo praedicat Ps. 101 (102), 26 : *Tu in principio Domine terram fundasti etc.*, quae in ipso Psalmo de Jehovah dicuntur. — Luc. 5, 21-24, ubi Christus sibi vindicat potestatem remittendi peccata, quam adstantes solius Dei propriam esse objecissent.

d) potentia creatrix. S. Paulus Col. 1, 16 : *omnia per ipsum,*

(1) Vide Massueti Prolegomena ad editionem operum S. Irenaei, Dissert. I, art. I, n. 3.

Digitized by Google

et in ipso creata sunt, et Heb. 1, 2 : *per quem fecit et saecula.* Item 1, 10 : *et opera manuum tuarum sunt caeli.*

e) vita et lux hominum. S. Petrus, Act. 3, 15 : *auctorem vero vitae interfecistis.* S. Paulus, Rom. 5, 18 : *per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae.* Col. 3, 3; 2 Cor. 4, 10; S. Judas, 21 : *expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam aeternam.* — Matth. 4, 16 : *Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam;* Luc. 2, 32 in cantico Simeonis : *lumen ad revelationem gentium*, etc.

f) Unigenitus Dei vocatur implicite ubicumque Christus dicitur ὁ υἱὸς θεοῦ cum articulo, adeoque singulari titulo, Filius Dei naturalis. Ita Matth. 11, 27; Marc. 14, 61; Luc. 1, 35; Act. 3, 13; Rom. 1, 3; 8, 32; Heb. 1, 2. 8.

Corollarium. Quamquam concedendum est divinitatis attributa instantius et plenius de Christo praedicari a S. Joanne quam a Synopticis (quod nil mirum, secundum dicta supra de scopo S. Joannis), egregie falsum est evangelium quartum constituere in evolutione doctrinae christianae stadium novum, in quo Jesus jam non ut homo sed ut Deus appareat. Nam et a Synopticis Christus divinitatis notis pluribus insignitus elucet, et a S. Paulo omnibus Verbi divini joannei dotibus decoratur. Quod ne rationalistae fateri cogantur, epistolas ad Colossenses, ad Ephesios, ad Timotheum, ad Titum et ad Hebraeos doctori gentium denegant; at sine ulla solida ratione ita perditam causam propugnare dignoscuntur (1).

(1) De doctrina Verbi consulendi praecipue : Gfrörer, *Philo und die alexandrinische Theosophie.* — Ad. Maier, *Commentar über das Evangelium des Johannes.* p. 115 sq. — Lücke, Idem titulus, I, p. 249 sq. — Hilgenfeld, *Das Evangelium und die Briefe Johannis, nach ihrem Lehrbegriff dargestellt.* p. 83-100. — Soulier, *La doctrine du Logos chez Philon d'Alexandrie,* passim. — M. Wolff, *Die philonische Philosophie in ihren Hauptmomenten dargestellt,* 2a edit., p. 20 sq. et 58-60.

Digitized by Google

EXPOSITIO TEXTUS

Prologus

1. *In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum.* 2. *Hoc erat in principio apud Deum.* 3. *Omnia per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil, quod factam est,* 4. *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum :* 5. *Et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.* 6. *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes :* 7. *Hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* 8. *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* 9. *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* 10. *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.* 11. *In propria venit, et sui eum non receperunt.* 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius :* 13. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* 14. *Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis : et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* 15. *Ioannes testimonium perhibet de ipso, et clamat dicens : Hic erat, quem dixi : Qui post me venturus est, ante me factus est : quia prior me erat.* 16. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* 17. *Quia lex per Moysen data est, gratia, et veritas per Iesum Christum facta est.* 18. *Deum nemo vidit unquam : unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

Hujus prologi sublimitatem Patres celebrare decertant.

Ita S. Augustinus, (In Joan. tract. 36) : « Ceteri tres evange-» listae tamquam cum homine Domino in terra ambulant, et de » divinitate ejus pauca dixerunt : istum autem quasi piguerit in

Digitized by Google

» terra ambulare, sicut in ipso exordio sui sermonis intonuit, » erexit se non solum super terram et super omnem ambitum » aeris et caeli, sed super omnem etiam exercitum angelorum, » omnemque constitutionem invisibilium potestatum; et perve» nit ad eum per quem facta sunt omnia, dicendo : *In principio » erat Verbum...* Huic tantae sublimitati principii etiam cetera » congrua praedicavit, et de Domini divinitate quomodo nullus » alius est locutus : hoc eructabat quod biberat. Non enim sine » causa de illo in isto ipso evangelio narratur, quia et in con» vivio super pectus Domini discumbebat. De illo ergo pectore » in secreto bibebat; sed quod in secreto bibit, in manifesto » eructavit : ut perveniat ad omnes gentes, non solum incarna» tio Filii Dei, passio et resurrectio; sed etiam quod erat ante » incarnationem unicus Patri, Verbum Patris, coaeternus gene» ranti, aequalis ei a quo missus est. »

S. vero Hieronymus (Comm. in Matth., Prooem.) : « Ultimus » Joannes apostolus et evangelista, quem Jesus amavit pluri» mum; qui supra pectus Domini recumbens, purissima doctri» narum fluenta potavit; et qui solus de cruce meruit audire : » *Ecce mater tua.* Is cum esset in Asia... coactus est ab omni» bus pene tunc Asiae episcopis et multarum ecclesiarum lega» tionibus, de divinitate Salvatoris altius scribere et ad ipsum » (ut ita dicam) Dei Verbum, non tam audaci quam felici te» meritate prorumpere. Unde et ecclesiastica narrat historia, » cum a fratribus cogeretur ut scriberet, ita facturum se re» spondisse, si indicto jejunio in commune omnes Deum depre» carentur, quo expleto, revelatione saturatus, illud prooemium » e caelo veniens eructavit : *In principio erat Verbum...* »

V. 1. IN PRINCIPIO (1). In principio creationis seu temporis, ut Gen. 1, 1 : בְּרֵאשִׁית, quando nondum aliquid factum erat,

(1) De toto Prologo (Jo. 1, 1-18) vide Patrizi, *De Evangeliis,* L. III, Dissert. VIII.

Digitized by Google

tunc jam erat Verbum. Hinc asseritur Verbum exstitisse ante creationis tempus; unde indirecte pronuntiatur Verbi *aeternitas*, secundum usum loquendi Scripturae, v. g. Jo. 17. 5; Eph. 1, 4; Col. 1, 17; Eccli. 24, 14; Ps. 89 (90), 2. Recte Theophylact. : « Quod a principio est, ejus nullum omnino tempus inventum est » quando non erat. » Et Cyrill. Alex. : « Si in principio erat, » quae mens poterit unquam ultra illud *erat* convolare? »

ERAT, potius quam *est*, quo melius notetur ante principium temporis essendi prioritas. S. Joannes, initium licet Geneseos imitatus, sedulo vitat τὸ *creatum*, vel *factum est* Verbum; sed *erat* seligit, utpote *genitum non factum* praedicans.

ET VERBUM ERAT APUD DEUM, πρὸς τὸν Θεόν. In graecitate N. T. praepositio πρός cum accusativo non raro idem sonat ac παρά cum dativo, *apud*. Ita Matth. 13, 56 : αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ οὐχὶ πᾶσαι πρὸς ἡμᾶς εἰσι; Act. 5, 10 : ἔταψαν πρὸς τὸν ἄνδρα αὐτῆς; Marc. 4, 1 : συνήχθη πρὸς αὐτὸν ὄχλος; Marc. 6, 3; 1 Cor. 16, 6 : πρὸς ὑμᾶς δὲ ταχὸν παραμενῶ. Cf. Jo. 17, 5, ubi idem conceptus; habet autem παρά σοι.

Unde aliqui perperam hic voluere designari *tendentiam* Verbi ad Deum. Designatur Verbi apud Deum ab aeterno *permansio*. — Nota etiam, hic τὸν Θεόν supponere pro *Persona Dei Patris*, ut ipse Joannes in epistola explicat (1 Jo, 1, 2) : *annunciamus vobis vitam aeternam quae erat apud Patrem*. Alia ergo persona *Dei Patris*, alia *Verbi* : nemo enim recte dicitur esse *apud semetipsum* (cf. Cyrill. Alex. et Theophylact. in hunc locum). — Non dicit *apud Patrem*, quia secundam SS. Trinitatis Personam non *Filium* sed *Verbum* vocaverat.

ET DEUS ERAT VERBUM, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος. Altera relatio Verbi ad Patrem : *naturae divinae identitas*. Vox *Deus*, Θεός, sine articulo, hic praedicatum est, praecedens vocem ὁ λόγος, quod est subjectum, ac si posuisset : καὶ ὁ λόγος ἦν Θεός. Praemisit praedicatum : *a*) ad emphasim ponendam in divina Verbi

Digitized by Google

natura; — *b*) quia toto hoc capite et alibi apud Joannem est usus incipiendi novam sententiam per vocem ultimam præcedentis. Cf. v. 4. 5. 8. 9. 10. — Θεός sine articulo hic supponit pro *natura* divina : est ergo nomen *qualitatis*. Articulum congrue ponere non poterat, sic enim Verbum confunderetur cum τῷ Θεῷ, apud quem erat Verbum. Hinc falsum apparet quod vult Origenes (in h. l.), omissionem articuli hic designare subordinationem (saltem analogam) Verbi ad Deum Summum, τὸν Θεόν. Tale est etiam interpretandi principium Philonis (De Somniis p. 655). Ceterum S. Joannes hoc principium minime sequitur. Nam Jo. 1, 6. 12. 13. 18; 3, 2. 21; 13, 3; 16, 30, Deum Summum dicit Θεόν sine articulo. Accedit non potuisse Joannem in eodem hoc versu usurpare Θεόν semel proprie, semel analogice (Vide infra *Scholion dogmaticum*).

V. 2. HOC ERAT IN PRINCIPIO APUD DEUM. Repetitio *a)* ad gravissimam veritatem magis inculcandam; — *b)* ut clare doceatur ὁ λόγος Θεός esse idem ac ὁ λόγος qui in principio erat *apud Deum*.

Jam de **interpretationibus unitariorum.**

1° Artemonius aliquis (1) librum scripsit ad probandum S. Joannem posuisse : καὶ θεοῦ ἦν ὁ λόγος. Stultum conamen contra unanime testimonium omnium codicum, versionum, Patrum et scriptorum antiquorum.

2° Aliqui, post Photinum, sic interpungunt : καὶ θεὸς ἦν. ὁ λόγος οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεόν.

Contra est *a)* Manet idem sensus. Θεὸς enim, sine articulo, praedicatum esset verbi ἦν cujus subjectum ὁ λόγος versus primi. — *b)* Obstat perpetua traditio. — *c)* Scripsisset Joan. οὗτος ὁ λόγος.

3° Alii sic : *Initio praedicationis christianae exstabat Verbum, et Verbum intima amoris societate Deo conjunctum erat...*

(1) Cujus verum nomen Crellius.

Digitized by Google

***Contra est** a)* V. 14, *Verbum caro*, ubi Verbi novus status indicatur, diversus ab illo quem habebat *in principio*. Ergo *principium* illud nequit ad tempus Verbi *incarnati* referri. — *b)* Commentarius hujus loci, Jo. 17, 5 : *clarifica me tu Pater... claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te*, id est ab aeterno. — *c)* Necessitas versum 3 ad duram metaphoram torquendi : *omnia per ipsum restaurata sunt*. Item quid, in hac hypothesi, v. 10 : *et mundus per ipsum factus est?*

4° Alii (ut Clericus) Verbi *personalitatem* negant idque volunt esse merum Dei attributum, cujus Christus praecipue fuerit particeps, adeo ut in eo analogice Ratio divina sit caro facta, et ipse item *Deus* analogice dici potuerit.

***Contra est** a)* Sic Joannes nihil contra haereses tunc regnantes probaret. — *b)* Non explicatur tanta dicendi emphasis de λόγῳ λογικῷ. — *c)* Jo. 6, 63; 17, 5. Quae sane repugnant merae unioni morali Christi cum Deo.

V. 3. OMNIA PER IPSUM... Nunc de relationibus Verbi ad creaturas universim. Graece sic : Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν, ὃ γέγονεν. Asseritur Verbum creator rerum omnium. — FACTA SUNT. Expressius graece ἐγένετο, unde excluditur omnis conceptus materiae *ex qua* praejacentis. Neerlandice sic vertendum : *Alles is door hetzelve geworden...*; non vero : *Alles is door hetzelve gemaakt...* — Dicitur δι' αὐτοῦ, *per ipsum*, non ἀπ' αὐτοῦ, quia Verbum non est, ut Pater, *principium sine principio*, sed creandi potentiam a Patre accepit. — οὐδὲ ἕν idem ac οὐδέν — ὃ γέγονεν ad emphasim. Nihil excipitur a Verbi creativa operatione, nisi esse divinum quod οὐ γέγονε (1). Idipsum praeclare evolvit S. Paul., Col. 1, 16. 17. Cf. Heb. 1, 2.

(1) Forte hoc additum est contra haereticos qui materiam dicebant aeternam et a Deo non factam. — Item refutantur gnostici docentes mundum productum per aeonem Deo longe inferiorem.

Digitized by Google

Nota. Jam antiquitas novit triplicem hoc loco modum dividendi propositiones.

1) *et sine ipso factum est nihil quod factum est. — In ipso vita erat...*

2) *et sine ipso factum est nihil. — Quod factum est, in ipso vita erat.*

3) *et sine ipso factum est nihil. — Quod factum est in ipso, vita erat...*

Vulgata litem in medio reliquit interpungendo per commata.

Tres propositiones in se verum sensum habent : omnia enim creata ut in aeterno exemplari Deo, vita sunt in Deo Verbo. At prima sola contextui congruere videtur.

Non probatur lectio tertia (Hilar. et Epiph.). Nam sic quidquid per Verbum creatum est, vivens esse absolute praedicaretur.

Non probatur lectio secunda (Clem. Alex., Cyrill. et latini plures (1), sed et trium priorum seculorum plerique scriptores). Nam versu 4 *vita*, eadem sane, dicitur *lux hominum*, quae lux est *ipsum Verbum* (v. 5. 9) : ac proinde haec vita est Verbum ut relatum ad homines, non autem Verbum in sua entitate eminenter creaturas complectens.

V. 4. IN IPSO VITA ERAT... Jam de relationibus Verbi ad creaturum rationalem, hominem. — Graece : ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων. Primum ponitur ζωή sine articulo, deinde ἡ ζωή cum articulo (2). Ita, juxta Beelen : 1) quia ἡ ζωή ipsum Verbum designat; ζωή vero, absque articulo, indicat id cujus in homine auctor est Verbum. Unde ζωή sine articulo metonymice sumitur ut causa pro effectu, figura saepe in Scrip-

(1) Lege S. August. in h. l., ubi illum sensum sublimibus verbis exponit. « Quia sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet » omnia, antequam fabricet omnia; hinc quae fiunt per ipsam artem, non » continuo vita sunt, sed quidquid factum est, vita in illo est, etc. »

(2) Quod optime exprimit Beelen neerlandice : *In hem was leven, en het leven was het licht der menschen.*

Digitized by Google

tura occurrente, v. g. Act. 4, 12. — Cf. Jo. 5, 26, ubi etiam ζωή absque articulo sensu, *fons vitae*.

Quaeritur quid hic veniat nomine ***vitae.***

R. 1a *sententia.* Vita essentialis ac divina in Verbo ejusdemque in creatis rebus participatio, ***vita naturalis***. Ita S. August. et S. Cyrill. Alex. Idem fere S. Chrysost. « vita creationis et providentiae. » Ita et Jansen. Gand. et S. Thom. Aq. qui et 2am habet sententiam. Verbum vere istius vitae fons et origo est.

Contra est *a)* De creatione per Verbum in ordine naturali jam dictum fuit supra, v. 3; nunc autem de hominis per Verbum reparatione agi videtur. — *b*) Argumenta 2ae sententiae.

2a sententia. *Vita supernaturalis* gratiae seu vita aeterna. Ita S. Ambros., S. Athan., etc. Ita Tolet., Luc. Brug., Ad. Maier, Beelen, et probat S. Thom. Aq.

Rationes. 1) 1 Jo. 5, 11 : *Vitam aeternam dedit nobis Deus. Et haec vita in Filio eius est.* Item 1 Jo. 1. 2. — 2) Juxta sequentia, haec *vita* est *lux* hominum, quam *tenebrae non comprehenderunt*... at *quotquot receperunt... dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Haec ergo *vita* cum *luce* et *filiatione divina* identificatur. — Cf. Act. 3, 15; Jo. 3, 15; 4, 14; 5, 40; 6, 47; 8, 12; 10, 28; 11, 25; 17, 2; Rom. 5, 18 etc.; 1 Jo. 5, 12. 20.

Ex omnibus collatis locis, videtur Joannes agere hoc loco de vita supernaturali. Dicitur autem vita esse *in ipso* Verbo tamquam effectus in causa efficiente, quatenus Verbum Deus est (nam sanctificatio hominis est Dei actio ad extra); in causa vero meritoria, quatenus Verbum incarnatum homo est (1).

Haec vita complectitur *sanctificationem* per gratiam in via, *glorificationem* per visionem beatificam in patria. Haec vita in

(1) Valentinianis haec ζωή erat aeon feminini sexus, quae cum masculino λόγῳ efficiebat tertiam syzygiam primae aeonum ogdoadis. Legebant autem : ὁ γέγονεν ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, praepositionem ἐν sensu immanentiae *vitae in Verbo* exponentes.

Digitized by Google

Verbo ERAT ab aeterno, quia ab aeterno praevisus fuerat hominis lapsus et praedestinata reparatio (Eph. 1, 4. 5). Verbum item ab aeterno erat vitae causa meritoria qua *incarnandum*; ideo istud ERAT non necessario (ut aliqui volunt) ad incarnationis tempus contrahitur, sed aeternum est, cum respectu ad illud tempus.

ET VITA ERAT LUX HOMINUM, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων. Igitur Verbum vita erat quatenus erat lux hominum. Lux illa supernaturalis duplex est : lumen fidei, divinam revelationem mentibus applicans, lumen gloriae, ipsam Dei essentiam eis manifestans. Verbum itaque ἡ ζωὴ ἦν quatenus se utroque illo lumine revelans. Talis lux erat Verbum omnibus hominibus (quantum ex se) etiam ante tempus peractae incarnationis. Nulli unquam contigit *vita* nisi per *lucem* fidei, nulli *lux* fidei nisi intuitu *Christi*. Ita S. Augustinus.

Origen., Cyrill. Alex. et alii lucem hanc intellîgunt lucem *rationis naturalis*.

Contra est *a*) lucem hanc in eodem esse ordine ac vitam. — *b*) Joannem in evangelio perpetuo agere de luce supernaturali fidei et veritatis revelatae. — *c)* V. 7. Baptistam dici testimonium perhibere de lumine, quod non nisi de supernaturali lumine cogitari potest.

Sunt etiam, ut Naz. (Orat. 4 theol.), Ambros. (De Fide contra arian., c. 3.), Chrysost. et interpretes recentiores non pauci, qui volunt Verbum lucem dici tantummodo *post* incarnationem.

Non placet haec sententia, tum quia Verbum fuit lux hominum etiam ante incarnationem, tum quia de tempore incarnationis incipit agere Joannes v. 11, non ante. — Cf. Tolet., annot. 20.

De *luce* angelorum nihil hic dicitur, quia Verbum angelos illuminavit tantum qua Deus est, non qua incarnandum erat.

V. 5. ET LUX IN TENEBRIS LUCET. *Tenebrae* dicuntur hic *homines lapsi*. Ita Eph. 5, 8 : *Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino*; 4, 18 : *Tenebris habentes obscura-*

Digitized by Google

tum intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quae est in illis, propter caecitatem cordis ipsorum; Jo. 3, 19. — LUCET, φαίνει, sine intermissione. Omnibus oblata est gratia fidei. — ET TENEBRAE EAM NON COMPREHENDERUNT, passim in voluntaria incredulitate permanserunt. — οὐ κατέλαβε aoristum est referens id quod historice factum est. Estque propositio generalis, exceptiones non excludens. Cf. v. 11 et 12, *quotquot* : aliqui receperunt, sic aliqui comprehenderunt.

V. 6. FUIT HOMO MISSUS A DEO, CUI NOMEN ERAT IOANNES. — FUIT, ἐγένετο. Gallice, *Il y eut.* ἄνθρωπος, ille utique *merus homo*. Cur hic de Joanne Baptista sermo? Forte ob rationem polemicam, contra haereticos qui Baptistam pro Messia habebant. Hujus proprium munus et sub Christo inferioritatem asserit evangelista.

V. 7. HIC VENIT IN TESTIMONIUM, εἰς μαρτυρίαν : missionis ejus ratio : venit tamquam testis. Sequitur explicatio et finis testimonii Joannis. — DE LUMINE, id est de Verbo (v. 9). — UT OMNES, auditores Baptistae, CREDERENT PER IPSUM, δἰ αὐτοῦ, per Baptistam.

V. 8. NON ERAT ILLE LUX, τὸ φῶς, de qua supra. Insistit ad inculcandum. SED UT TESTIMONIUM PERHIBERET.

Quale hoc sit testimonium vide Jo. 1, 27. 29-34 (μαρτυρία vox est S. Joanni cara).

V. 9. ERAT LUX VERA, alia utique a Joanne, Verbum scilicet, QUAE ILLUMINAT OMNEM HOMINEM VENIENTEM IN HUNC MUNDUM. De sensu hujus membri disputatur.

Ita graece : ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον.

Hengstenberg et alii referunt ἦν ἐρχόμενον ad τὸ φῶς, quasi diceret Joannes : τὸ φῶς τὸ ἀληθιτὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον, ἦλθε εἰς τὸν κόσμον. Hinc : lux vera venit in mundum, scilicet per Verbi incarnationem.

Digitized by Google

***Contra est** a)* Neminem Graecorum sic intellexisse. — *b)* Omnes interpretes latinos et graecos, uno excepto, cum Vulgata et Peschito referre ἐρχόμενον ad ἄνθρωπον nomen propinquius (Peschito : ܠܟܠ ܐܢܫ ܕܐܬܐ ܠܥܠܡܐ).

Alii recentiores sic : ὁ λόγος ἦν τὸ φῶς... ἐρχόμενον, *lux veniens.*

Rationes. 1) Parellelismus apud Joannem (Jo. 3, 19) : ὅτι τὸ φῶς ἐλήλυθεν εἰς τὸν κόσμον. — Jo. 6, 14 : ἐστιν... ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον; item 9, 39; 12, 46 etc. — 2) Versus 10, ubi de LUCE : *in mundo erat.* — 3) V. 11 : *In propria* venit. — 4) Epitheton ὁ ἐρχόμενος Messiae proprium erat. Matth. 11, 3; Jo. 7, 27; 4, 25; 6, 14 etc.

***Contra est** a)* quod interpretes graeci et latini et versiones antiquae omnes habent ut Vulgata (1). — *b)* ratio grammatica. Dixisset potius τό ἐρχόμενον. — *c)* quod sic non nisi post incarnationem luceret.

Alii igitur et referunt ἐρχόμενον ad ἄνθρωπον et τὸ *venire in mundum* volunt idem sonare ac *nasci*, secundum usum loquendi rabbinicum בּוֹא בְּעוֹלָם, qui tamen in N. T. non occurrit alibi. Iis, ut dictum modo, favent antiqui interpretes et veteres versiones.

Haec et praecedens sententia fere aeque probabiles sunt. Praestat ergo tenere cum Vulgata.

V. 10. IN MUNDO ERAT *Verbum* scilicet, non *lux* : dicitur enim in masculino αὐτὸν οὐκ ἔγνω. Erat in mundo, in universa creatione, *portans omnia verbo virtutis suae* (Heb. 1, 3), id est per omnipotentiam conservans et gubernans. — ET MUNDUS PER IPSUM FACTUS EST : ac proinde ex opere poterat creator cognosci; ET tamen MUNDUS EUM NON COGNOVIT, ut Deum

(1) Uno ex graecis excepto.

Digitized by Google

scilicet, non ut 2^{am} Trinitatis Personam : sic enim non poterat eum cognoscere. Ignorantia haec culpabilis erat. — Mundus ille ignorans est mundus intellectualis in genere, genus humanum puta, non attentis raris bonorum hominum exceptionibus. — Cf. Rom. 1, 20. 21; Sap. 13, 1.

Apposite hic S. Thomas. « Si aliqui eum cognoverunt, hoc » fuit, non in quantum fuerunt in mundo, sed in quantum » fuerunt supra mundum, et tales quibus dignus non erat » mundus. »

Haec omnia de divinitate Verbi ante incarnationem intellege.

V. 11. IN PROPRIA VENIT, ET SUI EUM NON RECEPERUNT. Est gradatio.

Quaeritur 1° quidnam veniat nomine ***in propria*** et ***sui.***

R. *1ª sententia.* Ipse *mundus*, seu homines omnes. Mundus, *domus propria* est Creatoris (τὰ ἴδια); homines vero *ipsius* sunt (οἱ ἴδιοι). Ita Chrysost., August., Maldon.

Contra est *a)* Sic vix non repeti versum 10. — *b)* τὰ ἴδια et τοὺς ἰδίους speciali titulo esse ipsius.

2ª sententia. Populus israeliticus, apud quem Dei Verbi domus propria, et ipse populus ejus proprius. Ita Exod. 19, 5; Deut. 7, 6; Ps. 134, 4; Exod. 4, 22. 23; 2 Sam. 7, 24; et praecipue Eccli. 24, 12-18, de divina Sapientia, id est Verbo. Haec nostra.

Quaeritur 2° de ***quali*** adventu hic agatur.

R. *1ª sententia.* De adventu per *revelationem mosaicam*, per theocratiam, per theophanias, in quibus omnibus se manifestavit angelus Jehovae, Verbum. Ita Maier, Hengstenberg etc.

Rationes. 1) De Verbo *incarnato* primum agit v. 14. — 2) Incarnatio non magis pro Judaeis erat quam pro ceteris. — 3) Sic pulcherrima fit gradatio a v. 10 ad 11 et ab 11 ad 14. — 4) Specialis haec Dei Verbi ad Israelitas relatio luculenter in V. T. proponitur Deut. 4, 7 : *Non est alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obse-*

Digitized by Google

crationibus nostris; Exod. 29, 45 : *Et habitabo in medio filiorum Israel, eroque eis Deus*; Eccli. 24, 12-18, etc. — 5) Saepe in V. T. Deus se queritur a populo suo rejectum.

2ª sententia. De adventu *in carne*. Ita Beelen, Tholuck, post S. Thomam et omnes Patres qui evangelium S. Joannis exposuerunt.

Rationes. 1) Patrum auctoritas ex consensu, ut videtur, unanimi. — 2) Falsum videtur Israelitas Deum Verbum ante incarnationem non recepisse. Nam post exsilium certe cultui veri Dei fideles remanserunt. — 3) Huic receptioni adnectitur potestas filios Dei fieri : filiatio autem divina solet in Scriptura Christo tribui, id est Verbo incarnato ut causae efficienti et meritoriae.

Respondetur ad rationes oppositas. ad 1) V. 14 primum agit de *modo* hujus adventus, v. 11 de *adventu*, tacito *modo*, — ad 2) Tamen in Judaea natus est Christus et ex Judaea matre, et Judaeis primitias salutis afferebat. Jo. 4, 22 : *salus ex Iudaeis est*; Rom. 9, 5 : *ex quibus est Christus secundum carnem*; item Rom. 11, 17. 18. 24. — ad 3) Minor est gradatio, at optimus nexus : mundus eum creatorem non cognovit, *ideo* visibilis ad proprium populum venit. — ad 4) Dubium an doctrina de angelo Jehovae vulgo Judaeorum satis innotuerit.

Ergo, licet contextus nonnihil faveat sententiae priori, posteriorem admittimus. Sic τὸ *sui eum non receperunt* intellege de repudiato a Judaeis Jesu Messia.

V. 12. QUOTQUOT AUTEM RECEPERUNT EUM..., ὅσοι, sive de suis rari aliqui sive de ceteris (gentilibus), *receperunt eum* ut Messiam Verbum Dei et auctorem salutis aeternae, DEDIT EIS POTESTATEM, id est *aptitudinem* FILIOS (τέκνα) DEI FIERI, intellege, filios Dei in ordine supernaturali, in quo *ex Deo nati sunt*. — Sequitur explicatio τοῦ *receperunt eum*. Tales scilicet QUI CREDUNT IN NOMINE EIUS, εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, id est, *in ipsum*, hebraico loquendi modo.

Digitized by Google

V. 13. QUI NON EX SANGUINIBUS... SED EX DEO NATI SUNT. Oppositio inter duplicem generationem, alteram quae filios *hominum*, alteram quae filios *Dei* gignit. — EX SANGUINIBUS in plurali, hebraismus est : מִדָּמִים (*middamim*) — Tria hic de generatione humana dicta sic exponit S. Thomas : *ex sanguinibus*, ut ex causa materiali; ex *voluntate carnis*, ut ex causa efficiente quantum ad concupiscentiam (in qua est voluntas sensitiva); ex *voluntate viri*, ut ex causa efficiente intellectuali (libere actum conjugalem perficiente). Cf. Jo. 3, 6. — EX DEO NATI SUNT, ἐκ Θεοῦ ἐγεννήθησαν. Generatio spiritualis, cujus solus Deus causa est et quae τέκνα Θεοῦ efficit. — Cf. Gal. 4, 5; 1 Jo. 5, 1.

Quaeritur quomodo iis qui *ex Deo nati sunt* dicatur ***dari potestas*** filios Dei fieri. Qui enim per fidem recipit Verbum eo ipso videtur ex Deo nasci.

R. *1a resp.* S. Thomae. Homines fiunt filii Dei per triplicem assimilationem ad Deum : primum per gratiae infusionem (Rom. 8, 15); secundo per operum perfectionem (Rom. 8, 13. 14); tertio per gloriae adeptionem (Rom. 8, 23). Unde accepta per gratiae infusionem filiatione divina inadaequata accipit justus potestatem ut per gratiam et liberum arbitrium bona opera exerceat et sic in gloria adaequate filius Dei fiat. Cf. 1 Jo. 3, 2 et Phil. 3, 21; Rom. 8, 30. Ita Theophylact., Beelen etc.

2a resp. item S. Thomae. Per fidem disponitur homo ad baptismum per quem ex Deo nascitur, vel certe ad justificationem per votum baptismi recipiendam. Ita Tolet.

3a resp. S. Chrysostomi : « Et cur non dixit : Fecit eos filios Dei fieri? Ut ostenderet multa nobis opus esse diligentia ut adoptionis nobis per baptisma impressam imaginem puram servemus atque intactam. »

4a resp. Recentiorum quorumdam, qui ἐξουσίαν vertunt *praerogativam*. Facile solvit difficultatem; sed obstat usus loquendi

Digitized by Google

S. Joannis, qui praeter h. l. 27ies adhibet ἐξουσίαν, semper sensu *potestatem*.

Praeplacet responsio 2a, juxta quam v. 13 per *prolepsin* exponitur quales sint futuri ii qui, potestate hac usi, filii Dei facti fuerint.

Quaeritur quid sibi velit ***nasci ex Deo.***

R. Est produci a Deo vivente, per donum aliquo modo divinum, in novam vitam, quae consistat in analogica quadam licet vera similitudine naturae divinae; est, ut ait S. Petrus, fieri « consors divinae naturae. » Hoc donum deificum est gratia sanctificans quam Spiritus sanctus, justis ineffabili modo inhabitans, iis praesens communicat. Hoc donum novo testamento proprium, etiam justis veteris testamenti ob fidem Christi venturi Deus elargiebatur : ipsis tamen *ut parvulo* de quo Paulus ad Gal. 4. 1-7. Filii erant et heredes, publicum statum filiorum non consecuti. Vide Toletum.

V. 14. ET VERBUM CARO FACTUM EST... Hoc jam culmen hujus prologi sublimissimi. — Altissimum revelatur mysterium, modus scilicet quo Verbum *in propria* venerit (v. 11). — CARO FACTUM EST, hebraismus pro *homo factum est.* Ita Gen. 6, 12 : *omnis caro corruperat viam suam;* Is. 40, 5 : *omnis caro foenum;* Ps. 64 (65), 3 : *ad te omnis caro veniet;* Rom. 3, 20 : *non iustificabitur omnis caro coram illo.* — Potius *caro* quam *homo* posuisse videtur evangelista contra docetas, veram Christi humanitatem negantes quia carnem malo principio tribuebant (1). — ET, secundum August. et Chrysost., est pro *Nam,* ita ut hic sit nexus : aptos nos fecit filiationis divinae *quia* Verbum caro factum est. Chrysost. (in h. l.) : « Verbum, exsistens Filius Dei, » factum est filius hominis, ut homines faceret filios Dei. » Sed

(1) Docetae discernebant in homine tria principia, τὴν σάρκα, τὴν ψυχὴν et τὸν νοῦν vel τὸ πνεῦμα. Duo priora habebant ut essentialiter polluta, cum quibus ideo Verbum hypostatice uniri non posset. S. Joannes haec tria Verbi hypostasi fuisse unita docet, τὴν σάρκα hoc loco; τὴν ψυχήν Jo. 12, 27; τὸ πνεῦμα Jo. 11, 33; 13, 21; 19, 30.

Digitized by Google

non liquet hanc fuisse mentem evangelistae. — Nota etiam hic primum post versum 1 ad emphasim repeti ὁ λόγος. ET HABITAVIT IN NOBIS : nobiscum hominibus in terris conversatus est in carne visibilis, nec solum visibilis ut *homo*, sed etiam ut *Filius Dei unigenitus :* nam VIDIMUS, nos apostoli et discipuli ejus, GLORIAM EIUS, manifestationem scilicet divinitatis ejus. GLORIAM nempe QUASI UNIGENITI A PATRE. Cf. 1 Jo. 1, 1-3; Act. 1, 21; 10, 40. 41.

Notanda. 1) HABITAVIT, ἐσκήνωσε, *tabernaculum posuit.* Evidens allusio ad hebraicum שׁכן : Exod. 25, 8 : *Facientque mihi sanctuarium, et habitabo in medio eorum*; 29, 45 : *Et habitabo in medio filiorum Israel, eroque eis Deus;* Zach. 2, 10 : *habitabo in medio tui, ait Dominus;* Apoc. 7, 15; 21, 3. In mysterio incarnationis adimpleta est illa σκήνωσις, cujus in V. T. figura habetur.

2) τὸ HABITAVIT IN NOBIS adhibent Hilar., Cyrill. et Ambros. contra eos qui dicunt Verbum in carnem conversum esse. « Si habitavit, ergo mansit Verbum. »

Haec S. Chrysost. (In Joann. Hom. XI, nº 2) : « Subdit enim : » *Et habitavit in nobis*, ac si diceret : Nihil absurdum suspice» ris ex hoc dicto, *factum est.* Non enim immutabilis naturae » mutationem, sed habitationem dixi. Habitatio autem non idi» psum est quod habitaculum, sed aliud. Alius enim in alio ha» bitat; alias enim non esset habitatio : nihil enim in seipso » habitat. Aliud vero dixi secundum essentiam. Nam unitate et » conjunctione Deus Verbum et caro unum sunt (ἕν ἐστι), sine » ulla confusione vel substantiarum ablatione, sed per unionem » ineffabilem et inexplicabilem... »

Quomodo autem hocce versiculo concinne enuntietur doctrina incarnationis, ita praeclare ostendit S. Cyrill. Alex. (in h. l.) : « Non autem ait, ad carnem Verbum venisse, sed carnem factum » esse, ne habitudine (σχετικῶς) sicut in prophetas aut sanctos » alios ipsum venisse suspiceris, sed revera carnem factum esse, » id est hominem : hoc enim modo diximus. Quocirca etiam Deus

Digitized by Google

» est secundum naturam (κατὰ φύσιν) in carne et cum carne, » quippe qui propriam sibi illam habeat, et tamen ut aliud quid » intellegatur ab ipsa et in ipsa, et cum ipsa adoretur.... Unus » enim ex ambobus est Christus (εἷς γὰρ ἐξ ἀμφοῖν ὁ Χριστός). »

3) ET VIDIMUS GLORIAM EIUS. Allusio ad Is. 40, 5; 66, 18 : καὶ ἥξουσι καὶ ὄψονται τὴν δόξαν μου. Is. 60. 2. — Ergo in Verbo incarnato Jehovah ipse apparuit!

4) QUASI UNIGENITI, id est, *qualis propria erat unigenito.*

5) UNIGENITI A PATRE, μονογενοῦς παρὰ πατρός. Joannes solus ita Christum vocat, hic et 1, 18; 3, 16. 18; 1 Jo. 4, 9. Quod, ait S. Thomas, « ostendit gloriae ejus singularitatem » super omnem creaturam. Deus plures habet filios in ordine naturae et gratiae, ipsos tamen *analogice;* Verbum unus filius *proprie*, utpote *unigenitus*. Valentiniani etiam inter aeones suos ponebant τὸν μονογενῆ, quem tamen alium faciebant quam τὸν λόγον (Iren, Haer. 1, 8, 5). Joannes unum eumdemque docet esse unigenitum et Verbum Dei. Cf. locos modo indicatos. — Dicitur etiam Christus *primogenitus* secundum naturam humanam : Rom. 8, 29 : *ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. De hoc vide Tolet., annot. 45.

PLENUM GRATIAE ET VERITATIS. Graece : πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας (Aliqui codices habent πλήρη). πλήρης refertur ad ὁ λόγος, ita ut, juxta aliquos, verba illa : *et vidimus... a Patre* sint in parenthesi; vel, juxta alios, subaudiendum sit : ὅς ἐστι (πλήρης). Idem sensus quoad substantiam. — Cf. Ps. 85 (86), 15 : רַב חֶסֶד וֶאֱמֶת. Idem Exod. 34, 6. Haec duo attributa apparent igitur in V. T. uti Jehovae propria. — Hic sensus est : Verbum, ditissima communicatione gratiae et veritatis harum se plenum comprobavit. Intendit enim evangelista exponere quid Verbum inter homines praestiterit. Est autem quoad nos plenum *gratiae*, quia per illud datur omnis gratia salutis, ut Ephes. 1, 6 sq; *veritatis* seu fidelitatis, quia Dei promissa messianica per incar-

Digitized by Google

nationem suam fidelissime implevit. — Cf. Jo. 1, 16 : *de plenitudine eius nos omnes acepimus;* Col. 2, 9 : *in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*

V. 15. IOANNES TESTIMONIUM PERHIBET DE IPSO... Proprio suo testimonio, quod v. 14 exhibuit, evangelista jam addit testimonium Baptistae. Joannem hunc *Baptistam* esse, patet ex collatis Jo. 1, 27; Marc. 1, 7. 4; Luc. 3, 2. 16. — Tempus praesens adhibet evangelista tamquam historiographus. — ET CLAMAT, κέκραγε, tempore perfecto : disertum indicat et sollemne testimonium. κράζειν, hoc sensu adhibitum, vocabulum est S. Joanni proprium. — HIC ERAT QUEM DIXI... Jesum tunc digito monstrabat, ut patet ex versiculis 29 et 30, ubi ejusdem testimonii adjuncta historica exponuntur. — QUI POST ME VENTURUS EST, adventu vitae publicae, apostolicae, sub quo solo respectu adventus Christi adventui Baptistae poterat comparari. Quo sensu Baptista erat *praecursor* Jesu. — ANTE ME FACTUS EST : QUIA PRIOR ME ERAT, ἔμπροσθέν μου γέγονεν· ὅτι πρῶνός μου ἦν. Circa interpretationem diversae sunt sententiae.

1ª sententia. (Patrizi). ἔμπροσθεν et πρῶτος sonant prioritatem *temporis;* vel etiam ἔμπροσθεν prioritatem *loci.* Sic gallice : *Celui qui vient derrière moi, m'a précédé : parce qu'il existait avant moi.*

Rationes. 1) Quia ὅτι πρῶτός μου ἦν ab ipso Baptista additur suo testimonio quod refert, et de quo v. 27 (cf. v. 30). Ergo censendus ille conceptus implicari in ἔμπροσθέν μου γέγονεν. — 2) Locus parallelus : Matth. 11, 10 : Ἰδοὺ ἐγω ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου. — 3) In N. T. numquam ἔμπροσθεν dicitur de potiori dignitate; in V. T. semel ita potest, at non debet accipi : Gen. 48, 20 : κὰι ἔθηκε τὸν Ἐφραΐμ ἔμπροσθεν τοῦ Μανασσῆ.

2ª sententia. (S. August., S. Thom., Beelen, Haneberg). ἔμπροσθεν dicitur de *potiori dignitate,* πρῶτος de *prioritate tem-*

Digitized by Google

poris. Ita fere : Tempore quidem post me apparebit; at gloria et honore ante me erit, quia ante me, utpote ab aeterno, exsistebat.

Rationes. 1) Secus tautologia : *factus est ante me quia erat ante me*; vel : *dignior me factus est quia dignior me erat.* — 2) Gen. 48, 20 (vide supra). Sensus probabilior de potiori dignitate. — 3) Locus parallelus : Matth. 3, 11; Marc. 1, 7; Luc. 3, 16, ubi : ἰσχυρότερός μου ἦν. — 4) V. 27° statim sequitur : *cuius non sum dignus*... — 5) Sic Baptista etiam ipse testatur aeternitatem Verbi.

3a sententia. (Chrysost., Cyrill., Tolet., Luc. Brug., Ad. Maier). Utrumque de *potiori dignitate.* Ita : Tempore quidem post me apparebit, at gloria anteponetur mihi quia dignitate potior me erat.

Rationes. Fere sicut pro 2a sententia; tautologiam negant : *praeferetur* quia *dignior.* Aliud enim sonat γέγονεν, aliud ἦν.

In sententiis 2a et 3a perfectum γέγονεν habetur ut praeteritum propheticum pro futuro, vel ut praeteritum in praedestinatione.

Praeplacet sententia secunda, praecipue ob rationes 3, 4, 5.

N. B. Ariani istud γέγονεν urgebant ut Verbum creaturam probarent. At nulla difficultas, quia non de *generatione,* sed de *manifestatione* sermo est.

V. 16. ET DE PLENITUDINE EIUS OMNES NOS ACCEPIMUS. — ET, καὶ in textu « recepto » at vera lectio ὅτι, *quia.* — Redit evangelista ad conceptum suum versus 14 : πλήρης etc.; postea versu 19 et sq. testimonii Joannis Baptistae adjuncta expositurus. (Aliqui post Athan. et Cypr. volunt haec usque ad v. 19 esse verba Baptistae. Sed, ait Patrizi, Baptista dixisset ληψόμεθα, non ἐλάβομεν. Deinde vide infra v. 27 et sq., ubi de eodem testimonio nihil simile refertur). — PLENITUDO haec est *gratiae et veritatis* ut v. 14 (1).

(1) πλήρωμα vocabulum est apud gnosticos celebratissimum, sed alio prorsus sensu ac praesenti loco adhibitum. Sonat enim apud eos divinae substantiae se evolventis et in se redeuntis *plenitudinem* pantheisticam.

Digitized by Google

S. Chrysost. (in h. l.) : « Non habet, inquit, doni erogandi » consortem, sed ipse fons, ipsa radix est bonorum omnium, ipsa » vita, ipsa lux, ipsa veritas, qui bonorum divitias non in se reti- » net, sed in alios omnes effundit, et postquam effudit, plenus » remanet, nihil minus habens postquam aliis elargitus est, sed » semper scaturiens et aliis bona impertiens, in eadem manet per- » fectione. »

ET GRATIAM PRO GRATIA, καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος. — Καί est hic exegeticum pro *scilicet*.

Quaeritur quid sit ***gratia pro gratia.***

R. 1ª *sententia.* *Evangelica gratia pro mosaica* (Cyrill., Chrysost., Patrizi). Ita ob vers. 17.

Contra est, in Scriptura Legem nunquam dici *gratiam*, sed ei potius opponi, ut v. 17; Rom. 6, 14; Gal. 2, 21 etc.

2ª sententia. *Gratia gloriae pro gratia fidei* (Aug.). Ita, juxta Eph. 2, 8 : *Gratia enim estis salvati per fidem*, et Rom. 6, 23 : *Gratia autem Dei vita aeterna*.

Contra est, *gloriam*, ut sic, *gratiam* vocari non solere.

3ª sententia. *Gratia* nobis *data pro gratia* Christo *plene communicata* (Tol., Luc. Brug.). Ita juxta Rom. 5, 15 : *Multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit.* Et optime respondet v. 14° et 16° in prima parte.

4ª sententia. *Gratia abundantissima.* Ita ex hebraismo, חֵן תַּחַת חֵן, ut gallice : *grâces sur grâces*, gratiarum series, in qua una gratia aliam quasi appellet, secundum modum divinae benignitatis et liberae hominum cooperationis (Beelen, Haneberg, Schanz, Maier). — Graecae linguae indoles etiam hunc sensum non excludit. Nam Theognis, Xenophon et Chrysostomus sic ἀντί adhibent.

Praeplacet haec sententia 4ª. — Etiam 3ª admitti posset.

V. 17. QUIA LEX PER MOYSEN DATA EST; GRATIA ET VERI

Digitized by Google

TAS PER IESUM CHRISTUM FACTA EST. Confirmatur propositio praecedens, et oeconomia christiana per antithesim commendatur. *Moyses* dedit *legem*, quae per se nullam sanctitatem praestabat; *Jesus Christus* attulit *gratiam et veritatem*, unde omnis justitia et sanctitas credentium in eum. — Haec, ut videtur, contra ebionitas dicit, vel certe contra sectam aliquam judaizantium. Quae doctrina a S. Paulo evolvitur in epistolis ad Romanos, ad Galatas et ad Hebraeos.

V. 18. DEUM NEMO VIDIT UNQUAM visione intuitionis divinae essentiae, quod verum est de omni homine viatore; vel visione comprehensionis, quae creaturae qualicumque est incommunicabilis. Ita 1 Tim. 6, 16 : *Quem nemo hominum vidit nec videre potest.* Haec visio soli Unigenito competit et de eo implicite hic praedicatur. — Sequitur in mente evangelistae : ergo nemo veritatem divinam de visu testari potest : hinc solus UNIGENITUS FILIUS QUI EST IN SINU PATRIS, ejus essentiae consubstantialis, IPSE vidit Patrem Deum et nobis vera de Deo ENARRAVIT.

NEMO, intellege : *nullus homo,* vel etiam, *nulla creatura.* — IN SINU PATRIS, εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός (De praepositione εἰς, hic adhibita, vide Beelen, *Gramm. graecit. N. T.*, p. 444. 445). Sensus : *qui Patri artissime unitus est.* Consubstantialem Patri Filium docet, duplicemque innuit naturam : qui enim habitabat in nobis est perpetuo in sinu Patris. — In sinu Patris EST, perpetuo ab eo genitus,

S. Chrysost. (in h. l.) : « Cum dixisset enim : *Deum nemo* » *vidit unquam*, non addidit : Filius qui vidit, narravit; sed » aliquid aliud amplius, quam videre, posuit, cum dixit, *qui* » *est in sinu Patris :* multo enim amplius quam videre, est » esse in sinu Patris. .... Non enim aliquem alterius substantiae » Pater in sinu habuerit; neque ille auderet, si servus et ex » aliorum numero esset, in sinu Patris versari : hoc enim veri » filii tantum est, qui multa fiducia cum genitore utatur nihil» que minus quam ille habeat. »

Digitized by Google

Alii, ut prophetae, apostoli etc., et ipsi *enarrarunt* : at non ut testes de visu, sed ut qui ab unigenito Verbo audierant.

Multorum veterum Patrum propositio : « Patrem esse undequaque invisibilem, Filium vero visibilem », prout jacet falsa est; vera videtur eo sensu, quod omnes theophaniae per Filium aliquo modo factae sint. Utrum necessario per Verbum fieri debuerint, non liquet.

Plures in Scriptura dicuntur Deum vidisse, at non intuitive. Hic sermo est de ea visione de qua et Paulus, 1 Tim. 6, 16 : *Lucem inhabitat inaccessibilem.* Cf. Jo. 6, 46; 14. 6.

Nonnulli Patres graeci legunt : ὁ μονογενὴς Θεός (Cyrill. Alex., Epiph., Iren., Basil. etc.). Idem legit Peschito : ܝܚܝܕܝܐ ܐܠܗܐ. Sed syriaca Curetonii habet, ut textus receptus et Vulgata : ܝܚܝܕܝܐ ܒܪܐ. Haec censenda est vera lectio, secundum usum loquendi S. Joannis. Cf. Jo. 3, 16. 18; 1 Jo. 4, 9. Altera tamen notanda erat ob momentum ejus dogmaticum.

APPENDIX

Paraphrasis exegetica Jo. I, 1-18

In principio, quo tempus esse inciperet, jam erat Verbum, et Verbum erat apud Deum (primam in divinitate Personam, persona ab eo distincta), et Deus, divinam scilicet naturam habens, erat Verbum. Hoc Verbum erat in principio temporis apud Deum (primam Personam). Omnia creata per ipsum *esse* consecuta sunt, et sine illo nihil fuit eorum quae *esse* acceperunt. In ipso ceu in fonte divino erat vita supernaturalis, et haec vita fuit hominibus lux (per donum fidei), et lux illa fidei lucet perpetuo in tenebris ignorantiae et peccati, et tenebris illis obvoluti homines eam non susceperunt.

Fuit homo aliquis missus a Deo, cui nomen erat Joannes.

Digitized by Google

Hic venit in mundum tamquam testis, ut testimonium perhiberet de lumine illo superno, ut omnes crederent per ejus ministerium. Non erat ille ipse lux, sed testis tantum per quem lux innotesceret. Verbum autem erat lux vera (excellentissima) quae (per influxum gratiae suae) illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum per vitam temporalem. In mundo erat Verbum (sese per creaturas ut causa per effecta manifestans), et mundus per ipsum factus est, et tamen mundus illud non agnovit creatorem suum. (Postea) in propria, in medium populi sui Israel, venit (humana carne indutum), et suus ille populus illud non recepit ut Messiam suum.

Quotquot autem illud tamquam salutis auctorem receperunt, aptos fecit ad filiationem divinam in se suscipiendam. Tales sunt qui credunt in illud (ut in vitae aeternae fontem), qui non ex humano sanguine (ut ex causa materiali) neque ex voluntate carnis (ut ex causa efficiente per naturalem concupiscentiam) neque ex voluntate viri (ut ex causa efficiente intellectiva libere generationem procurante), sed ex Deo (ut ex una et adaequata causa spirituali) nati sunt.

Et Verbum caro factum est (humanam naturam sibi in unitate personae propriam assumens), et habitaculum sibi fecit in medio nostri, et nos ejus discipuli vidimus gloriam divinitatis ejus (sese per effecta manifestantem), gloriam talem qualis est propria Filii unigeniti ex Patre (Deo) nati, — habitavit, inquam in nobis plenum gratiae et veritatis (gratiae in nos effundendae fons plenissimus et Dei in promissis praestandis fidelitatem in se plenissime manifestans).

Joannes testimonium perhibet de ipso (ut de Filio Dei) et clamat, dicens : « Hic erat de quo olim dixi : Qui tempore post me apparebit (publicum suum ministerium exercens), gloria et honore mihi praelatus est, quia ante me (ab aeterno) exsistentiam habebat. »

Et de plenitudine gratiae et veritatis ejus omnes nos accepi-

Digitized by Google

mus; gratiam scilicet abundantissimam. Lex quidem olim per Moysen data est, gratia vero et veritas per Jesum Christum factae sunt nobis. (Et quidem per Jesum Christum solum haec nobis dona advenire poterant : nam) nemo unquam vidit Deum visione intuitionis, ut in divina essentia gratiam et veritatem disceret : Unigenitus qui est in sinu Patris (Patri consubstantialis), ipse (divina consilia) enarravit nobis.

SCHOLION DOGMATICUM

A) Ex hoc prologo S. Joannis apte demonstratur secunda in Deo hypostasis, quae et ipsa *Deus* sit ac proinde primae hypostasi consubstantialis; et cum haec ipsa secunda Dei hypostasis caro facta alius non sit ac Jesus-Christus, ut patet ex Jo. 1, 14-18, hinc et ***divinitas Christi*** ex eodem prologo luculenter demonstratur. Quomodo haec demonstratio procedat optime habet Franzelin (*De Verbo incarn.*, thesi 8) : « Singula doctrinae capita de Jesu Christo Vero Deo Deique Filio... in unum quodammodo collecta verticem conspiciuntur Jo. 1, 1-18. Hoc enim loco is qui in tempore caro factus est docetur esse Deus, Deus aeternus, Deus creator universi, Deus auctor gratiae et ordinis supernaturalis, Deus cui supremus cultus debetur; qui nihilo tamen minus a Deo Patre distinctus et a Deo Patre genitus, ejus est Verbum et unigenitus Filius. »

Objicientibus rationalistis, non ostendi *ex hoc solo prologo* omnimodam aequalitatem et identicam naturam Verbi cum Deo Summo : Philonem enim, aliosque ejusdem scholae Judaeos, etiam τὸν λόγον vocare *Deum*, divinitatisque attributis praeditum celebrare, et nihilominus Deo Summo eum facere inferiorem : ergo et Joannem, Philoni coaevum, idem potuisse de Verbo sentire; — respondemus : ex supradictis satis apparere discrimen inter Philonis et Joannis de Verbo doctrinam : ergo immerito supponi,

Digitized by Google

evangelium vocibus iis, quae per se summam deitatis naturam designent, voluisse naturam inferiorem describere.

Quod si urgeant : plura tamen inter Philonem et Joannem circa doctrinam Verbi esse similia, adeoque supponi posse, apud eos exsistere etiam similitudinem conceptuum circa Verbi intimam naturam; convincendi jam erunt ex aliis Scripturae locis : sive ex Joannis 5, 17-19; 10, 30; 14, 7-11; sive ex Heb. 1, 10-12 (ubi de Christo asseruntur dicta quae in V. T. de ipso Jehovah praedicantur); sive ex Rom. 9, 5 (cujus loci genuinus sensus optime vindicatur), ubi Christus dicitur ὁ ἐπὶ πάντων Θεός. His igitur locis stabilito sensu quo apostoli nomen *Dei* Christo tribuunt, nulla jam specie poterunt adversii eidem nomini *Dei* in prologo Joannis alium sensum improprium affingere.

*B) **Ontologistae*** aliqui frustra systemati suo argumentum quaerunt in Jo. 1, 9 : ***Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*** Nam haec *lux* non est ***naturalis*** rationis illuminatio, sed *supernaturalis* per lumen fidei mentis illustratio. — Sed ex altera parte, contra eos nimis urgendus non est v. 18. Potest enim intellegi de visione *comprehensiva* tantum; et etiamsi de *intuitiva* exponatur, haec *beatorum* visio est, qualem ontologistae sibi non tribuunt : dicunt enim se videre Deum non secundum omnia attributa, sed tantum ut est *summa veritas* et *supremum rerum exemplar*. Quamvis et haec evasio per distinctionem virtualem inter essentiam Dei ejusque attributa logice defendi nequeat.

Testimonia Joannis Baptistae

19. ***Et hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et Levitas ad eum ut interrogarent eum : Tu quis es?*** **20.** ***Et confessus est, et non negavit : et confessus est : Quia non sum ego Christus.*** **21.** ***Et interrogaverunt eum : Quid ergo? Elias es tu? Et dixit : Non sum. Propheta***

Digitized by Google

es tu? Et respondit : Non. **22.** *Dixerunt ergo ei : Quis es ut responsum demus his, qui miserunt nos? Quid dicis de teipso?* **23.** *Ait : Ego vox clamantis in deserto : Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta.* **24.** *Et qui missi fuerant, erant ex Pharisaeis.* **25.** *Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei : Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* **26.** *Respondit eis Ioannes, dicens : Ego baptizo in aqua : medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.* **27.** *Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est : cuius ego non sum dignus ut solvam eius corrigiam calceamenti.* **28.** *Haec in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans.* **29.** *Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, et ait : Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* **30.** *Hic est, de quo dixi : Post me venit vir, qui ante me factus est : quia prior me erat.* **31.** *Et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.* **32.** *Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens : Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de caelo, et mansit super eum.* **33.** *Et ego nesciebam eum : sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* **34.** *Et ego vidi : et testimonium perhibui quia hic est Filius Dei.*

V. 19. Testimonium Baptistae nunc cum omnibus adjunctis exponit. — IUDAEI, Judaeorum primores, membra synedrii, ad quos spectabat jus explorandi praedicatorum auctoritatem.

V. 20. Respondet primum quid non sit : NON SUM EGO CHRISTUS; quasi implicite significans : « sed alius apparuit jam qui est Christus. » Responsio supponit Baptistam tunc a Judaeis pro Messia haberi coepisse. Sed et scopo evangelistae haec responsio favet contra haeresim joannistarum. Cf. Luc. 3, 15 : *Existimante*

Digitized by Google

autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus.

V. 21. Interrogatio de ELIA ex male a Judaeis intellecto Mal. 4, 5 : *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.* — PROPHETA ES TU? ὁ προφήτης, ille determinatus per vaticinium Moysis, Deut. 18, 15 : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies.* Qui ipse debebat esse Messias (ut constat ex Act. 3, 22. 23); sed quem Judaei illi alium a Messia putabant. Alii tamen hoc vaticinium de Messia intellegebant. Cf. Jo. 1, 45; 6, 14; 4, 25; Act. 7, 37. Baptistam fuisse prophetam (*un prophète*) ipse Salvator testatur, Matth. 11, 9 : *Prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam.*

V. 23. Sibi Baptista applicat Is. 40, 3, ubi sensu litterali agi nobis videtur de salute messianica praeparanda (1). DIRIGITE, εὐθύνατε, *planam facite*, viam Salvatori facilem reddite, id est disponite vos ad eum recipiendum. — Admiranda plane S. Joannis Baptistae in hoc responso humilitas.

V. 25. QUID ERGO BAPTIZAS...? Haec tacitam reprehensionem continens interrogatio, quaeque pharisaeorum supercilium prodit, ita ex praecedentibus nascitur : Norant legisperiti futuram tempore Messiae ablutionem per aquam in paenitentiam, secundum Ezech. 36, 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Et Zach. 13, 1 : *In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris.* Hanc autem ablutionem non nisi per ipsum Messiam vel per eos qui Messiae comites praedicti fuerant fieri posse putabant.

V. 26. RESPONDIT ... EGO BAPTIZO IN AQUA. EGO, gallice : *Quant à moi.* — IN AQUA tantum, ac proinde non eo baptismo

(1) Beelen, Van Steenkiste et alii nonnulli sensum litteralem exponunt de solvenda captivitate babylonica, sensum typicum de salute messianica.

Digitized by Google

quem praedixere prophetae. Ad alium pertinet *verum* hoc baptisma : MEDIUS AUTEM VESTRUM STETIT QUEM VOS NESCITIS (STETIT, ἕστηκε, sensu praesentis). Addit Matth. 3, 11 : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, et igni* die scilicet Pentecostes; vel, ut aliis placet, igni vos ut metallum purissimum mundante. — Evangelista quartus responsi partem primam solam memorat. — MEDIUS.... Joannes Baptista pronuntiat Messiam jam apparuisse, et inter Judaeos versari, quamvis etiamnum ignotum. Cf. Is. 12, 6 : *quia magnus in medio tui sanctus Israel.*

V. 27. IPSE EST QUI POST ME VENTURUS EST : Ipsius ego sum praecursor, et sic explicatur quomodo sit *vox clamantis...* Est idipsum testimonium tunc primum prolatum, quod postea commemorat Baptista v. 30 et evangelista v. 15. — CUIUS EGO, qui vulgi judicio magnus aliquis videor, NON SUM DIGNUS UT SOLVAM.... Cf. Matth. 3, 11; Marc. 1, 7; Luc. 3, 16. Sensus : « non sum dignus ut vel infimum servi obsequium Messiae praestem. » Cf. Ps. 59, 10, ubi similis conceptus.

V. 28. Indicatur in fine *locus*, BETHANIA. Textus receptus : βεθαβαρᾷ. Ita et multi codices et Patres et syr. Curet. Verior tamen lectio est βηθανίᾳ, ut etiam habet Peschito. Videtur locus utrumque nomen gessisse (Juxta Beelen, בֵּית אֳנִיָּה, *schiphuis;* בֵּית עֲבָרָה, *vaarhuis*). — TRANS IORDANEM, id est, in ea regione orientali Palaestinae quae Peraea dicebatur. Alia est Bethania Judaeae prope Jerusalem. — Locum meminit ut omnibus constaret publicum fuisse testimonium.

V. 29. « Supra Joannes perhibuit testimonium Christo interrogatus : hic vero perhibet aliud testimonium Christo spontaneus. » (S. Thom.). — ALTERA DIE, postridie. — VENIENTEM AD SE, non tunc primum, siquidem multo antea venerat ab eo baptismum petens. Cf. v. 32. 33. Veniebat, ut videtur, e deserto, postridie primos suos apostolos vocaturus (v. 39). — Veniebat ut « testimonium Joannis certificaretur. » (S. Thom.). — Et paula-

Digitized by Google

tim accedentem Jesum digito monstrans, AIT : ECCE AGNUS DEI, ὁ ἀμνός (cum articulo), notus ex Is. 53, 7. 11. 12. — DEI, a Deo destinatus ut per sui immolationem mundum Deo reconciliet. Cf. 1 Jo. 2, 2 : *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris*; 1 Pet. 2, 22. 23 : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius ... tradebat autem iudicanti se iniuste*; Act. 8, 32 : *sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum*. Ille agnus Messias esse noscebatur.

V. 30. HIC EST... Commemorat v. 27 et complet, addens : QUIA PRIOR ME ERAT. Idipsum testimonium evangelista citavit v. 15, ubi vide explicatum.

V. 31. ET EGO NESCIEBAM EUM. Haec addit ad robur testimonii : sola divina revelatione se didicisse, hunc virum Jesum esse Messiam. Sciebat et jam venisse Messiam et se eum praedicare debere, sed facie eum nesciebat: cum autem venisset ad se baptismum petens, revelatione interna primum eum agnovit et visione Spiritus sancti, ut signo item per revelationem praecognito, in eadem notitia confirmatus est. Licet cognatus Jesu, eum tamen nondum obviam habuerat, Deo sic providente quo credibilior Messiae testis esset.

N. B. Alii aliter hunc locum explicant. Discutere hic non vacat. Videsis Toletum.

SED UT MANIFESTETUR ... En scopus baptismi Joannis *in aqua* tantum. Ita scilicet : *a)* ut sic Christus a Joanne baptizatus a Patre declararetur; — *b)* ut novitate hujus ritus perculsi populi intellegerent jam impleri Ezech. 36, 25; — *c)* ut populus per paenitentiam ad recipiendum Christum disponeretur; — *d)* ut ratione baptismi major ad Joannem fieret concursus et sic testimonium manifestius evaderet.

Nota : IN ISRAEL, nam missio Joannis non erat ad gentes.

V. 32. 33. ET TESTIMONIUM PERHIBUIT. Non novum est, sed ejusdem continuatio. Verba ab evangelista interjecta sunt ad emphasim. — QUIA VIDI SPIRITUM ... Haec supponunt notam

Digitized by Google

quarti evangelii lectoribus historiam baptismi Christi a Synopticis narratam, Matth. 3, 13-17; Marc. 1, 9-11; Luc. 3, 21. 22. — HIC EST QUI BAPTIZAT IN SPIRITU SANCTO : oppositio ad superius dictum, v. 31 : *in aqua*. — Sensus : hic est qui Spiritus sancti dona in suos effundet. — His verbis, ut videtur, alludit ad sacramentalem baptismum Christi.

S. Augustinus multis in h. l. disserit de *columbae* specie sub qua apparuit Spiritus sanctus.

V. 34. ET, *igitur*, EGO VIDI, ET TESTIMONIUM PERHIBUI. Graece μεμαρτύρηκα, tempus perfectum, indicans testimonium absolutum. — FILIUS DEI, ὁ υἱός. Ita, quia haec vox Patris in baptismo Christi audita fuerat. ὁ υἱός (cum articulo) non adoptionis, sic enim multi; ergo naturalis, ergo et ipse Deus. Consubstantialitatem tamen Christi cum Patre Joannem hic populum docere voluisse non constat. Docere certe voluit Jesum esse Messiam, qui ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ vocari solebat. Cf. Ps. 2, 7 : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Jo. 1, 49 (1).

Vocatio primorum discipulorum

35. *Altera die iterum stabat Ioannes, et ex discipulis eius duo.* 36. *Et respiciens Iesum ambulantem, dicit : Ecce agnus Dei.* 37. *Et audierunt eum duo discipuli loquentem, et secuti sunt Iesum.* 38. *Conversus autem Iesus, et videns eos sequentes se, dicit eis : Quid quaeritis? Qui dixerunt ei : Rabbi, (quod dicitur interpretatum Magister) ubi habitas?* 39. *Dicit eis : Venite, et videte. Venerunt, et viderunt ubi maneret, et apud eum manserunt die illo : hora autem erat quasi decima.* 40. *Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant a*

(1) Plenissimam de Joanne Baptista tractationem videsis apud R. D. Van Steenkiste, *Commentarius in Evangelium S. Matthaei*, 3a edit., p. 153-172.

Digitized by Google

Ioanne, et secuti fuerant eum. 41. *Invenit hic primum fratrem suum Simonem, et dicit ei : Invenimus Messiam. (quod est interpretatum Christus.)* 42. *Et adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus, dixit : Tu es Simon filius Iona : tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* 43. *In crastinum voluit exire in Galilaeam, et invenit Philippum. Et dicit ei Iesus : Sequere me.* 44. *Erat autem Philippus a Bethsaida, civitate Andreae, et Petri.* 45. *Invenit Philippus Nathanael, et dicit ei : Quem scripsit Moyses in lege, et Prophetae, invenimus Iesum filium Ioseph a Nazareth.* 46. *Et dixit ei Nathanael : A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus : Veni, et vide.* 47. *Vidit Iesus Nathanael venientem ad se, et dicit de eo : Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* 48. *Dicit ei Nathanael : Unde me nosti? Respondit Iesus, et dixit ei : Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.* 49. *Respondit ei Nathanael, et ait : Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.* 50. *Respondit Iesus, et dixit ei : Quia dixi tibi : Vidi te sub ficu, credis : maius his videbis.* 51. *Et dicit ei : Amen, amen dico vobis; videbitis caelum apertum, et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis.*

V. 35. Incipit exponi electio primorum Christi discipulorum, quos Baptista ei paraverat et ad Jesum sequendum induxerat.

V. 37-40. SECUTI SUNT ex admirabunda curiositate. Vellent eum alloqui, at non audent. Quam suaviter Jesus eos praevenit! — RABBI interpretatur evangelista, quia Asiae christiani aramaice nesciebant. — HORA... QUASI DECIMA, id est duae horae ante solis occasum. Judaei inter solis ortum et occasum numerabant semper horas duodecim; quae proinde pro variis anni temporibus variae erant durationis. Igitur cum prope esset nox, apud Jesum hospitati fuisse videntur. — Unum ex his disci-

Digitized by Google

pulis nominat, alterius nomen tacet : unde fuisse conjicitur ille ἄλλος μαθητής, saepe inductus, nunquam nominatus, qui ipse evangelista erat. Fuit ergo Joannes evangelista discipulus Joannis Baptistae (vide *Prolegomena*, p. 7). Postea ad assiduam Christi sequelam vocatus est Joannes et frater ejus Jacobus, ut refert Matthaeus, 4, 21. 22.

V. 41. INVENIT HIC PRIMUM (graece πρῶτος) FRATREM SUUM SIMONEM. Et alter discipulus fratrem habebat, Jacobum; at Andreas primus fratrem suum sollicite quaesitum, ut statim tanti nuntii eum certiorem faceret, invenit (εὑρίσκει), et revelatam sibi cum a Baptista tum ab ipso Jesu veritatem fratri communicat : INVENIMUS MESSIAM. Aramaice מְשִׁיחָא, hebraice מָשִׁיחַ. Nomen hoc aramaicum retinet evangelista ob rei momentum. Ita Judaei liberatorem suum exspectatum vocare solebant : Jo. 4, 25; Matth. 16, 16; 22, 42; Marc. 14, 61; 15, 32; Luc. 2, 11. 26; 3, 15; 23, 2. 35. 39; Jo. 7, 41. 42, etc. Significat *unctus*, sicut χριστός, id est, speciali consecratione ad munus aliquod theocraticum deputatus.

V. 42. ET ADDUXIT... Exemplum zeli apostolici! — INTUITUS AUTEM, antequam aliquid diceret (unde probatur Jesu omniscientia) : TU ES SIMON FILIUS IONA (1) (שִׁמְעוֹן; יוֹנָה); sed et praescientiam suam ostendit, addens : TU VOCABERIS CEPHAS (aramaice כֵּיפָא ab hebraico כֵּף), id est *petra*.

Inde desumpta est masculina forma, etiam apud Graecos profanos usitata, πέτρος. Quod Christus hic praedicit futurum, id postea ipse eventu complevit, ubi e discipulis selegit duodecim apostolos. Ita Marc. 3, 14. 16 : *Et fecit ut essent duodecim cum illo... Et imposuit Simoni nomen Petrus*. Tandem nominis sym-

(1) Sunt qui velint, *Iona* contractum esse pro *Ioanna* (Ioannes). Nota tamen duo nomina aramaica יוֹנָה, *columba*, et יוֹחָנָן, *Dominus propitius*.

Digitized by Google

bolum ipse declaravit Matth. 16, 18 : *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.*

Nomen hoc a Christo praedictum, impositum, declaratum, rem sane momentosam valde designarit oportet. Et re quidem vera, impositio nominis alicui a Deo concessa semper aliquid magni ei conferendum portendit et singularem denotat praerogativam. Ita Gen. 17, 5, ubi Abram vocatur *Abraham* (pater multitudinis); 32, 28, ubi Jacob vocatur *Israel* (praevalens Deo); Num. 13, 17, ubi Osee vocatur *Josue* (Dominus salvator); Matth. 1, 21 et Luc. 1, 31, ubi ipsi Christo nomen *Iesus* divinitus datur et declaratur. Ergo et nomen *Petrus* Simoni, eo praesertim qui dictus est modo, divinitus datum, denotat ei conferendam praerogativam quamdam eximiam, ei personalem neque ei cum ullo alio ex apostolis communem. Haec autem, secundum usum Scripturae et Christi explicationem, est praerogativa *singularis firmitatis*, qua vel ipse polleat vel cui spirituale aliquod aedificium superstrui valeat. Illud utique spirituale aedificium est ecclesia Christi, secundum Matth. 16, 18. Totam hujus significationis rationem assequi non debuerunt discipuli quando nomen *Petri* primum praedicebatur Simoni imponendum; insignem certe fore quamdam in Simone firmitatem tunc jam concludere poterant.

Simoni et Andreae hoc praeambulum fuit plenioris vocationis, quam vide narratam Matth. 4, 18 et Marc. 1, 16.

V. 43. IN CRASTINUM, postridie, INVENIT, id est obviam habuit...

V. 44. ERAT AUTEM PHILIPPUS A BETHSAIDA... BETHSAIDA Galilaeae ad ripam maris Tiberiadis. Patriam indicat, vel ad accurationem historicam, vel ut insinuet Philippi animum ab Andrea et Simone ad sequelam Christi fuisse dispositum.

V. 45. INVENIT PHILIPPUS NATHANAEL. (נְתַנְאֵל, *Deusdedit*). Hunc inter apostolos adnumerari a S. Joanne vix dubium esse potest. Cf. 21, 2, ubi promiscue cum apostolis locum obtinet. A Synopticis nomen hoc tacetur. Idem putatur ac Bartholomaeus,

Digitized by Google

qui in tribus catalogis (Matth. 10, 3; Marc. 3, 18; Luc. 6, 14) (1) statim post Philippum nominatur et cujus nomen in quarto evangelio non occurrit. — QUEM SCRIPSIT MOYSES, id est, de quo scripsit (Hellenismus est non sine exemplo apud classicos). Alludit ad vaticinum Moysis, Deut. 18, 15-19, ubi de *Propheta*. Id ut messianicum notissimum fuisse colligitur ex Act. 3, 22. 23 et ex nomine ὁ προφήτης, quod Messiae vel certe ejus praeconi insigni tribuebatur (vide ad v. 21). — FILIUM IOSEPH A NAZARETH. Ita Philippus secundum vulgarem opinionem loquitur, ignorans partum virgineum et Jesu natalem in Bethlehem. — Frustra ex hoc loco rationalistae argumentum quaerunt ad elevandam fidem Matthaei et Lucae de modo et loco nativitatis Christi. Utrumque factum non ignorabat Joannes, sed ignorabant Philippus, Jerosolymitani (Jo. 7, 42) etc.

V. 46. Legendum cum signo interrogationis. Sensus : A Nazareth loco tam ignobili, potestne aliquid boni ortum ducere? Cf. Matth. 13, 57. 58; Marc. 6, 6; Luc. 4, 29, ubi Nazarethani apparent duri, increduli, ingrati. — VENI, ET VIDE. Non disputat, sed ad Jesum ducit. Bonum exemplum iis sequendum qui cum bonae fidei incredulis agunt.

V. 47. VIDIT IESUS... Nathanael gratiam oblatam non rejicit, et a Jesu ob sinceritatem laudatur. — Totum hoc colloquium ad scopum evangelistae multum confert, ostendendo Christum absentia cognoscere et corda scrutari. — VERE ISRAELITA, id est, non genere tantum sed et moribus. — IN QUO DOLUS NON EST explicat adverbium ἀληθῶς.

V. 48. UNDE ME NOSTI? Interrogatio virum candidum prodit. Non tamen his verbis insinuat Nathanael se laudem Christi me-

(1) In catalogo Act. 1, 13 ab invicem separantur. Toletus, post S. Augustinum, negat apostolum esse Nathanaelem. — Patrizi per exclusionem ceterorum apostolorum bene ostendit identitatem *Nathanaelis* et *Bartholomaei*, id est, *filii Tholomaei*. Vide ejus comment., in h. l., p. 25.

Digitized by Google

reri. — RESPONDIT IESUS... indirecte, ostendens abscondita non latere sibi et sic potuisse se Nathanaelis cor intueri : PRIUSQUAM TE PHILIPPUS VOCARET, CUM ESSES SUB FICU, VIDI TE.

V. 49. Ex argumento scientiae supernaturalis Jesu, auxiliante divina gratia, Nathanael agnoscit vera sibi Philippum dixisse, et Jesum Messiam proclamat sub duplici recepto Messiae nomine. Utrum sub nomine ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ divinam Jesu naturam explicite agnoverit, affirmant alii, alii dubitant (Franzelin tenet Nathanael sub nomine ὁ υὸἰς τοῦ Θεοῦ confessum esse divinitatem Jesu, sub nomine ὁ βασιλείς τοῦ Ἰσραήλ qualitatem Messiae. *De Verbo incarn.*, thesi 3), plerique negant. Hoc enim mysterium ab ipso Christo plene revelandum fuisse videtur. In ipso tamen nomine jam implicita haec revelatio exsistebat.

V. 50. Jesus ejus fidem sibi ob hoc argumentum praestitam laudat et majora argumenta promittit quibus in fide confirmetur.

V. 51. Haec Jesus etiam adstantibus dicit. Quae sint haec MAIORA jam explicat. AMEN, AMEN DICO VOBIS. Duplex illud *amen* in formula assertoria est locutio S. Joanni propria. Synoptici in simili formula non nisi unum *amen* adhibent. Prophetae olim oracula proferebant invocata Jehovae auctoritate : « Haec dicit Dominus. » Jesus ex autoritate propria : *Ego dico vobis.* Cf. Heb. 1, 1.

VIDEBITIS CAELUM APERTUM, ET ANGELOS DEI ASCENDENTES ET DESCENDENTES SUPER FILIUM HOMINIS. Locus obscurus et vera crux interpretum. Unde multiplex expositio.

Alii exponunt verba sensu *proprio*, alii sensu *translato*.

Sensu proprio, et rursus non uno modo :

1) de angelis qui apparuerunt in horto Jesu agonizanti et ad sepulchrum post resurrectionem (Chrysost. cum schola ejus). — At illi angeli non ascenderunt sed descenderunt tantum super Filium hominis, nec fuere visi a discipulis.

2) de angelis qui apparuerunt in ascensione Domini (Item

Digitized by Google

Chrysost.). — At illi rursus descenderunt quidem, sed non ascenderunt super Filium hominis.

3) de angelis Christo post tentationem ministrantibus in deserto. Ascendere et descendere super aliquem, hebraismus est qui idem sonat ac : alicui ministrare (Cyrill. Alex.). — At illos angelos nulli ex discipulis viderunt.

4) de angelis Christo ministraturis in ultimo judicio (Maldonat.). Erit quidem hoc judicium, a Christo exercitum, insigne ejus divinitatis argumentum. — Modus tamen loquendi Christi in textu nostro videtur proponere discipulis aliquid in praesenti vita adimplendum.

5) Sunt qui putent hic a Christo praedici speciale quoddam et individuum vitae suae miraculum, quod quando impletum sit ignoretur. — At hypothesis haec est fere gratuita; et mirum certe foret, hujusmodi a Christo facti prodigii nullam inveniri in antiquitate mentionem.

Sensu translato, et iterum varie varii :

1) de angelis ministrantibus Christo in gubernanda Ecclesia, custodiendis hominibus et die judicii mortuos excitaturis et electos separaturis a reprobis (Tolet.). — At hoc ministerium, maximam partem occultum, quomodo tamquam signum potestatis Christi hominibus apparebit?

2) Angelos illos alii figurate intelligunt virtutes caelestes multiplices (δυνάμεις) quas Christus in miraculis suis edendis ostensurus esset (Beelen, Maier, Olshausen...). Prodigia scilicet solebant angelis tribui et aliquando, vel forte semper, angelorum adhibito ministerio fiebant. Cf. Jo. 5, 4, ubi de angelo movente aquam in piscina Bethsaidae; Matth. 28, 2, ubi angelus lapidem sepulcri revolvit; Act. 12, 7, ubi angelus educit Petrum e carcere; Dan. 3, 49, ubi angelus excutit flammam ignis de fornace babylonica; et Apoc. passim. — In his tamen ministeriis angeli invisibiles remanebant. Unde ergo potuit dicere Jesus : *Videbitis Angelos Dei ascendentes etc.?*

Digitized by Google

3) Alii provocant ad visionem patriarchae Jacob (Gen. 28, 12. 13), in qua vidit angelos ascendentes et descendentes scalam illam portentosam. Ad illam visionem dicunt fieri hoc loco evidentem allusionem : adeoque similem esse et visionis Jacobi et verborum Christi significationem. Cum ergo visio Jacobi, secundem contextum (Gen. 28, 13-15), designaret specialem Dei circa Jacob protectionem perpetuo manifestandam, ita et Filio hominis jugi adjutorio praedici Deum adfuturum, quod adjutorium per miracula praecipue fieri manifestum, juxta Nicodemi dictum Jo. 3, 2 (Haneberg, Hengstenberg, Kuinoel...). — At si a Jacobo angeli visi sunt, in illa circa Christum divina protectione certe nequaquam visibiles se praebuerunt. Unde non satis apparet duorum textuum Genesis et evangelii parallelismus realis.

4) S. Augustinus angelos vult esse *praedicatores*, ascendentes dum sublimia, descendentes dum simpliciora loquuntur. — At in tali praedicatione quid prodigii reperitur quod Christus tamquam signum suae missionis assumere potuerit?

In tanta opinionum varietate seligat lector eam quae sibi ceteris minus displiceat.

Digitized by Google

CAPUT II

Argumentum. Nuptiae in Cana Galilaeae et primum miraculum Christi (1-11). — Iter in Capharnaum (12). — Festo Paschatis Christus e templo jerosolymitano mercatores ejicit (13-17). — Qua occasione, a Judaeis provocatus, praedicit mortem et resurrectionem suam (18-22). — Jerosolymis multis miraculis sibi fidem facit. At cum sit scrutator cordium, Judaeis se non credit (23-25).

Nuptiae in Cana

1. ***Et die tertia nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae : et erat***
mater Iesu ibi. **2.** ***Vocatus est autem et Iesus, et discipuli eius***
ad nuptias. **3.** ***Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum : Vi-***
num non habent. **4.** ***Et dicit ei Iesus : Quid mihi, et tibi est***
mulier? nondum venit hora mea. **5.** ***Dicit mater eius ministris :***
Quodcumque dixerit vobis, facite. **6.** ***Erant autem ibi lapideae***
hydriae sex positae secundum purificationem Iudaeorum, capien-
tes singulae metretas binas vel ternas. **7.** ***Dicit eis Iesus : Im-***
plete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum. **8.** ***Et***
dicit eis Iesus : Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt.
9. ***Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non***
sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam :
vocat sponsum architriclinus. **10.** ***Et dicit ei : Omnis homo pri-***
mum bonum vinum ponit : et cum inebriati fuerint, tunc id,
quod deterius est : Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.
11. ***Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae : et ma-***
nifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius.

Digitized by Google

V. 1. ET DIE TERTIA ex quo Jesus e Judaea in Galilaeam abierat (1, 43). — NUPTIAE, convivium nuptiale. — CANA GALILAEAE. Additur GALILAEAE, secundum plures, ad distinctionem ab alia, quae erat in tribu Aser. Galilaea pars erat terrae Israel septentrionalis, Phoeniciae adjacens. — ET ERAT MATER IESU IBI, et quidem, ut ex sequentibus conjicitur, hujus convivii propriam sollicitudinem gerens; tunc jam vidua, secus cur S. Joseph non adfuisset? — Putantur sponsi consanguinei fuisse B. Virginis.

V. 2. VOCATUS EST AUTEM ET IESUS, supra numerum praevisum, ut videtur, quoniam illuc advenerat, et cum ipso DISCIPULI EIUS, illi quinque quos sibi adsciverat. Ex aucto numero explicatur defectus vini apud sponsos non divites. — Jesus invitatus venit, ut ostendat sanctum esse matrimonium. Ita Patres.

V. 3. ET DEFICIENTE VINO, DICIT MATER IESU AD EUM : VINUM NON HABENT. Mira B. Virginis caritas, fiducia, prudentia. Remedium qualecumque ab omnipotente filio exspectat. Quale, non dicit (Aliqui rationalistae volunt Mariam his verbis insinuasse filio suo ut cum discipulis recederet et sic sponsorum confusionem praecaveret. Contra est v. 5).

V. 4. QUID MIHI, ET TIBI EST, MULIER? Horum verborum statuendus est nobis sensus tum grammaticalis tum realis in mente Christi.

Quaeritur 1° de sensu ***grammaticali.***

R. *1ª sententia.* (Euthym., in h. l. et Tolet.). *Neque ad me neque ad te spectat de vini copia providere, sed ad sponsos invitantes.*

Contra est, praesentem enuntiationem esse certissimum hebraismum qui hunc sensum non habet.

2ª sententia. (August., Luc. Brug., Tol., Patrizi). *Quid mihi tecum commune est?* id est, in hoc negotio patrandi miracula : hoc enim pertinet ad naturam meam divinam, quam a solo Patre habeo, et secundum quam nihil mihi cum matre commune est.

Ita S. August. (in Jo., tract. VIII, 9) : « Dominus noster Jesus

Digitized by Google

» Christus, et Deus erat et homo : secundum quod Deus erat, » matrem non habebat; secundum quod homo erat, habebat. » Mater ergo erat carnis, mater humanitatis, mater infirmitatis » quam suscepit propter nos. Miraculum autem quod facturus » erat, secundum divinitatem facturus erat, non secundum in- » firmitatem; secundum quod Deus erat, non secundum quod » infirmus natus erat. »

Contra est *a)* Quod Jesus ipse aliter videtur dictum suum explicare, dicens : *Nondum venit hora mea.* — *b)* Videtur agi de relatione personae ad personam : et sic falsum est nihil esse commune inter Christum Deum et Mariam, matrem Dei. — *c)* Quod tamen a matre exoratus miraculum fecit. — *d)* Quod usus loquendi hunc sensum vix admittere videtur.

3a sententia. Sensus judicandus ex locis parallelis. Sunt autem : 1) 2 Sam. 16, 10. Petenti Abisai ut sibi liceat amputare caput Semei maledicentis Davidi, rex respondet : *Quid mihi, et vobis est filii Sarviae? dimittite eum ut maledicat.* Id est : quare me importune ad vindictam provocatis? — 2) 3 Reg. 17, 18. Vidua Sareptae, moriente filio suo, dicit ad Eliam : *Quid mihi, et tibi vir Dei? ingressus es ad me ut ... interficeres filium meum?* Prophetae ad se adventum importunum sibi esse manifestat, quippe quem filii mortis causam esse putet. — 3 Jud. 11, 12. Jephte ad regem Ammon : *Quid mihi, et tibi est, quia venisti contra me, ut vastares terram meam?* Id est : Quid habes tu contra me, quid jurgii inter nos? — 4) Jos. 22, 24 : *Cras dicent filii vestri filiis nostris : Quid vobis, et Domino Deo Israel?* Id est quam partem habetis cum Domino? — 5) 4 Reg. 3, 13. Eliseus impium regem Israel ipsius opem invocantem ita compellat : *Quid tibi, et mihi est? Vade ad prophetas patris tui et matris tuae.* Sensus patet : *Quid mihi molestus es?* — 6) 4 Reg. 9, 18. 19. Joram mittit nuntium obviam Jehu et ait : *Pacata suntne omnia?* Id est : Affersne pacem nobis? *Dixitque Jehu : Quid tibi, et paci? transi et sequere me.* Sensus : *Que*

Digitized by Google

vous importe la paix? Res agitur nunc temporis prorsus alia. Impedire vult Jehu ne quid de suo consilio Joramo innotescat, et ideo omnes nuntios ad se missos redire prohibet et se sequi jubet. — 7) 2 Par. 35, 21. Nechao rex Aegypti ita ad nuntios Josiae : *Quid mihi, et tibi est, rex Iuda? Non adversum te hodie venio*. Gallice fere : *Pourquoi me cherches-tu querelle?* — 8) Matth. 8, 29. Daemones ad Jesum : *Quid nobis, et tibi, Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos?* Id est : Quid nobis molestus es?... — 9) Luc. 8, 28 : *Quid mihi, et tibi est, Jesu Fili Dei Altissimi? obsecro te ne me torqueas.* — 10) Matth. 27, 19. Uxor Pilati : *Nihil tibi, et iusto huic*. Id est : Nullam ei fac molestiam.

Igitur similes illae locutiones designant relationem mutuam aliquo modo *importunam*, sive ex malevola sive ex benevola alterutrius intentione profectam. Ubi responsum fit propositioni alicui, significant formulae illae propositionem istam alteri accidere importunam. Ita et loco nostro exponendum videtur responsum Christi, quoad illius sensum mere grammaticalem : *Quid mihi molesta es, mulier?*

Quaeritur 2° de sensu ***reali*** horum verborum.

R. Jesum his verbis matrem impie contempsisse veteres ethnici jactabant, at a Patribus optime refutati fuerunt. Increpationem tamen Mariae legitimam his verbis contineri nonnulli Patres tenuerunt : ita S. Athanasius (Serm. 3 cont. arian., 41); S. Chrysostomus (in h. l.), qui tres dat rationes : 1) quia Maria volebat jure materno filio suo miraculum praecipere; 2) quia miraculum intempestive petebat; 3) quia ex vana gloria opera miraculosa Filii sibi aliquomodo tribui quaerebat. — Item S. Augustinus (in h. l.) dat primam harum rationum, omissis ceteris. (Greg. Nyss., Iren., Euthym.)

***Contra est** a)* B. Virginem ob aliquam culpam increpari meruisse catholicus jam tenere non potest post Trid. VI, can. 23 : « Si quis hominem... dixerit posse in tota vita peccata omnia,

Digitized by Google

» etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, ***quemad-***
» ***modum de Beata Virgine tenet Ecclesia***, anathema sit. » — ***b)*** Aliae duae rationes a Patribus datae non valent : nam B. Virgo nihil filio praecipit, sed, ut olim de morbo Lazari Martha et Maria, factum solummodo exponit; deinde ejus propositionem fuisse ***vere*** intempestivam admitti nequit; secus enim Jesus ei non obtemperasset neque ipsa mater contra filii notam voluntatem ministros ad eum misisset.

Alii, ut Maldonatus et Toletus, increpationem admittunt ***simulatam*** ad nostram instructionem : nihil scilicet Christum in iis quae Patris erant carnalis necessitudinis respectum habuisse. Cf. Luc. 2, 49 et Matth. 12, 48-50.

Contra est a) quod tamen ***matri*** petenti cessit. Ad quid ergo simulata increpatio? — ***b)*** quod secundum doctrinam catholicam Christus Mariae intercedenti multas gratias concedit ob idipsum quod ***mater sua*** est.

Melius ergo videtur dicendum nullam fuisse increpationem nec veram nec simulatam, sed dictum Jesu explicandum esse fere ut responsum Jehovae Moysi obsecranti (Exod. 32, 10) : ***Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos.*** Cui nihilominus deprecari pergenti populi veniam libentissime concessit. Vel etiam ut responsum S. Benedicti ad sororem suam Scholasticam : ***Parcat tibi omnipotens Deus, soror, quid est quod fecisti?***

S. Chrysostomus (in h. l.) : « In matris honorem id fecit, ne
» omnino ipsi repugnare videretur, ne ex imbecillitate id facere
» videretur, ne tanto adstante coetu matrem pudore afficeret :
» nam ministros ipsi obtulerat. »

S. Cyrillus Alex. (in h. l.) : « Praeterea, maximum esse illum
» honorem qui parentibus debetur, Christus ostendit, dum reve-
» rentia matris id faciendum suscipit, quod facere nolebat. »

Significat ergo Jesus petitionem matris ***sancte importunam, sanctam*** Filio ***vim*** inferentem, ita ut ob petitionem matris tempus patrandi miracula praevenire aliquomodo cogatur. Si mater

Digitized by Google

non petivisset, tardius coepisset miracula edere. Quae sancta matris importunitas quam grata sibi exstiterit Jesus ipse manifestavit, postulatum a se, et secus non patrandum, miraculum uni matri concedendo.

Juvat hic transcribere verba P. Patrizi in h. l. :

« Duo solummodo de Maria Christi matre Joannes narrat non qualiacumque, sed quae apprime cuique suadeant ut spem suam omnem fiduciamque secundum Christum in sanctissima Virgine securus ponat; idque ipsum efficere Joannem, atque adeo unum Joannem, ea narrando voluisse facile ille credet qui meminerit ut Joanni discipulo a Christo crucifixo jamque animam agente matris cura fuerit demandata, utque *ex illa hora* acceperit *eam discipulus in sua*. Primum duorum in hoc loco narratur; eoque docemur Deum, respectu Virginis hujus precum, ab omni aeternitate quaedam aliter fieri decrevisse ac fuisset decreturus si Virgo preces non interposuisset. »

Quaeritur 3° quid sibi velit appellatio ***mulier,*** γύναι.

R. Nullus in hac voce contemptus, ut patet ex Jo. 19, 26. Apud Graecos honoratissimae matronae ita compellabantur. Vide Xenoph. Cyrop. 5, 1, 6, ubi ad nobilem mulierem, Pantheam, uxorem Abradatae, ducis assyrii, sermo dirigitur appellatione eadem γύναι. Non dixisse eum, *mater*, plures volunt, quia agebatur de opere naturae divinae. Sed haec ratio ex supra disputatis parum congrua videtur, et certe Jo. 19, 26 non explicat, ubi matrem sub cruce stantem Jesus, ut homo, moriturus sic etiam compellat. Forte Jesus utraque occasione appellationem illam adhibuit ad *majorem* reverentiae significationem.

Quaeritur 4° quid significet : ***Nondum venit hora mea.***

R. Est haec expressio Joanni fere propria. Cf. 4, 21. 23; 5, 25. 28; 7, 30; 8, 20; 12, 23. 27; 13, 1; 16, 4. 21; 17, 1; Apoc. 9, 15; 14, 7. 15. Significat tempus ad aliquam rem Dei consilio praedefinitum. Non semper in ore Jesu *hora mea* sonat tempus *passionis,* sed exponendum est secundum subjectam materiam. Hoc

Digitized by Google

loco ***hora mea*** est tempus quod, praescindendo a petitione matris, praefinitum erat a Deo ut Jesus per miracula patrata tamquam Filius Dei clarescere inciperet. Absolute quidem venerat hora ejus, siquidem statim postea miraculum petitum fecit.

V. 5. B. Virgo, ex tenore vocis amicissimo et obsequentissimo quo Jesus verba illa dixerat, percepit velle eum petitioni matris concedere miraculum. Ideo ministros ad eum misit, utpote ad quos vinum propinandum directe spectaret; vel, ut aliquibus placet, interna revelatione edocta velle Jesum eis ad prodigium uti. Mira iterum Virginis fiducia, prudentia, simplicitas (1).

V. 6. ERANT AUTEM IBI LAPIDEAE HYDRIAE SEX POSITAE (2), SECUNDUM PURIFICATIONEM IUDAEORUM. Cf. Matth. 15, 2; 23, 25; Marc. 7, 2-5. — METRETA, mensura Graecorum pro liquidis, viginti saltem litrorum. — BINAS VEL TERNAS, id est aliae binas, aliae ternas. Unde tota quantitas vini inter 240 et 360 litra (3).

V. 8. ET DICIT EIS IESUS : HAURITE NUNC, ET FERTE ARCHITRICLINO, praeposito ministrantium, cujus erat vinum praegustare.

V. 10. INEBRIATI, hebraismus, de iis dicitur qui copiose potarunt quamvis temperantiae limites non praetergressi (heb. שכר). Cf. Gen. 43, 34 : ***Biberuntque (fratres Ioseph) et inebriati sunt cum eo;*** Cant. 5, 1 : ***comedite amici, et bibite, et inebriamini charissimi;*** Agg. 1, 6 : ***comedistis, et non estis satiati : bibistis, et non estis inebriati.*** — Vinum igitur fecerat Jesus et copiosum et optimum.

(1) Verba B. Mariae ad ministros bene accommodantur huic sensui ascetico : Hoc a nobis postulat B. Virgo, ut faciamus omnia quaecumque Jesus dixerit nobis.

(2) De sensu mystico sex hydriarum fuse disserit S. Augustinus, in Joann. IX, 6 usque ad finem.

(3) Ita optimi interpretes. Sed in *Annuaire de l'Observatoire de Bruxelles*, 1878, p. 118, aestimatur metreta valere litra 39, 39. Quantitas vini prodigiosi fuisset ergo inter 473 et 709 litra.

Digitized by Google

V. 11. HOC FECIT INITIUM SIGNORUM IESUS. Clarius graece : Ταύτην ἐποίησε τὴν ἀρχὴν τῶν σημείων ὁ Ἰησοῦς. Id est : Hoc miraculo facto in Cana incohavit seriem miraculorum suorum. Hunc tamen sensum non admittit verior lectio : Ταύτην ἐποίησε ἀρχὴν ..., quae sic exponenda est : Hoc fecit Jesus tamquam initium miraculorum suorum (Schanz). — Sequitur *effectus*, sedulo ab evangelista notatus, utpote ad scopum faciens, et ideo narratus ab ipso. — MANIFESTAVIT GLORIAM SUAM quasi unigeniti a Patre, ut 1, 14. — ET CREDIDERUNT IN EUM DISCIPULI EIUS fide non *incipiente*, qualem jam habebant antea, sed *confirmata*. — Cf. Prov. 9, 5 : *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis*, locus messianicus, enuntians id cujus prodigium Canae typus dici posset.

Iter Jesu in Capharnaum

12. ***Post hoc descendit Capharnaum ipse, et mater eius, et fratres eius, et discipuli eius : et ibi manserunt non multis diebus.***

V. 12. POST HOC DESCENDIT CAPHARNAUM... ET FRATRES EIUS, id est, secundum hebraismum, cognati ejus. Matth. 13, 55 quatuor nominantur : Jacobus, Joseph, Simon, Judas (vide infra ad 7, 3). — Hi fratres nuptiis adfuisse non leguntur : ergo videtur Jesus primum ivisse Nazaretham, inde cum cognatis petiisse Capharnaum. Erat haec civitas celebre emporium ad ripam maris Tiberiadis.

Ejectio mercatorum e templo

13. ***Et prope erat Pascha Iudaeorum, et ascendit Iesus Ierosolymam :*** **14.** ***Et invenit in templo vendentes boves, et oves, et columbas, et nummularios sedentes.*** **15.** ***Et cum fecissit quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oves quoque, et boves, et nummulariorum effudit aes, et mensas subvertit.*** **16.** ***Et his, qui***

Digitized by Google

columbas vendebant, dixit : Auferte ista hinc, et nolite facere domum patris mei, domum negotiationis. 17. Recordati sunt vero discipuli eius quia scriptum est : Zelus domus tuae comedit me.

V. 13. ET PROPE ERAT... Hebraismus pro : *Nam prope erat* PASCHA IUDAEORUM. Haec ratio est cur cito Capharnaum reliquerit. — ASCENDIT.... IEROSOLYMAM, secundum legem Deut. 16, 16, sed et secundum vaticinium Malachiae (3, 1-3), ubi et *venturus* ad templum suum et *purgaturus filios Levi* praedictus fuerat. Atque haec videtur fuisse praecipua ratio cur S. Joannes inter tot alia a Christo tunc Jerosolymis gesta, hoc unum narrandum selegerit. Alia procul dubio ratio fuit, quod haec templi purgatio Christo occasio fuerit praedicendae suae resurrectionis, per quam vitae et mortis dominus adeoque Deus esse appareret. — Hoc est primum pascha vitae Jesu publicae, quod sedulo notandum est, ad concordiam evangeliorum. Joannes optime notat tempora et accurate sequitur ordinem chronologicum.

Nota. Evangelistae synoptici unum tantum Christi iter jerosolymitanum commemorant, ultima vitae ejus hebdomade. Joannes quinque hujusmodi itinera narrat. Ideo a rationalistis nonnullis falsitatis arguitur. Immerito sane : nam haud spernendis argumentis multiplex iter jerosolymitanum probabile ostenditur : 1) Venerat Christus ad salvandum totum populum suum. Ergo non debebat se intra limites unius tantum portionis terrae sanctae et inter ruricolas quasi perpetuo continere. — 2) Praecursorem nactus erat et noverat Joannem Baptistam : ibi ergo decebat Christi activitatem exordiri ubi praecipue fama Baptistae vigebat, id est in Judaea (Matth. 11, 10). — 3) Contradictio etiam quam in Galilaea passus est Jesus e Judaea prodiit : ergo vel haec contradictio orta fuerat ex gestis a Christo in Judaea, vel ea certe ipsum provocare debebat ut adversariis in Judaea resisteret (Matth. 15, 1; Luc. 5, 17). — 4) Neque ipsum minus eo allicie-

Digitized by Google

bant festa popularia, tum ut ipse legi mosaicae faceret satis, tum ut coram haberet a se instituendam populi magnam frequentiam ad festa illa undique congregatam. — 5) Non pauca indicia itineris multiplicis prostant apud ipsos Synopticos : *a)* Matth. 23, 37 : ... *quoties volui congregare filios tuos.* — *b)* Luc. 19, 42-44 : *Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi : nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te..., et non relinquent in te lapidem super lapidem : eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae*, quo modo Christus loqui vix potuisset quando primum Jerosolymam petebat. — *c)* Matth. 11, 25 : *Confiteor tibi, Pater..., quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Sapientes* illi et *prudentes* Jerosolymis praecipue degebant. — *d)* Multos notos habebat jam Christus in Judaea quando eam ante passionem petiit : familiam Marthae, virum bethphagenum cujus asinum mutuatus est, dominum cenaculi ad ultimum pascha, Josephum ab Arimathaea (1).

V. 14. ET INVENIT IN TEMPLO VENDENTES... Bis Christus vendentes etc. templo ejecit : sub praedicationis initio, de quo hic; deinde ultimo paschate paulo ante passionem, de quo Matth. 21, 12; Marc. 11, 15; Luc. 19, 45. — Simile quidem festum, sed trium annorum intervallo distans; dissimiles circumstantiae, et alia verba Jesu ad negotiatores. Gratis autem asserit Réville (2) : *C'est là un de ces actes qui évidemment ne se répètent pas.* Immo vero renatus post priorem correctionem abusus iteratam correctionem etiam instantius requirebat. — IN TEMPLO : totum dicit pro parte, atrio gentium, ut videtur (3). — VENDENTES BOVES ET

(1) Vide Beyschlag in *Theologische Studien und Kritiken*, 1874, p. 673-675.

(2) *Revue des Deux Mondes*, 1866, tome 63, p. 92.

(3) Templum ab Herode Magno exstructum tria habebat atria, quorum alterum altero altius situm erat : atrium videlicet *gentium*, in quod ethnicis ingredi licebat; atrium *mulierum*, ex parte orientali inter atrium gentium et tertium, quod atrium erat *Israelitarum*. In hoc tamquam pars includebatur atrium *sacerdotum*. Hoc atrium sacerdotum ad sanctuarium (τὸν ναόν) ducebat.

Digitized by Google

OVES offerendos in paschalibus sacrificiis. — NUMMULARII, ad extraneorum pecunias commutandas et ut omnes possent sibi comparare *siclum sanctuarii* requisitum ad templi tributum solvendum. — Teste Fl. Josepho, antiquitus negotiatio in templo non exercebatur. Erat ergo corruptela merito eliminanda.

V. 15. OMNES EIECIT DE TEMPLO, OVES QUOQUE... Graece : πάντας ἐξέβαλεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, τά τε πρόβατα καὶ τοὺς βόας, quod explicari potest de solis animalibus flagello ejectis. Nihil tamen vetat intellegere, ut in Vulgata, etiam de hominibus. — EFFUDIT AES, ET MENSAS SUBVERTIT : intellege sive unica sive duplici actione.

V. 16. COLUMBAS, loculis inclusas, auferri jubet. — ET NOLITE... Haec ad omnes dicit. — DOMUM PATRIS MEI : sibi singulariter Deum in patrem vindicat, hinc se declarat τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, et quidem Filium *Dei Judaeorum*. Hunc igitur Deum non rejicit, ut volunt Tubingani. — DOMUM NEGOTIATIONIS. Non ipsum eorum commercium erat illicitum, sed illicitus commercii locus. In altera ejectione dicit, SPELUNCAM LATRONUM, ideo sane quia tunc illicita quaedam ipsi commercio inerant.

V. 17. RECORDATI SUNT... Praedictam noverant de Messia specialem erga domum Dei reverentiam : vaticinium tunc impletum intellegunt. Vaticinium ex Ps. 68 (69), 10 : ***Zelus domus tuae comedit me : et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.*** Hunc Psalmum esse messianicum constat ex praesenti textu S. Joannis, deinde ex Jo. 19, 28-30 (Ps. 68, 22); Rom. 15, 3 (Ps. 68, 10); Act. 1, 20 (Ps. 68, 26). — Cf. Zach. 14, 21 : ***et non erit mercator ultra in domo Domini exercituum in die illo*** (*mercator*, כְּנַעֲנִי, *Chananaeus*. Cf. Prov. 31, 24). — Mal. 3, 1 : ***Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti quem vos vultis.***

Digitized by Google

Praedictio resurrectionis

18. ***Responderunt ergo Iudaei, et dixerunt ei : Quod signum ostendis nobis quia haec facis?*** 19. ***Respondit Iesus, et dixit eis : Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.*** 20. ***Dixerunt ergo Iudaei : Quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud?*** 21. ***Ille autem dicebat de templo corporis sui.*** 22. ***Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, et crediderunt scripturae, et sermoni quem dixit Iesus.***

V. 18. Divinam in hoc facto auctoritatem et potentiam Christus ostenderat, ut qui solus, homo privatus, nullo resistente, tot homines flagello expulerat e templo, ubi tolerantibus certe magistratibus versabantur. Idipsum sufficiens *signum* esse poterat. SIGNUM tamen petunt quo Christus divinam suam probet auctoritatem, utpote humana destitutus.

V. 19. Male dispositis, qui ne ob miraculum quidem in se crederent, directe respondere dedignatur Dominus; ita tamen respondet ut asserat sibi competere potestatem humana majorem. — SOLVITE TEMPLUM HOC. Figurate dicit, et ita obscure ut Judaei obvio sensu proprio verba intellegant. Christum corpus suum tunc indigitasse probabile est; a Judaeis nihilominus non capitur. — Haec *solutio*, a Christo praenuntiata, est separatio animae ejus a corpore. — IN TRIBUS DIEBUS, id est tertio die. Cf. Esther 4, 16 et 5, 1 : *Non comedatis, et non bibatis tribus diebus, et tribus noctibus : et ego cum ancillis meis similiter ieiunabo.... Die autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis...*, ubi apparet duas expressiones objective aequivalentes esse. — Dicit autem *Solvite*, non quasi facinus imperans, sed rei certitudinem significans (Schanz). — *Excitabo* : propria enim virtute corporis sui dirutum templum restituet. Ergo Deus est, vitae et mortis dominus.

Digitized by Google

V. 20. QUADRAGINTA ET SEX ANNIS AEDIFICATUM EST TEMPLUM HOC, intellege templum herodianum, de quo Jos., Ant. 15, 11. Hic templi istius aedificationi assignat tantum annos novem et dimidium; at eidem ampliando et ornando laboratum est usque ad regnum Agrippae II, paucis annis ante cladem jerosolymitanam. Anno primo vitae publicae Christi, a quadraginta sex annis opus inceptum erat. Inceperat enim anno Herodis 18°, 734-735 ab Urbe condita.

V. 21 et 22. Verum sensum Jesus occultum relinquit, evangelista exponit, qui sensus discipulis ipsis ante resurrectionem non innotuit. Tunc recordati hujus SERMONIS Jesu, eum intellexerunt, propheticum fuisse CREDIDERUNT, sed et SCRIPTURAE, ut de eodem argumento vaticinanti, crediderunt. Ps. 15 (16), 10 : *Non derelinques animam meam in inferno : nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Cf. Act. 2, 31; 13, 35 sq. — Et, sensu typico, secundum communem Patrum interpretationem, Osee 6, 3 : *Vivificabit nos post duos dies : in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu eius.*

Christi gesta Jerosolymis

23. ***Cum autem esset Ierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius, quae faciebat.*** **24.** ***Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes.*** **25.** ***Et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine : ipse enim sciebat quid esset in homine.***

V. 23. CUM AUTEM ESSET IEROSOLYMIS IN PASCHA IN DIE FESTO.. Graece : ἐν τῇ ἑορτῇ, quod totam seriem festivalem paschatis designat. — CREDIDERUNT eum esse Messiam, VIDENTES SIGNA, miracula; qualia haec essent non dicit evangelista.

V. 24. NON se CREDEBAT EIS. Lusus est in verbo πιστεύειν. Sensus : Jesus sciens eorum fidem vel internam non esse vel non fore stabilem, noluit cum eis tamquam cum discipulis confidenter

Digitized by Google

agere. — EO QUOD IPSE NOSSET OMNES, intima scilicet cordium eorum discernens.

V. 25. Causam dat cur Jesus nosset omnes, non externo indicio, sed sua omniscientia qua corda hominum scrutaretur. Hinc argumentum divinitatis Jesu. Nam omniscientia ut divinitatis attributum merito habebatur. Cf. Ps. 7, 10 : *scrutans corda, et renes, Deus*; 1 Par. 28, 9; 2 Par. 6, 30; Job 42, 2 : *Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio*; 3 Reg. 8, 39 : *tu nosti solus cor omnium filiorum hominum*; Act. 15, 8; Ps. 138, 3. — Evangelista etiam alibi : Jo. 9, 62; 13, 11; 21, 17; Apoc. 2, 23 (cf. 1, 18), idem de Christo praedicat.

Digitized by Google

CAPUT III

Argumentum. Colloquium cum Nicodemo de baptismo, de redemptione deque fidei in Christum necessitate (1-21). — Jesus incipit baptizare : de quo queruntur discipuli Joannis. Hinc Baptistae testimonium de dignitate Christi deque fidei in eum necessitate (22-36).

Colloquium cum Nicodemo

1. *Erat autem homo ex Pharisaeis, Nicodemus nomine, princeps Iudaeorum.* 2. *Hic venit ad Iesum nocte, et dixit ei : Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister, nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* 3. *Respondit Iesus, et dixit ei : Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* 4. *Dicit ad eum Nicodemus : Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suae iterato introire, et renasci?* 5. *Respondit Iesus : Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* 6. *Quod natum est ex carne, caro est : et quod natum est ex spiritu, spiritus est.* 7. *Non mireris quia dixi tibi : oportet vos nasci denuo.* 8. *Spiritus ubi vult spirat : et vocem eius audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat : sic est omnis, qui natus est ex spiritu.* 9. *Respondit Nicodemus et dixit ei : Quomodo possunt haec fieri?* 10. *Respondit Iesus, et dixit ei : Tu es magister in Israel, et haec ignoras?* 11. *Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis.* 12. *Si terrena dixi vobis, et non creditis : quomodo, si dixero vobis caelestia, credetis?* 13. *Et nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo,*

Digitized by Google

Filius hominis, qui est in caelo. **14.** *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis :* **15.** *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* **16.** *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* **17.** *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* **18.** *Qui credit in eum, non iudicatur : qui autem non credit, iam iudicatus est : quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* **19.** *Hoc est autem iudicium : quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem : erant enim eorum mala opera.* **20.** *Omnis enim qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius :* **21.** *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.*

V. 1. ERAT AUTEM HOMO inter eos qui ob haec signa (2, 23) crediderant, ut infra v. 2 apparet. — Nomen, secta, dignitas exponuntur, unde momentum narrandi sermonis magis pateat. — PRINCEPS IUDAEORUM, ἄρχων τῶν Ἰουδαίων : unus ex 71 membris synedrii magni, ut colligitur ex 7, 45. 50.

V. 2. HIC VENIT AD IESUM NOCTE, ob respectnm humanum et metum collegarum, quos jam noverat plerosque Jesu infensos. Cf. Jo. 7, 50 et 19, 38.

RABBI, id est *Magister mi*, appellatio est honorifica. — SCIMUS, ego et alii multi, QUIA A DEO VENISTI MAGISTER, id est, te esse a Deo missum ad docendum. — Rationem addit optimam : SIGNA QUAE TU FACIS, ut quae nec naturae viribus nec daemonum artibus adscribi posse videantur. — NISI FUERIT DEUS CUM EO. Ob haec miracula Jesum agnoscit *prophetam*, Messiam forte, nondum *Dei filium*. Miracula haec ei non magis per se probabant quam Jesum esse Dei legatum. Poterat tamen, ut videtur, doctor Judaeorum scire, etiam talia prodigia fuisse de

Digitized by Google

Messia praedicta (v. g. Is. 35, 5 sq.), et Messiam esse Deum et Filium Dei (v. g. Is. 9, 6). Recte igitur credebat Nicodemus Jesum esse Dei legatum, ejusque miracula divinae virtuti deberi; imperfecte Jesum merum hominem esse credebat. Recte Jesum amabat et ideo ad eum venit; imperfecte tamen amabat et ideo nocte venit, volens amorem Jesu cum mundi amore conciliare.

V. 3. RESPONDIT IESUS, sive a Nicodemo de ingressu in regnum Dei interrogatus sive paratam iterrogationem scrutator cordis praeveniens. — AMEN, AMEN... Formula indicans rem agi satis momentosam. — NISI QUIS RENATUS FUERIT DENUO. Graece : ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν. Sed ἄνωθεν ambiguum est. Significat *desursum* et *denuo*. Hinc duplex expositio.

1) ἄνωθεν, *desursum*. Ita Cyrill. etc. Infra enim haec nativitas dicitur ἐκ πνεύματος.

2) et multo melius, ἄνωθεν, *denuo*. Ita Chrysost. et latini passim. Nam *a)* ita intellexit Nicodemus v. 4, ubi pro synonymo adhibet δεύτερον. — *b)* ita loci paralleli : Tit. 3, 5 : διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας; 1 Pet. 1, 3 : ἀναγεννήσας. 1, 23 : ἀναγεγεννημένοι; — *c)* Syrus : ܡܢ ܕܪܫ, *a capite*. — *d)* ita antiquissima traditio, ut patet ex Just. Apol. 1, 61 : ἂν μὴ ἀναγεννηθῆτε...

NISI QUIS. Propositio negativa, adeoque exclusiva. Nemo igitur a regenerationis necessitate excipitur. Quisquis *natus* est, necesse est ut *renascatur*.

VIDERE REGNUM DEI idem est ac INTRARE IN REGNUM DEI, ut patet ex v. 5, id est civem fieri illius regni ad quod constituendum Filius Dei in terram venerat. Est autem hoc regnum incoha-tum in Christi ecclesia, consummandum in caelo in gloria. Ei respondet item duplex filiatio divina adoptiva (cf. 1, 12).

V. 4. Secundum alios Nicodemus verba Christi stolide intellexit de iteranda nativitate corporea; aliorum vero judicio, mysterium aliquod suspicatus, paradoxum proponit ut explicationem provocet, quam statim, utpote sincere veritatem quaerens, a Chri-

Digitized by Google

sto consequitur. — CUM SIT SENEX, ut ipse erat, et sic magis a priori nativitate remotus.

V. 5. Explicat Jesus qualis sit haec nova nativitas : EX AQUA ET SPIRITU SANCTO. Graece : ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, sicut est corporea nativitas ex patre et matre. Duplex elementum concurrens in ratione causae efficientis (sive principalis sive instrumentalis) : aqua et Spiritus.

Sensus hujus versiculi definitus est ab Ecclesia in concilio tridentino, Sess. VII, de Baptismo, can. 2 : « Si quis dixerit, aquam » veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque » ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi : *Nisi quis renatus* » *fuerit ex aqua et Spiritu sancto*, ad metaphoram aliquam de» torserit, anathema sit. » Secundum quam definitionem dicimus :

1° Agitur in hoc textu de *baptismo christiano*.

Probatur. 1) Christus ipse baptizavit (3, 22. 26). — 2) Ipse et discipuli baptizantes inducuntur statim post narratum hoc colloquium. — 3) In baptismo christiano omnia concurrunt, quae hoc loco insinuantur : *a)* Baptismus omnibus ad salutem necessarius, Matth. 28, 19 : *Docete omnes gentes, baptizantes eos;* Marc. 16, 16 : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* — *b)* Et quidem suscipiendus ut quis possit ingredi regnum Dei, Act. 2, 37. 38 : *His autem auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum, et ad reliquos apostolos : Quid faciemus, viri fratres? Petrus vero ad illos : Poenitentiam (inquit) agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi.* Et Act. 10, 48 praxim conformem praebet circa familiam Cornelii. — *c)* Baptismus Christi est *ex aqua et Spiritu sancto.... Ex aqua,* Act. 8, 36 : Eunuchus ad Philippum : *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* et, Act. 10, 47, Petrus de familia Cornelii : *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi...?* cf. Eph. 5, 26. — Confirmatur ex querelis discipulorum Baptistae (3, 26), quae sensum non habuissent si baptismus Christi fuisset mere spiritualis et internus. — *Ex Spiritu sancto,*

Digitized by Google

Act. 2, 38, ubi receptio doni Spiritus sancti baptismo adnectitur. Tit. 3, 5 : *lavacrum.... renovationis Spiritus sancti.* — *d)* Baptismus christianus etiam exhibetur ut nova nativitas, Tit. 3, 5 : *lavacrum regenerationis.*

Eadem veritas elucet in facto baptismi Christi in Jordane, qui baptismi christiani exemplar fuisse censendus est : ubi et aqua erat, et Spiritus sanctus in columbae specie apparuit.

Ergo Christus hic agit de *aqua*, non metaphorica internam tantum purgationem significante, sed vera ac naturali, eaque in baptismo adhibenda.

2° In mente Christi aqua baptismi non est merum symbolum remissionis peccatorum seu justificationis, sed est ***signum*** hujusce justificationis ***instrumentaliter operativum.***

Probatur. Aqua et Spiritus cum eadem praepositione eamdem in enuntiatione functionem exercent. Atqui Spiritus sanctus hic venit ut causa efficiens regenerationis (quae ex Deo est, ut Jo. 1, 12. 13, de quo vide commentarium). Ergo et *aqua* ejusdem sit oportet causa efficiens, in inferiori tamen ordine instrumentali sicut ex natura rei patet.

Aliter. Si aqua esset merum symbolum, ergo et Spiritus sanctus talis foret. Ergo in baptismate neque aqua nec Spiritus sanctus ad regenerationem ut causa concurreret. At, si ita, quid sibi volet Spiritus sanctus exhibitus ut nudum symbolum?

Aliter, ad hominem. Fidei tribuitur vera ad justificationem causalitas. Atqui eodem modo Scriptura de fide ac de baptismo aquae loquitur. Cf. Rom. 5, 1 et Jo. 3, 5; Act. 15, 9 et Eph. 5, 26; Rom. 3, 28 et Tit. 3, 5, Luc. 7, 50 et 1 Pet. 3, 21. Ergo...

De qua re ita S. Cyrillus (in Jo. 3, 5.) : « Cum enim homo » sit compositum quid, non simplex natura, ex duobus attem» peratus, corpore nimirum sensibili et anima intellegente, ge» mino quoque opus erit ei ad regenerationem remedio utrique » quodammodo affini et amico. Spiritu namque sanctificatur ho» minis spiritus, aqua vero sanctificatur corpus. Quemadmodum

Digitized by Google

» enim infusa lebetibus aqua, si admoveatur igni vehementi, vim » ejus concipit; ita Spiritus efficacitate sensibilis aqua ad divinam » quamdam et ineffabilem vim transformatur omnesque demum » in quibus fuerit sanctificat. »

Quaeritur 1° quid sit haec ***regeneratio*** per baptismum consequenda.

R. S. Petrus, Act. 2, 38 : *baptizetur unusquisque... in remissionem peccatorum vestrorum :* en mors veteris hominis seu pars negativa regenerationis. Vide Rom. 6, 4. 6. — *et accipietis donum Spiritus sancti*, gratiam sanctificantem : en vita nova filiorum Dei seu pars positiva regenerationis. Vide Rom. 6, 11; 8, 14. — Effectus formalis est *status filiorum Dei*. Cf. 1, 13 et Trid. Sess. VI, cap. 4.

Quaeritur 2° ***quibusnam*** Christus hoc loco imponat baptismi necessitatem.

R. Omnibus qui nati sunt. Hi enim renasci possunt. Ergo et parvuli non excludendi. Cui sensui, primum obvio, consonat perpetua Ecclesiae traditio.

Quaeritur 3° de interpretationibus ***haereticorum.***

R. *A)* ***Pelagiani,*** ne cogerentur in parvulis admittere peccatum originale, distinguebant inter *regnum Dei* et *vitam aeternam*: hanc parvulis non baptizatis concedentes, illud eis negantes. — At eorum haec distinctio antiquata est : hodie inter omnes de reali identitate harum expressionum convenit. Ergo et parvulis baptisma est ad salutem necessarium.

B) ***Protestantes,***

Alii *ex aqua et spiritu* idem sonare dicunt ac *ex spiritu aqueo*, vel *ex aqua spirituali*, id est, per Spiritum sanctum vim aquae mundantis exserentem. Aquam dicunt in baptismo adhiberi ut symbolum, bonum quidem, at non obligatorium.

Rationes. 1) Ita Ez. 36, 25. 27 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris... Et spiritum meum ponam in medio vestri*; et Is. 44, 3 : *Effun-*

Digitized by Google

dam enim aquas super sitientem...: effundam spiritum meum super semen tuum; in quibus locis, parallelis cum Jo. 3, 5, sermo est de aqua metaphorica. — 2) Ita 1 Jo. 5, 8 : *tres sunt qui testimonium dant ... Spiritus et aqua et sanguis*, triplex testimonium : *Spiritus*, id est *miracula*; *aqua*, id est *vita pura*; *sanguis*, id est *martyrium*. — 3) Matth. 3, 11 : *Spiritu sancto et igni*, id est, *Spiritu sancto* ignis vim exserente. Ibi de eadem re ac Jo. 3, 5, at sub alia metaphora.

R. ad 1) Ezechiel videtur et de baptismo dixisse. Is. 44, 3 metaphora sit, transeat. — ad 2) Interpretatio haec est plus quam dubia. — ad 3) Ibi Joannes Baptista de effusione Spiritus sancti in Pentecoste et deinceps. Cf. Act. 1, 5, ubi metaphora βαπτισθήσεσθε ex baptismo aquae desumpta est. Ita plures. Alii Matth. 3, 11 de baptismo exponunt, ita ut ignis designet elementum perfectiori et intimiori modo mundans, sicut fit circa metalla pretiosa. Cf. Jo. 1, 33. Forte tunc baptismi christiani natura Praecursori Domini nondum erat revelata.

In illo testimonio Baptistae est quidem aliqua vera difficultas, ex qua tamen argumenta supra allata everti nequeant.

Alii volunt Christum non baptismatis ritum, sed ejus *ideam* indicare, cujus aqua symbolum sit.

Ratio. Christus regenerationis *duplex elementum* vult indicare : alterum, *aqua* significatum, remissionem peccatorum; alterum a *Spiritu sancto* efficiendum, justitiae infusionem.

Contra est, non necessario utrumque fuisse commemorandum separatim, siquidem in baptismo utrumque simul a Deo conceditur. Manent pro interpretatione vera rationes supra allatae.

N. B. Christum tunc instituissse sacramentum baptismi tenent aliqui. Sed probabilius est eum hujusmodi institutionem coram integro collegio apostolico peregisse (Schanz).

V. 6. QUOD NATUM EST EX CARNE ... Sensus velut adagii : *Similis nascitur a simili*. CARO hic audit *naturam humanam* per se spectatam; SPIRITUS, *naturam divinam* sicut est proprie

Digitized by Google

in Spiritu sancto, analogice seu participative in regeneratis. Unde sic : Quod natum est ex puro homine, mere humanam naturam habet; quod natum est ex Spiritu sancto, naturam divinam participat. Cf. 1 Pet. 3, 18; 2 Cor. 3, 17; Rom. 8, 9; 1, 3; 9, 5; Matth. 26, 41; 1 Cor. 5, 5; 1 Pet. 4. 6. — Cum autem humana natura in filiis Adae sit natura lapsa et ad malum inclinata, hinc saepe *caro* pro ***natura corrupta*** ponitur; unde sic etiam hoc loco non pauci exponunt; minus recte tamen, ut videtur.

V. 7. NON MIRERIS... Ergo vel in vultu, vel in mente Nicodemi perspiciebat Christus admirationem incredulitatis (cf. v. 11. 12), tamen etiamnum cum discendi cupidine conjunctam.

V. 8. SPIRITUS UBI VULT SPIRAT ... SIC EST OMNIS ... NATUS EX SPIRITU.

Quaeritur quis sit ille ***spiritus*** de quo in priori membro comparationis sermo est.

R. ***1a sententia.*** *Spiritus sanctus.*

Rationes. 1) In secundo membro est Spiritus sanctus voce πνεύματος intellegendus; ergo et in primo. — 2) Habet articulum (τὸ πνεῦμα): ergo Spiritum sanctum designat. — 3) In N. T. semel tantum (Heb. 1, 7); in V. T. apud LXX raro (Gen. 8, 1; Eccl. 11, 5 et Ps. 104, 4) vox πνεῦμα *ventum* significat. — 4) Tota hac pericopa saepe πνεῦμα supponit pro Spiritu sancto, quidni etiam hic? — 5) De *vento* falsa esset propositio, venti enim directio non ignoratur. — Unde sic fere : *Spiritus sanctus pro beneplacito suo in hominibus operatur, ejusque vocem, seu operationis effectus (puta in prophetis etc.) audis; sed ejus in animas ingressum, et ex eis egressum percipere non potes : sic agitur cum omni qui natus est hac spirituali regeneratione.* — Ita exponunt Orig., Naz., Ambros., August., Greg. M., Thom. Aq., qui et 2am sententiam probat, Bern., Beda etc. — Luc. Brug., Tol. etc.

2a sententia. *Ventus.*

Rationes. 1) Secus nulla in *re* comparatio foret. — 2) Scopus

Digitized by Google

Christi est Nicodemum juvare ad admittendam rem supernaturalem occultam in se, manifestam aliquousque in effectibus : hinc comparatio adhibita ex re simili naturali. In priori sententia nihil ad scopum juvat. — 3) Nulla obscuritas in adhibita voce πνεῦμα in duplici significatu : nam ex indicata comparatione lusus in verbo facile patet. — 4) Articulus nihil officit : nam in hac pericopa saepe πνεῦμα sine articulo de Spiritu sancto venit. — 3) πνεῦμα posuit pro ἄνεμος ob lusum in verbis hoc loco opportunum. — 6) Nihil falsi est in propositione. Sic enim : *Sicut ventus ex omni parte, quasi pro arbitrio spirat, et sonitum ejus audis, ejus tamen ignoras et originem et terminum, seu processum : ita res se habet in spiritualiter regenerato : regeneratum ex effectibus scire vales, regenerationis ipsius processum capere non vales.* — Comparationi tali consonat symbolismus scripturisticus. Ita Ezech. 37, 9; Jo. 20, 22; Act. 2, 2. — Ita exponunt Cyrill. Alex., Chrysost. cum schola sua, Pseudo-Dion, et interpretes recentiores passim. Hanc et nostram expositionem facimus.

V. 9. ... QUOMODO POSSUNT HAEC FIERI, ut homo ex Spiritu spiritus nascatur? Modum non percipit, et ideo rei ipsi assensum nondum tribuit, ulterius doceri cupiens.

V. 10. TU ES MAGISTER IN ISRAEL, ὁ διδάσκαλος τοῦ Ἰσραήλ. Duplex articulus, juxta alios, quia Nicodemus erat doctor omnino insignis totius Israel, fere sicut S. Paulus ὁ διδάσκαλος τῶν ἐθνῶν; juxta alios, ad emphasim dumtaxat. — ET HAEC IGNORAS? quae tamen ut legis peritus scire potueras et debueras. Prophetae enim spiritualem per aquam ablutionem et regenerationem praedixerant. Ita Zach. 13, 1 ; Ezech. 36, 24 etc. Hinc mysterium hujusmodi quamquam quoad modum latens, quoad factum credere poterat et debebat.

V. 11. Finis adjectae hic a Christo declarationis est ut Nicodemum doceat, circa facta hujusmodi mysteriorum idoneis testibus fidem esse adhibendam, etiamsi eorum modus intellectui sit impervius. — Veritas nostris praecipue temporibus momentosa.

Digitized by Google

— QUOD SCIMUS LOQUIMUR ... ET TESTIMONIUM NOSTRUM NON ACCIPITIS. Praemisso duplici AMEN asserit Magister, ipso Nicodemo fatente veridicus, se ut testem oculatum et auritum ea quae nunc doceat proferre.

De usu numeri pluralis hic adhibiti multiplex est sententia.

1ª esse plurale majestaticum.

Contra est, tale plurale ab usu loquendi semitico abhorrere.

2ª Christum designare se et Patrem suum.

Contra est, Patrem hic non testari nisi per περιχώρησιν.

3ª designare Christum se et discipulos adstantes.

Contra est, hos nec vidisse nec audivisse haec divina mysteria.

4ª dici ad modum sententiae generalis, quasi gallice : *on vous parle de ce qu'on a vu...*

Contra est, sensum hunc non esse satis obvium.

5ª esse hoc plurale simpliciter pro singulari, secundum modum dicendi S. Joanni proprium. Cf. Jo. 3, 2; 21, 24.

Contra est, duobus locis allatis verum designari plurale, ut videtur.

Haec tamen ultima praeplacet.

Quod autem dicit Christus : VIDIMUS, AUDIVIMUS, metaphorice designat *immediatam* cognitionem Dei rerumque divinarum quam Christus, utpote Patri consubstantialis, habet. — Cf. similia Jo. 1, 18; 6, 46; 8, 38; 5, 19; 3, 32; 8, 26; 15, 15; 16, 13.

V. 12. SI TERRENA DIXI VOBIS (tibi et tui similibus), ... QUOMODO SI ... CAELESTIA, utpote magis abstrusa et sic vobis creditu difficiliora, CREDETIS? Aliqui volunt *terrena* in mente Christi fuisse comparationem cum vento ab ipso allatam, *caelestia* vero *regenerationis* arcanum. Sed hoc stare nequit, cum de vento nihil *credendum* fuerit propositum. Rectius igitur dixeris, ad *terrena* spectare *regenerationem* supernaturalem quidem, sed quae hominem, terrenam personam, ut terminum habeat; ad *caelestia*, aeternam *Filii generationem* et incarnati Verbi mysteria, quorum terminus persona caelestis sit atque adeo divina.

Digitized by Google

V. 13. ET NEMO ASCENDIT (ἀναβέβηκεν) IN CAELUM... De sensu vocis DESCENDIT DE CAELO facile convenit : metaphorice scilicet indicari manifestationem Filii Dei in terris per incarnationem : nam, secundum usum loquendi V. T., Deus dicitur descendere de caelo quando aliquid in terra operatur. Cf. Exod. 3, 8; 19, 11; Num. 11. 17; 12, 5; Is. 31, 4. — Vel etiam dici potest Christum descendisse de caelo ratione divinae suae naturae ut principii, ratione humanae naturae ut termini. Cf. Jo. 6, 33 sq.

Egregie in h. l. S. Augustinus : « Ecce hic erat et in caelo » erat : hic erat carne, in caelo erat divinitate : imo ubique divi- » nitate. Natus de matre, non recedens a Patre. Duae nativitates » Christi intelleguntur : una divina, altera humana : una per » quam efficeremur, altera per quam reficeremur; ambae mira- » biles : illa sine matre, ista sine patre. »

Et S. Cyrill. Alex. : « Cum autem Dei Verbum descenderit » de caelo, Filium hominis descendisse ait, nolens in duas per- » sonas (εἰς δύο πρόσωπα) post inhumanationem secari, nec ullis » permittens dicere alium quidem esse Filium, templum nimirum » illud quod ex Virgine assumptum est, alium, quod ex Deo » Patre effulsit Verbum, nisi quantum ad naturae divisionem » attinet unicuique congruentem (πλὴν ὅσον εἰς τὸν ἑκάστῳ πρέ- » ποντα κατὰ φύσιν διορισμόν). »

S. Chrysost.: « Filium autem hominis hic non carnem vocavit, » sed a minori substantia se totum, ut ita dicam, vocavit. Solet » enim saepe a divinitate, saepe ab humanitate se totum vocare. »

Quaeritur quid sibi velit ***ascendit in caelum.***

R. 1ª *sententia.* Idem est ac : *Nemo unquam fuit in caelo ut Dei decreta cognosceret...* Neque illud *ascendit* quoad materialem sensum premendum est. Itaque Filius hominis fuit ab aeterno in caelo ratione divinitatis suae, et per incarnationem caepit esse in terra, interim semper ut Deus manens in caelo. Ita Beelen, Haneb., Schanz, post Tol., Luc. Brug. et S. Thom. Haec omnia vera sunt de *Filio hominis,* seu de Christo homine,

Digitized by Google

per communicationem idiomatum. — Recte Tol. et Lucas Brug. : Christum, dicendo, *ascendit*, se accommodasse usui loquendi hominum qui non nisi ascendendo concipiuntur posse ad caelum pertingere, — Hanc admittimus.

2ª sententia. Agi de Christi *historica ascensione* post resurrectionem. Ita August., Beda etc. Subaudiri : *iste Filius hominis* ASCENDET *in caelum* (unde et caelum sibi ut perpetuum habitaculum vindicat).

Rationes. 1) Eph. 4, 9. 10 : *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae? Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia.* Qui locus, aiunt, parallelus est; item Jo. 6, 63 : *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* — 2) Usus loquendi V. T., ubi עלה de Deo dicitur ut caelum repetente post opus in terra actum. Gen. 17, 22; 35, 13; Ps. 46 (47), 6; 67 (68), 19.

Contra est quod ascensio, de qua hic sermo est, praecesserit oportet descensum e caelo. Quod autem subaudiendum suggeritur, nexum vix ullum habet cum contexta oratione.

Porro nexus hujus versiculi in contexta oratione est hujusmodi :

Christus complet quae dixit v. 11 et 12, et simul praeparat Nicodemum ad credenda quae eum docere intendebat *caelestia*. Unde sic : Non credis testimonio meo circa ea quae vidi et audivi, et si terrena non credis, quanto minus, ita dispositus, caelestia credes quae te etiam docere paratus sum. Et tamen *mei solius* testimonio haec discere potes : nam *ego solus* in caelo fui ad caelestia videnda et audienda, et ad ea docenda in terras descendi, interim semper in caelo manens. — Hinc Jesus simul auctoritatem suam his verbis mire commendat, sibique jus ut credatur vindicat; simul Nicodemo sublimissimum de caelestibus dogma revelat : unitatem Personae suae divinae in duabus naturis. — Ita Tol., Maldon., Luc. Brug., Beelen, Ad. Maier etc. Cf. Jo. 1, 17.

Valentiniani τὸ *descendit de caelo* ad litteram etiam de huma-

Digitized by Google

nitate, atque adeo de corpore Christi exponebant. Natum scilicet in caelo, per Mariam ceu per canalem corpus ejus transiisse; sicque a carnalis generationis mala spurcitia immune fuisse.

V. 14. ET SICUT MOYSES EXALTAVIT SERPENTEM... Cf. Num. 21, 9 : *Fecit ergo Moyses serpentem aeneum, et posuit eum pro signo : quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* Conjunctio ET valet pro *autem*. Pergit Jesus Nicodemo exponere caelestia de seipso, simulque ei magis necessitatem in se credendi inculcat. — ITA EXALTARI (in altum tolli) OPORTET FILIUM HOMINIS. Mysterium redemptionis per crucis Christi sacrificium. Sic enim *exaltari* necessario exponendum est tum ut stet comparatio tum ut salvetur evangelistae usus loquendi. Cf. Jo. 8, 28; 12, 32-34. Sed neque admitti potest, ob easdem rationes, intentam fuisse hic aequivocationem : « oportet crucifigi et per crucem glorificari, » ita ut *exaltari* supponat simul pro *in crucem agi* et pro *glorificari*. Hoc tantum Christus indicat : Serpens a Moyse in altum erectus fuit, ut omnis qui eum cum fide respiceret non periret, sed vitam servaret temporalem; ita in altum debet extolli Messias, ut quicumque in eum crucifixum cum fide (fiduciae et amori conjuncta) respexerit, non pereat sed vitam possideat aeternam. Igitur crux Christi arbor vitae aeternae esse revelatur. — Dicitur OPORTET, necesse est ut typus iste propheticus sic impleatur. Ipsius typi ratio fuit Dei consilium salvificum.

De serpente illo, Christi crucifixi typo, ita S. Chrysost. (in h. l.) : « Viden' crucis causam et salutem inde partam? viden' » figurae cum veritate consonantiam? Illic mortem effugere Ju- » daei, sed temporaneam; hic aeternam fideles. Illic suspensus » serpens serpentum morsus curabat : hic crucifixus Jesus a spi- » rituali dracone inflictas plagas curabat. Illic qui oculis cor- » poris videbat, curabatur; hic qui mentis oculis videt, peccata » omnia deponit. Illic aes pendebat ad modum serpentis figura- » tum; hic corpus dominicum a Spiritu formatum. Illic serpens » mordebat et serpens curabat; hic mors perdidit et mors ser-

Digitized by Google

» vavit. Sed qui interimebat serpens, venenum habebat; qui » vero servabat, veneno vacuus erat. Idipsum jam videre est. » Nam mors quae interimebat, peccatum habebat, ut venenum » serpens; Domini autem mors ab omni peccato immunis erat, » ut aeneus serpens a veneno vacuus. *Peccatum enim*, inquit, » *non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* »

V. 15. CREDIT IN EUM. Fides in Christum hic sola ad salutem requiri videtur. At ita, quia est salutis radix et origo. (Trid. Sess. VI, cap. 8). Alia praeter eam supponi, patet ex v. 5 et Matth. 19, 17 : *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Vide et Matth. 7, 21.

Sunt qui hic sermonem Jesu cum Nicodemo terminari volunt, quia de hoc doctore deinceps nulla fit mentio, et quia versiculi sequentes non nisi versus 15 evolutio videntur. At jam a versu 13 omittitur Nicodemus. — Evangelista quando aliqua internectit, id indicat. — Pergit ergo Christus.

V. 16. Ad intimam rationem decreti de incarnatione revelandam ascendit : Dei stupendam erga mundum dilectionem. MUNDUM qui factorem suum *non cognoverat* (1, 10) adeo DILEXIT UT pro eo a morte aeterna salvando FILIUM SUUM UNIGENITUM DARET in cruce immolandum (hoc enim implicite ex v. 15). — Et finis hujus immolationis iterum eisdem verbis additur. Cf. Rom. 5, 6-10 et 8, 32. 35-39.

V. 17. Idem finis magis inculcatur ex negatione oppositi. — IUDICET, *condemnet*, ut patet ex v. 18. 19. — Quam suaviter Nicodemum allicit!

Quaeritur quomodo haec concilientur cum Jo. 5, 22. 27, etc.

R. Hoc loco dicitur intentio Dei in decreto incarnationis esse tota *salvifica;* at non excluditur a Salvatore *Judex* in *secundo suo adventu* condemnaturus eos qui oblatam salutem recipere noluerint. — Pro decreto *justitiae* quo potuisset mundum meritis poenis per Filium addicere, protulit Deus decretum *misericordiae* ad lapsum mundum erigendum.

Digitized by Google

V. 18. QUI CREDIT IN EUM NON IUDICATUR, id est : Qui per fidem Christi vitam aeternam obtinet, omnem condemnationem evadit. — QUI AUTEM NON CREDIT (in eum), IAM IUDICATUS EST : is enim *manet* in statu damnationis in quo erat. *Eramus* enim *natura filii irae* (Eph. 2, 3); et ut ipse Joannes explicat v. 36 : *Ira Dei manet super eum*. Hinc non est necesse ut ei *nova* aliqua condemnationis sententia accedat. Sufficit *vetus* olim in Paradiso lata. — QUIA NON CREDIT IN NOMINE UNIGENITI FILII DEI ac proinde respuit unicum medium quo ex statu damnationis possit emergere. Cf. Act. 4, 12; Rom. 5, 18. 19. — Hoc igitur versiculo probat Jesus dilemmate quodam tacito Filium Dei non ad condemnandum missum esse. Sic, ut ait August., medicus mittitur ad aegrotos : qui ad eum veniunt sanantur, qui non veniunt moriuntur, non propter medicum sed propter morbum suum. — Cf. Matth. 18, 11; Luc. 19, 10; Jo. 12, 47. 48.

V. 19. HOC EST AUTEM IUDICIUM .... id est : Haec est causa condemnationis. — QUIA LUX VENIT IN MUNDUM... Totus sermo Christi usque ad v. 21 metaphoricus est. LUX, secundum Jo. 12, 46, ipse Christus est, quatenus divinae doctrinae revelator. Venit autem ad tenebras dissipandas : at DILEXERUNT HOMINES MAGIS TENEBRAS (quibus immergebantur) QUAM LUCEM; cur autem tenebras magis dilexerint addit : ERANT ENIM ILLORUM MALA OPERA. Quod comparatione evolvit et illustrat. Morum perversitas causa est cur homines fidem in Christum detrectaverint. Neque alia est historia incredulitatis hodiernae, ab infinita Sapientia hoc loco delineata!

V. 20. Qui male agit amat latere, ita et male operans odit lucem fidei, quae et sibi operum malitiam magis patefaceret et emendandam injungeret et se coram aliis magis inexcusabilem efficeret.

V. 21. QUI AUTEM FACIT VERITATEM. Hebraismus est : *id quod est ex principio veritatis*, ac proinde *bonum*. Oppositum τοῦ *qui male agit*. — VENIT AD LUCEM, UT MANIFESTENTUR

Digitized by Google

OPERA EIUS. Igitur qui bene agunt libenter fidem Christi amplectuntur, qua illustrati intellegant opera sua esse FACTA IN DEO, id est secundum Dei voluntatem, et idipsum etiam hominibus ad Dei gloriam manifestent.

At quomodo possunt esse opera in Deo facta ante fidem?

Respondetur. 1° cum S. Augustino : Opera haec bona non esse nisi peccati displicentiam, quod est initium bonorum operum. — 2° Toletus intellegit de voluntate bene agendi in futurum. — 3° Rectius : Opera bona ex gratia facta, licet non meritoria de condigno.

APPENDIX

Paraphrasis exegetica Jo. III, 1-21

Erat homo aliquis e secta pharisaeorum, Nicodemus nomine, princeps Judaeorum (unus e 71 de synedrio). Hic venit ad Jesum nocte et dixit ei : Magister, scimus (ego et alii mecum) te doctorem esse a Deo missum : nemo enim potest illa prodigia facere quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo (per eum illa prodigia patrando). Respondit Jesus et dixit ei : Vere dico tibi : nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei (membrum fieri ecclesiae salvandorum). Dixit ad eum Nicodemus : Quomodo potest aliquis nasci quando jam senescit? Potestne in ventrem matris suae denuo introire et ita renasci? Respondit Jesus : Vere dico tibi : nisi quis renatus fuerit ex aqua (tamquam ex matre eum pariente) et ex Spiritu sancto (ut ex patre aquam divina virtute fecundante), non potest intrare in regnum Dei. Scilicet, sicut quod natum est ex carne caro est se gignenti similis, ita et quod natum est ex Spiritu sancto spiritus est divinam gignentis naturam participans. Ne mireris quod dixi tibi, oportet vos nasci denuo. Nil mirum enim si rei istius modum capere non potes. Nam spiritus materialis, ventus, ex omni parte quasi pro arbitrio spirat : audis quidem strepitum

Digitized by Google

ejus, at ejus et originem et terminum seu processum ignoras : ita se habet res in spirituali illa regeneratione (regeneratum ex effectis scire vales, regenerationis ipsius processum capere non vales). Respondit Nicodemus : Quomodo possunt haec fieri? Respondit ei Jesus : Tu tantus es magister in Israel, et haec mysteria (non obscure in Scripturis praenuntiata) ignoras! (Ceterum circa divina facta sufficit ad credendum ut habeas idoneum testimonium. Jam) ego quae scio loquor et quae vidi attestor et testimonium meum nemo (seu rarus valde) accipit ut ei fidem habeat. Si, uti modo, dixi vobis res supernaturales quae in terra peraguntur, et non creditis, quomodo credetis si dixero vobis mysteria quae in caelo, in ipsius Dei ineffabili essentia, fiunt? Haec certe mysteria nemo in caelis assecutus est nisi ille qui descendit de caelo : Filius hominis qui in terris conversans, interim per naturam suam divinam perpetuo est in caelo (in sinu Dei Patris).

Et sicut Moyses exaltavit serpentem aeneum in deserto (ut omnes qui cum fiducia aspicerent eum non perirent sed vitam corporalem servarent), ita exaltari (in cruce) oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in eum, ut in Salvatorem, non pereat secundum animam sed habeat vitam aeternam. Adeo enim Deus (Pater) dilexit mundum (genus humanum), ut Filium suum unigenitum daret in victimam expiationis, ut omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum ea intentione ut hic mundum condemnet, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non condemnatur; qui autem non credit, jam condemnatus est (per condemnationem sub qua per originale peccatum natus, voluntarie permansit), quia non credit in unigenitum Filium Dei (per quem solum ab illa condemnatione possit liberari). Neminem igitur Filius Dei in hoc suo adventu condemnabit. Causa autem praedictae condemnationis haec est : quia lux fidei venit in mundum (per Christum omnibus oblata), et dilexerunt ho-

Digitized by Google

mines magis tenebras ignorantiae et peccati quam lucem illam fidei, idque ideo quia opera eorum erant mala. Omnis enim qui male agit odit lucem (principiorum fidei), ut per ea non arguantur opera sua : qui autem facit ea quae recta sunt, libenter venit ad lucem, ut manifestentur opera sua, quoniam (juxta rationis dictamen et ex influxu gratiae) secundum Deum sunt facta.

SCHOLION DOGMATICUM

Plura doctrinae christianae capita hoc colloquio continentur, et apte ex eo demonstrantur.

1) ***Baptismi*** necessitas, efficacia propria ac specialis effectus. *Necessitas* ad salutem omnibus qui nati sunt, ac proinde etiam parvulis (v. 5). *Efficacia propria*, quippe in quo aqua cum Spiritu sancto ad collationem gratiae concurrit in ratione causae. — *Specialis effectus* : regeneratio, seu altera nativitas ex Deo, qua homo in statu supernaturali filiorum Dei constituatur.

2) Mysterium ***SS. Trinitatis.*** Deus (*Pater*) mittens *Filium* unigenitum (v. 16. 17). *Spiritus sanctus* etiam *Deus* esse innuitur : regeneratus enim ex Spiritu sancto dicitur natus spiritus *ex Spiritu*, qui supra (1, 12. 13) ex *Deo* natus dicebatur.

3) Christi ***divinitas,*** ejusque cum Patre consubstantialitas, non obscure asseritur v. 13°. E caelo enim originem habet et in caelo ut in domo propria perpetuo remanet. Hoc autem, in stylo Scripturae, Dei solius proprium est. Vide Ps. 2, 4; 10 (11), 5; 113, 11 (hebr. 115, 3); 102 (103), 19; Eccl. 5, 1; 2 Par. 20, 6.

4) Mysterium ***incarnationis.*** Filius enim *hominis*, qui v. 18° unigenitus Filius *Dei* vocatur, cum perpetuo sit in caelo (v. 13), scilicet in sinu Patris (1, 18), descendit de caelo, ut testimonium redderet de iis quae in sinu Patris vidit et audivit caelestia (v. 12. 13).

5) Incarnationis ***finis :*** redemptio scilicet mundi a statu dam-

Digitized by Google

nationis in quo erat (v. 18) ad vitam aeternam. Ad hoc Deus dedit Filium suum.

6) Redemptionis hujus ***causa :*** amor Dei in mundum (v. 16), et ***modus :*** per Filii Dei mortem in cruce (v. 14).

7) Ad hanc redemptionem consequendam omnimoda ***necessitas credendi*** in unigenitum Filium Dei (v. 15. 16. 18).

8) Implicite ***originale peccatum,*** in quo homo, donec credens susceperit sacramentum regenerationis, sub condemnatione manet (v. 18).

SCHOLION ASCETICUM

A) Non minus praeclare hic ab ipso Domino declaratur mysterium incredulitatis tot hominum in media luce veritatis versantium. *Lux* quidem *venit in mundum,* omnibus visibilis, neminem tamen invitum illustrans, sed eos tantum qui ad eam libere veniunt : ii autem veniunt quorum opera bona sunt. Ad quod maxime debet attendere is qui ad animarum conversionem laborat. Fides enim non est actus scientiae, sed praecipue pietatis. Pius autem credulitatis affectus cor mundum vel certe puritatis cupidum requirit.

B) Ibidem Christus praebet nobis *normam* summariae et simul solidissimae instructionis in qua praecipua fidei capita exponit, ita ut simul intellectus illustretur et voluntas suaviter in Dei amorem moveatur.

C) Ex versu 18 etiam habet contionator unde *indifferentismum* impetat, de quo argumento juvabit videre S. Chrysost., in hunc locum.

Invidia discipulorum Baptistae

22. *Post haec venit Iesus, et discipuli eius in terram Iudaeam : et illic demorabatur cum eis, et baptizabat.* **23.** *Erat autem et Ioannes baptizans in Aennon, iuxta Salim : quia aquae multae*

Digitized by Google

erant illic, et veniebant, et baptizabantur. 24. *Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem.* 25. *Facta est autem quaestio ex discipulis Ioannis cum Iudaeis de purificatione.* 26. *Et venerunt ad Ioannem, et dixerunt ei : Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum.* 27. *Respondit Ioannes, et dixit : Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de caelo.* 28. *Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim : Non sum ego Christus : sed quia missus sum ante illum.* 29. *Qui habet sponsam, sponsus est : amicus autem sponsi, qui stat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.* 30. *Illum oportet crescere, me autem minui.* 31. *Qui desursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur. Qui de caelo venit, super omnes est.* 32. *Et quod vidit, et audivit, hoc testatur : et testimonium eius nemo accipit.* 33. *Qui accepit eius testimonium, signavit quia Deus verax est.* 34. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur : non enim ad mensuram dat Deus spiritum.* 35. *Pater diligit Filium : et omnia dedit in manu eius.* 36. *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam : qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

V. 22. POST HAEC, post hoc colloquium, et alia forte quae hic licet supponere, VENIT IESUS, ET DISCIPULI EIUS IN TERRAM IUDAEAM, id est, relicta Jerosolyma in campestria Judaeae; ET BAPTIZABAT per discipulos suos; ut videtur ex 4, 2. — Teste Nicephoro (Hist. 2, 3), refert Evodius, Petri in sede antiochena successor, Jesum solum S. Petrum propriis manibus baptizasse. An etiam alios per se baptizaverit ambigitur.

Chrysostomus vult hoc baptisma Christi fuisse in aqua tantum, non in Spiritu sancto, secundum Jo. 7, 39; at Cyrillus et Augustinus volunt fuisse sacramentum. Jo. 7, 39 agit de adventu visi-

Digitized by Google

bili Spiritus sancti post ascensionem. Ita et alii Patres. Contra quorum sententiam merito objicitur, sacramentalem gratiam non ante perfectum redemptionis opus conferendam fuisse (Schanz).

V. 23. AENNON teste S. Hieronymo octo miliariis romanis distabat a Scytopoli : erat igitur prope regionem Samaritanorum. — AQUAE MULTAE : ergo per immersionem intellegitur baptismus ille fuisse collatus.

V. 24. NONDUM ENIM MISSUS FUERAT IOANNES IN CARCEREM. Hoc monet ne quis ex Matth. 4, 11. 12 existimet tunc Baptistam jam fuisse incarceratum. Pretiosum monitum ad harmoniam evangeliorum.

V. 25. FACTA EST AUTEM, id est occasione duplicis baptismi, QUAESTIO, contentio, EX DISCIPULIS IOANNIS CUM IUDAEIS (1), membris synedrii vel magnatibus, DE PURIFICATIONE, id est de baptismo, utrum scilicet Joannis an Jesu baptismus esset suscipiendus. Isti Judaei forte ad baptismum Jesu veniebant, Joannis baptismo neglecto. Rem igitur ad magistrum deferunt.

V. 26. Invidia et zelo non recto pro suo magistro ducuntur. QUI ERAT TECUM TRANS IORDANEM, quando ibi baptizabas, CUI TU TESTIMONIUM PERHIBUISTI, qui sic famam suam tibi debet, ECCE HIC BAPTIZAT, ET OMNES VENIUNT AD EUM. Contemptum haec olent et exaggerationem invidiae.

V. 27. NON POTEST HOMO ACCIPERE QUIDQUAM, NISI FUERIT EI DATUM DE CAELO. Testimonium Baptistae se deprimentis, Jesum extollentis. NON POTEST, *non licet.* — ACCIPERE, *sumere, sibi arrogare* QUIDQUAM, in ordine rerum quae Dei dona sunt.... DE CAELO, id est, *a Deo.* Hinc non licet mihi impedire Jesum in opere suo.

V. 28. IPSI MIHI TESTIMONIUM PERHIBETIS (vide v. 26) .... MISSUS SUM ANTE ILLUM, ut viam ei praeparem. Sic responsum

(1) Magis probata lectio habet μετὰ Ἰουδαίου, *cum aliquo Judaeo.*

Digitized by Google

ad : *Ecce hic baptizat.* — Nunc ad alteram objectionem : *omnes veniunt ad eum.*

V. 29. QUI HABET SPONSAM, ipse solus et non alius SPONSUS EST : AMICUS AUTEM SPONSI, QUI STAT, ET AUDIT EUM, ejus mandata executurus, nedum sponsam ejus sibi appetat, GAUDIO GAUDET PROPTER VOCEM SPONSI, sponsae blandientem. Ex usu Hebraeorum omnis sponsus sodalem quemdam habebat, mediator inter se et sponsam, qui censebatur sponsalem unionem conciliare et sponsae virginitatem tuebatur. Dicebatur hic *amicus sponsi*, et in nuptiali convivio *stans* sponso ministrabat. Hinc comparatio, cujus applicationem Joannes discipulis relinquit *Sponsus* est Jesus. *Sponsa* coetus discipulorum Jesu quos ei Baptista, *amicus sponsi*, conciliavit. Sicut ergo talis amicus *stat* sponso obsequens et gaudens vocem sponsi auscultat, ita etc.... Notum est, in Vetere Testamento habitudinem Jehovae ad populum suum saepe sub figura conjugii designari. Cum autem hujusmodi habitudinem Messias, in propria veniens, ad altiorem multo perfectionem evexerit, Baptista merito *sponsam* vocat fidelium Christo *sponso* addictorum collectionem. — HOC ERGO GAUDIUM MEUM IMPLETUM EST. Jam nihil meo gaudio deest, quia cognovi sponsam a sponso acquisitam. Ad idipsum procurandum ego veni : nunc officium meum impletum est, hinc

V. 30. ILLUM OPORTET CRESCERE, non in se, sed in suae naturae, virtutis etc. externa manifestatione, in illa *gloria* de qua Jo. I, 14. — OPORTET, ex paternae providentiae circa Christum et Joannem dispositione. — ME AUTEM MINUI, item in aestimatione et in exercitio officii Praecursoris jam per Christi adventum manifeste finem assecuti.

V. 31. QUI DESURSUM VENIT, id est qui divinam habet originem, ille, nempe Jesus, SUPER OMNES EST, super omnes homines, adeoque super *me*. — Et statim id comparatione illustrat : QUI EST DE TERRA, DE TERRA EST, seu : Talis est natura qualis est origo. — ET DE TERRA LOQUITUR, seu : Qualis natura talis et

Digitized by Google

operatio, adeoque *sermo*. Intellege id quod habet homo *de se*, praescindendo ab iis quae *per revelationem* accepit, secundum illud S. Augustini (in h. l.) : « Quomodo ergo de terra loquitur? » Sed de homine dicebat. Quantum ad ipsum hominem pertinet, » de terra est, et de terra loquitur : si autem aliqua loquitur di- » vina, illuminatus est a Deo. Nam si non esset illuminatus, » terra terram loqueretur. » — QUI DE CAELO VENIT Christus, supple *caelestis*, adeoque SUPER OMNES EST. Et statim complet comparationem de Christi *scientia caelesti*, secundum quam hominibus in terra loquatur.

V. 32. ET QUOD VIDIT ET AUDIVIT in caelo, scientia intuitionis caelestia comprehendens (1, 18; 3, 13), HOC TESTATUR in terra incarnatus; ET TESTIMONIUM EIUS NEMO ACCIPIT. *Nemo* hyperbolice dicitur, ut 1, 10. 11, et in specie ad Baptistae discipulos invide Christi progressus accipientes.

V. 33. QUI ACCEPIT EIUS TESTIMONIUM, SIGNAVIT, quasi apposito sigillo professus, QUIA DEUS VERAX EST : hoc ipso Deum Patrem profitetur veracem (v. 34).

V. 34. QUEM ENIM MISIT DEUS, hic Jesus e caelo veniens, VERBA DEI LOQUITUR. Unde autem haec consequentia? quia NON... AD MENSURAM DAT DEUS SPIRITUM : intellege, non absolute, sed secundum substratam materiam, *Filio* scilicet *suo*, ut patet ex v. 35. Cf. Rom. 12, 3; 1 Cor. 12, 4. — Baptista viderat Spiritum sanctum manentem super Jesum, et sicut inde deduxerat Jesum esse Filium Dei, ita per consequens concludit eum Spiritus sancti donorum recepisse plenitudinem.

Baptista dicendo : *Quem misit Deus*, non missum qualemcumque intendit, sed missum κατ' ἐξοχήν, מַלְאַךְ יְהוָה, Messiam.

V. 35. Hanc ipsam plenitudinem supponendam asserit in Jesu, ut in Filio Dei, tamquam amoris paterni necessarium effectum. — PATER DILIGIT FILIUM, hominem factum (non enim hic de

Digitized by Google

amore illo quo ab utroque procedit Spiritus sanctus), et ideo OMNIA DEDIT IN MANU EIUS, omnia permisit potestati ejus, ita ut nihil nisi per ipsum consequi possimus in ordine salutis. Cf. Jo. 13, 1-3; 1, 16. Unde

V. 36. QUI CREDIT IN FILIUM, HABET VITAM AETERNAM incohatam per justificationem. — QUI AUTEM INCREDULUS EST FILIO, NON VIDEBIT VITAM. Hebraismus, *videre* est *frui*, experiri. Cf. Luc. 2, 26. — Cetera vide ad v. 15 et 18. — IRA DEI ac cum ea connexa mors aeterna MANET SUPER EUM, quippe quae ob originalem culpam ei insideret.

Digitized by Google

CAPUT IV

Argumentum. Iter Jesu in Gallilaeam per Samariam (1-4). — Colloquium cum Samaritana (5-26). — Colloquium Jesu cum discipulis de cibo et messe spirituali (27-38). — Apud Sichemitas, quorum plures in se ob verbum mulieris et ob suum crediderant, biduum remanet (39-42). — Pergit in Galilaeam et, bene exceptus, Canae sanat filium reguli (43-54).

Iter Jesu in Galilaeam

1. ***Ut ergo cognovit Iesus quia audierunt Pharisaei quod Iesus plures discipulos facit, et baptizat, quam Ioannes,*** **2.** ***(Quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius)*** **3.** ***Reliquit Iudaeam, et abiit iterum in Galilaeam.*** **4.** ***Oportebat autem eum transire per Samariam.***

V. 1-3. UT ERGO COGNOVIT IESUS, QUIA AUDIERUNT PHARISAEI QUOD IESUS PLURES DISCIPULOS FACIT, ET BAPTIZAT, QUAM IOANNES. Pharisaei aegre ferebant Jesum sibi discipulos adsciscere; Jesus audiens eorum de hac re querelas, cum nondum venisset *hora sua*, Judaeam reliquit et Galilaeam petiit, mense Decembri fere medio, ut colligitur ex 4, 35 : *Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit.* Porro messis fiebat mense Aprili medio. Idem hoc est iter ac illud de quo Marc. 1, 14 et Matth. 4, 12, juxta quos motivum recessus Jesu innuitur, *quod Ioannes traditus esset,* Herodi scilicet, ab invidis et Joanni infensis pharisaeis. Cf. Matth. 3, 7; Marc. 3, 6; Matth. 17, 12.

Digitized by Google

V. 2. QUAMQUAM IESUS NON BAPTIZARET. Graece : Ἰησοῦς αὐτός, id est *per seipsum*. — SED DISCIPULI EIUS, ipsius nomine.

V. 3. RELIQUIT IUDAEAM, ET ABIIT ITERUM IN GALILAEAM. Dicit, ITERUM : nam eo jam iverat antea, Jo. 1, 43.

V. 4. OPORTEBAT AUTEM EUM TRANSIRE PER SAMARIAM. Samaria enim regio est inter Judaeam et Galilaeam.

Colloquium cum Samaritana

5. ***Venit ergo in civitatem Samariae, quae dicitur Sichar : iuxta praedium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo.* 6. *Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta.* 7. *Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus : Da mihi bibere.* 8. (*Discipuli enim eius abierant in civitatem ut cibos emerent.*) 9. *Dicit ergo ei mulier illa Samaritana : Quomodo tu Iudaeus cum sis, bibere a me poscis, quae sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudaei Samaritanis.* 10. *Respondit Iesus, et dixit ei : Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi : Da mihi bibere : tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.* 11. *Dicit ei mulier : Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est : unde ergo habes aquam vivam?* 12. *Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibit et filii eius, et pecora eius?* 13. *Respondit Iesus, et dixit ei : Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum : qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum :* 14. *Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* 15. *Dicit ad eum mulier : Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam : neque veniam huc haurire.* 16. *Dicit ei Iesus : Vade, voca virum tuum, et veni huc.* 17. *Respondit mulier, et dixit : Non habeo virum. Dicit ei Iesus :***

Bene dixisti, quia non habeo virum : **18.** *Quinque enim viros habuisti, et nunc, quem habes, non est tuus vir : hoc vere dixisti.* **19.** *Dicit ei mulier : Domine, video quia Propheta es tu.* **20.** *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, ubi adorare oportet.* **21.** *Dicit ei Iesus : Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem.* **22.** *Vos adoratis quod nescitis : nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudaeis est.* **23.** *Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quaerit, qui adorent eum.* **24.** *Spiritus est Deus : et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* **25.** *Dicit ei mulier : Scio quia Messias venit, (qui dicitur Christus.) cum ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia.* **26.** *Dicit ei Iesus : Ego sum, quo loquor tecum.*

V. 5. VENIT ERGO IN CIVITATEM SAMARIAE QUAE DICITUR SICHAR. Sichar eadem est quae in veteri testamento dicitur Sichem (Gen. 33, 18; Jos. 20, 7; 21, 21). Caput erat regionis, sita inter Garizim, montem sacrum Samaritanorum, et montem Hebal (Joseph. Antiq. IV, 8, 44). Cum esset restaurata et civitatis romanae jure donata a Vespasiano, in ejus honorem vocata est Φλάουια Νεάπολις. Inde derivatum est nomen ejus arabicum Nablos, quod a Gallis pronuntiatur Naplouse. Adhuc hodiedum eam incolunt paucae familiae samaritanae.

Quaeri jam potest unde acceperit haec civitas nomen Sichar, Σιχάρ. Nomen hoc in V. T. nusquam apparet. Sunt qui putent esse cognomen contumeliosum (gallice *un sobriquet*) civitati gentis contemptae Samaritanorum a populo judaico affixum. Sonat quippe Sichar, hebraice שִׁכֹּר *(schikkor) ebriosus*. Incerta conjectura est.

IUXTA PRAEDIUM QUOD DEDIT IACOB IOSEPH FILIO SUO. Vide Gen. 33, 18. 19 : *Transivitque in Salem, urbem Sichimo-*

Digitized by Google

rum ... Emitque partem agri in qua fixerat tabernacula, a filiis Hemor patris Sichem, centum agnis. Vide etiam Jos. 24, 32 : *Ossa quoque Ioseph, quae tulerant filii Israel de Aegypto, sepelierunt in Sichem, in parte agri quem emerat Iacob a filiis Hemor, patris Sichem*. Cf. etiam Gen. 48, 22.

V. 6. ERAT AUTEM IBI FONS IACOB, id est quem Jacob, qui ibi diu habitaverat, sibi fodit, secundum id quod refertur de Abraham et Isaac, Gen. 21, 25; 26, 15. 18. 21.

SEDEBAT SIC, nihil aliud agere visus, SUPRA FONTEM, ad oram fontis, per hebraismum : עַל, *supra, juxta*. Cf. Gen. 24, 13. 30; Num. 23, 3.

V. 7. 8. Bibere petit ab hac muliere, quia ibi solus erat : DISCIPULI ENIM EIUS ABIERANT ... — DA MIHI BIBERE. Quam apte et suaviter se in mulieris gratiam insinuat!

V. 9. NON ENIM COUTUNTUR, verba sunt evangelistae explicatoria. Judaei et Samaritani etiam in familiari vitae commercio se mutuo vitabant. De Samaritanis eorumque cum Judaeis simultatibus vide 4 Reg. 17, 24 sq.; 1 Esd. 4, 1; 2 Esd. 4. Adhuc hodiedum Judaeos destantur (1). — IUDAEUS CUM SIS. Id ex dialecto aramaica a samaritana discrepante audit, vel ex vestitu forte perspicit.

V. 10. SI SCIRES DONUM DEI (donum gratiae et veritatis intellegit Christus), quod a Deo per *me* consequi posses, tu (emphasis oppositionis) FORSITAN, quod est graece ἂν cum modo indicativo, adeoque melius verteretur *utique*. Jesus certe de re non dubitat. AQUAM VIVAM. Metaphoram ducit ex aqua naturali ad dona supernaturalia designanda. VIVAM, sine intermissione scaturientem in vitam aeternam, quomodo exponit v. 14.

V. 11. 12. Mulier intellegit aquam naturalem, aqua hujus putei meliorem, et miratur, non sine ironia, quamvis cum reverentia :

(1) De Samaritanis consuli possunt quae scripsimus in periodico *Précis historiques*, anno 1873, Feb.-Sept.

Digitized by Google

DOMINE... — *Patrem* vocat Jacob, quia Samaritani orti erant ex Israelitis gentilibus permixtis. Cf. 2 Par. 35, 18.

V. 13. RESPONDIT IESUS, suam aquam ut meliorem commendans, et indirecte se Jacobo majorem asserens. — NON SITIET UNQUAM, quia scilicet ipsi semper praesto erit ad sitim praeveniendam. Nam

V. 14. AQUA, QUAM EGO DABO EI, FIET IN EO, per Spiritum sanctum ipsi inhabitantem et gratiae dona praestantem, FONS AQUAE SALIENTIS IN VITAM AETERNAM. Hinc clare asserit aquam *supernaturalem*. — Mirum Christi dicendi artificium ut mulieris desiderium provocet.

V. 15. DOMINE, DA MIHI HANC AQUAM... Haec respondet mulier, vel quia nondum capit, vel quia Jesum deridet. Hinc

V. 16. Jesus alio sermonem dirigit, ut ostendat se supernaturali scientia praeditum et ut simul impudicae conversionem praeparet. VOCA VIRUM TUUM. S. Cyrillus : « Hanc, opinor, ob » causam, virum suum arcessere jussit mulierem, obscure quo- » dammodo eam ut rudem increpans, et ad capessendam sapientiae » doctrinam hebetem, simulque aliud quiddam pulcherrimum » instituens. »

V. 17. 18. QUINQUE VIROS HABUISTI, qui vel obierant, vel eam juxta legem repudiarant. Nunc illicito contubernio utitur. — Digitum vulneri optimus Salvator applicuit et ecce sanies sauciati cordis erumpit.

V. 19. VIDEO QUIA PROPHETA ES TU! Peccatum fatetur et Jesum ut a Deo missum agnoscit. Nondum ut Messiam : dicit enim προφήτης absque articulo. Propheta, ut qui facta sibi naturaliter ignota revelaverit.

V. 20. PATRES NOSTRI... id est patriarchae Samaritanorum IN MONTE HOC Garizim (quem in conspectu habebat) ADORAVERUNT in templo in hujus montis vertice exstructo (Jos. Ant. 11, 8, 4); ET VOS Judaei DICITIS... Statim arripit quaestionem capitalem inter ambas gentes. — Non ideo haec ingerit mulier ut

Digitized by Google

importunam de perversa sua vita reprehensionem effugiat, sed quia sincere a tanto propheta veritatem de re omnium gravissima (ut sibi videtur) cupit addiscere.

V. 21. MULIER, CREDE MIHI, VENIT (ἔρχεται) HORA (tempus) et, ut dicet infra, tempus hoc jam adest, quod in stylo S. Joannis significat : tempus instat. Cf. 5, 25. — Haec HORA est tempus oeconomiae Novi Foederis, quae aliquo vero sensu tunc jam aderat quia aderat hujus oeconomiae divinus auctor. — Cultum Dei asserit jam nullo certo loco exclusive adstrictum, sed multo magis spiritualem fore. — ADORABITIS vos et ceteri fideles PATREM. Talis est Deus in N. T. erga fideles qui statum *filiorum* sunt assecuti. — Ergo de hac controversia jam nihil curandum insinuat Dominus.

V. 22. VOS ADORATIS QUOD NESCITIS... Non aequalem tamen esse monet condicionem Judaeorum et Samaritanorum in cultu Deo exhibendo. — QUOD NESCITIS : ὅ in neutro genere ponit ut generale objectum cultus indicet. Objectum cultus sui nesciebant Samaritani, relative scilicet ad Judaeos : quia eorum de vera religione notitia imperfecta erat et multis scatens erroribus, v. g. solum Pentateuchum recipiebant etc. — NOS Judaei, quorum est Christus secundum carnem, ADORAMUS QUOD SCIMUS, veram et plenam habemus de religione notitiam, QUIA (en ratio) SALUS messianica EX IUDAEIS EST. Cf. Is. 2, 3; Rom. 1, 3; 9, 5; 11, 17; Mich. 5, 2. — Christus videtur supponere id notum a Samaritanis, sane e Gen. 49, 10.

V. 23. SED, verumtamen,... VERI ADORATORES, qui perfecte adorabunt Deum. VERUS hic non opponitur ad *falsus*, sed ad *imperfectus*. Cf. Jo. 6, 32; 1, 9; 15, 1; 1 Jo. 2, 8; 5, 20. — IN SPIRITU ET VERITATE, id est spiritualiter et vere, vel secundum spiritum et veritatem. — Cultus mosaicus, hactenus Deo acceptus, nunc pronuntiatur abolendus eique substituendus cultus novus qui est ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ.

Quaeritur quo in sensu accipiendum sit ***in spiritu et veritate.***

Digitized by Google

R. ***1ª sententia.*** IN SPIRITU opponi cultui judaico utpote vero quidem sed corporali, multis externis ritibus implicato unique loco corporeo adstricto; IN VERITATE opponi cultui samaritico, utpote falso. Ita Tol. Hinc *in spiritu* est quidquid ex interiore actu virtutis religionis procedit, *in veritate* quidquid in cultu verum objectum habet.

Contra est, jam versu 22 dari oppositionem cultus judaici ad samariticum : unde hic exspectatur tantum oppositio cultus christiani ad judaicum.

2ª sententia. IN SPIRITU : non in certo loco corporeo neque in caerimoniis carnalibus; IN VERITATE : non in figura. — Ita plerique Patres et S. Thom., Maldon. etc. — Positive, igitur, adoratio *in spiritu* fit actibus ex fide et gratia supernaturalibus, quorum caerimoniae mosaicae figuram gererent. Ita juxta Heb. 9, 10; 10, 1; Ps. 49, 13 et doctrinam S. Pauli analogam de lege et gratia (*spiritus* semper in N. T. de re supernaturali dicitur).

3ª sententia. IN SPIRITU et VERITATE esse synonyma.

Ratio. Qui adorat in spiritu actibus internis ex fide et gratia profectis, eo ipso est verus adorator. Ita Maldon. et Beelen. — Confirmatur ex v. 24, ubi hujusmodi adoratio dicitur Deo convenire quia *spiritus est.* — Hanc ut probabiliorem amplectimur.

Calvinianis adoratio in spiritu et veritate est adoratio sola fide, excluso cultu proprie dicto. — Sic autem, ait Maldonatus, ipsi daemones veri adoratores forent.

Rationalistae demum intellegunt adorationem a biblicis dogmatibus absolutam, consistentem in morum honestate soli rationi naturali consentanea. Ita Wegscheider etc. Refutationem non merentur.

V. 24. DEUS SPIRITUS, id est incorporeus EST, ET ideo EOS... Talis ideo cultus solus ei placet. Congruit Deo cultus internis seu spiritualibus et ex gratia profectis actibus constans. Talis cultus novae oeconomiae est proprius.

Justi tamen veteris testamenti ipsi fuerunt *veri adoratores in*

Digitized by Google

spiritu et veritate : at non quia sacra judaica, quasi per seipsa Deo placentia, frequentabant, sed quia per fidem et gratiam Christi venturi haec ut figuras ipsius offerebant. — Simili modo explicandus S. Paulus de Lege : Rom. 3, 20. 21 ; 4, 13; Gal. 3, 10.

SCHOLION DOGMATICUM

A) Christum hoc loco abolevisse omnem cultum externum aliqui haeretici docuerunt. At perperam, ut Hengstenberg et Olshausen, protestantes, sed et de Wette, rationalista, ultro defendunt. Christus hic a cultu externo praescindit quidem, at illum minime a vera adoratione excludit, modo sit internis religionis actibus animatus. Secus 1) ipse sibi contradiceret, ut qui cultum externum plus semel exercuit : Luc. 22, 41 : *positis genibus orabat;* Jo. 17, 1 : *sublevatis oculis in caelum, dixit : Pater, venit hora....* — 2) apostoli Christo non obtemperassent. Cf. Act. 9, 40 : *Petrus ponens genua oravit;* 16, 25 : *Paulus, et Silas orantes laudabant Deum : et audiebant eos, qui in custodia erant;* 1 Cor. 11, 4, ubi S. Paulus praescribit viris et mulieribus normam exercendi cultum publicum in coetu fidelium; Eph. 3, 14 : *flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi;* 1 Tim. 2, 8 : *Volo ... viros orare in omni loco, levantes puras manus;* Apoc., ubi saepe externi cultus norma proponitur : v. g. Apoc. 5, ubi describitur adoratio Agni.

B) Immo neque a lege nova verum sacrificium excluditur; sed sacrificia judaica, quatenus in mere externis et corporeis oblationibus vix non tota consistebant. Sacrificium autem Missae, licet aliquid habeat corporeum, est tamen *spiritus et veritas*, seu per se ad supernaturalem ordinem fidei, gratiae et gloriae pertinet. Hinc inest ei valor ex opere operato. — Idem dic de sacramentis. — Implicite improbat Christus eos fideles qui externis cultus exercitiis adeo distinentur ut internum spiritum negligant.

Digitized by Google

EXPOSITIO TEXTUS

V. 25. SCIO QUIA MESSIAS VENIT, ὅτι Μεσσίας (1) ἔρχεται. Omnino instare ejus adventus credebatur. Messias venturus ipsis innotuerat ex Deut. 18, 18, ad quod mulier non obscure alludit, dicens NOBIS ANNUNCIABIT OMNIA. Cur *tunc* eum Samaritani exspectarent venturum, ex Pentateucho collegere non poterant : acceperant forte famam a Judaeis Danielis vaticinio edoctis. — Mulier videtur Jesum non plene intellexisse : ideo ad Messiam provocat, a quo speret ulteriorem explicationem.

V. 26. EGO SUM, QUI LOQUOR TECUM. Hoc totius colloquii culmen. Ad tantae revelationis gratiam omnia praecedentia divinus Magister ordinaverat. Sed et scopus evangelistae praesens colloquium narrandi hoc versu attingitur, quo scilicet inducitur Jesus ipse de se perhibens disertissimum testimonium, quale antea et suo et Baptistae nomine evangelista dederat. — Mulieris samaritanae encomium videsis apud Chrysost., Hom. 32, nº 3.

Colloquium cum discipulis

27. ***Et continuo venerunt discipuli eius : et mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit : Quid quaeris, aut quid loqueris cum ea?*** **28.** ***Reliquit ergo hydriam suam mulier, et abiit in civitatem, et dicit illis hominibus :*** **29.** ***Venite, et videte hominem, qui dixit mihi omnia quaecumque feci : numquid ipse est Christus?*** **30.** ***Exierunt ergo de civitate, et veniebant ad eum.*** **31.** ***Interea rogabant eum discipuli, dicentes : Rabbi, manduca.*** **32.** ***Ille autem dicit eis : Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.*** **33.** ***Dicebant ergo discipuli ad invicem : Numquid aliquis attulit ei manducare?*** **34.** ***Dicit eis Iesus : Meus cibus est ut***

(1) In graeco Μεσσίας sine articulo hic adhibetur tamquam nomen proprium. Ita et in vaticinio Danielis 9, 25. 26 : מָשִׁיחַ.

Digitized by Google

faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius. **35.** *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis : Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albae sunt iam ad messem.* **36.** *Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam aeternam : ut, et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit.* **37.** *In hoc enim est verbum verum : quia alius est, qui seminat, et alius est qui metit.* **38.** *Ego misi vos metere quod vos non laborastis : alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.*

V. 27. ... MIRABANTUR QUOD CUM MULIERE (μετὰ γυναικὸς sine articulo). Mulieres apud Judaeos minoris fiebant quam ut doctor legis vel vir primarius, publice praesertim, eas alloqui dignaretur. — Sunt, ascetae ut plurimum, qui admirationem explicant per angelicam plane Christi modestiam, cui vel publicum cum muliere colloquium componi non posse videretur. — NEMO TAMEN DIXIT : ... Ex reverentia non interrogant.

V. 28-30. Per discipulorum adventum interrupto sermone, RELIQUIT HYDRIAM SUAM MULIER, de re majore sollicita .... OMNIA QUAECUMQUE FECI. Hyperbole est, admirationem mulieris manifestans. — NUMQUID ...? Ipsa non dubitat; sed ita loquitur ut alios alliciat. Optimum exercet apostolatum!

V. 31. INTEREA, dum haec in civitate agebantur, ROGABANT EUM DISCIPULI, mirantes quod Jesus ad cibos appositos non attenderet : RABBI, MANDUCA.

V. 32. EGO CIBUM HABEO MANDUCARE, QUEM VOS NESCITIS. Responsio obscurior, ut attentionem provocet.

V. 33. Discipuli non intellegunt. — Hinc

V. 34. Jesus sensum explicat de cibo spirituali, qui est, ait, UT FACIAM VOLUNTATEM EIUS, QUI MISIT ME, UT PERFICIAM OPUS EIUS. Quale opus, non dicit; sed ex sequentibus collegitur : ut Sichemitas illos jam ad se accessuros caelesti doctrina imbuat.

Digitized by Google

— Ergo viro apostolico cibus corporalis et omne corporis commodum operi salutis animarum postponenda sunt.

V. 35. Sensus : Messis corporalis post quattuor tandem menses collegenda; messis spiritualis nunc jam parata est : civitas scilicet Sichar Christi fidei acquirenda, cujus incolae ad Jesum accedentes tunc in conspectu erant.

Sunt (ut Maldon.) qui haec verba : ADHUC QUATUOR MENSES.. merum volunt esse proverbium, quocumque anni tempore enuntiari solitum; sed absque probabili ratione id supponunt. — Rectius explicandum est de anni tempore, id est de mense decembri, quattuor mensium spatio messem praecedente. Et inde pretiosum sumitur documentum pro « harmonia evangelica » adornanda.

V. 36. Merces in hac messe non soli seminanti sed et metenti adscribitur. Ita Dominus, ut discipulos animet ad hujus messis labores suscipiendos.

V. 37. Proverbium ambiguum est : 1us sensus : saepe alius facit laborem, alius laboris fructus percipit. Et *in hoc* non est verum in casu. — 2us sensus : alius saepe est qui seminat, alius qui metit, et (subaudi), utrique merces contingit. Et *in hoc verum est* in casu.

V. 38. ALII LABORAVERUNT : prophetae, Joannes Baptista, tota oeconomia vetus, quae messis semina Judaeis et Samaritanis inseruit. — Sermo procedit de discipulorum missione in genere, et in specie de Samaritanis tunc convertendis.

Christus apud Sichemitas

39. ***Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis : Quia dixit mihi omnia quaecumque feci.*** **40.** ***Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies.*** **41.** ***Et multo plures crediderunt in eum propter ser-***

Digitized by Google

monem eius. 42. *Et mulieri dicebant : Quia iam non propter tuam loquelam credimus : ipsi enim audivimus, et scimus quia hic est vere Salvator mundi.* 43. *Post duos autem dies exiit inde :*

V. 39-42. CREDIDERUNT IN EUM, Jesum esse Messiam, quod mulier putanda est non diu tacuisse. — NON PROPTER TUAM LOQUELAM, hebraismus est : *non adeo propter tuam loquelam,* quamvis et propter eam credere coepissent. Encomium est efficaciae praedicationis Jesu. — SCIMUS certitudine fidei QUIA HIC EST VERE SALVATOR MUNDI. Hoc ex praedicatione Jesu sane didicerant : unde profitentur Jesum salvatorem spiritualem mundi, id est omnium gentium. Evangelista nullam praetermittit occasionem universalitatem redemptionis christianae promulgandi.

Sanatio filii reguli

43. *Et abiit in Galilaeam.* 44. *Ipse enim Iesus testimonium perhibuit quia Propheta in sua patria honorem non habet.* 45. *Cum ergo venisset in Galilaeam, exceperunt eum Galilaei, cum omnia vidissent quae fecerat Ierosolymis in die festo : et ipsi enim venerant ad diem festum.* 46. *Venit ergo iterum in Cana Galilaeae, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.* 47. *Hic cum audisset quia Iesus adveniret a Iudaea in Galilaeam, abiit ad eum, et rogabat eum ut descenderet, et sanaret filium eius : incipiebat enim mori.* 48. *Dixit ergo Iesus ad eum : Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* 49. *Dicit ad eum regulus : Domine, descende priusquam moriatur filius meus.* 50. *Dicit ei Iesus : Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, et ibat.* 51. *Iam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, et nunciaverunt dicentes, quia filius eius viveret.* 52. *Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei : Quia heri hora septima reliquit eum*

Digitized by Google

febris. **53.** ***Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus : Filius tuus vivit : et credidit ipse, et domus eius tota.*** **54.** ***Hoc iterum secundum signum fecit Iesus, cum venisset a Iudaea in Galilaeam.***

V. 43. Arreptum in Galilaeam iter, de quo v. 3 sermo fuit, Jesus prosequitur.

V. 44. IPSE ENIM IESUS TESTIMONIUM PERHIBUIT. Ad explicandum τὸ ENIM, subaudi post v. 43 : et praeteriens Nazareth ulterius progressus est. Ita, juxta Matth. 4, 13. — Dictum Jesu proverbium erat de communiter at non semper contingentibus.

V. 45. EXCEPERUNT honorifice. — SIGNA... de quibus 2, 23; 3, 2.

V. 46. REGULUS, βασιλικός. Hoc nomine in graecitate illius temporis designabatur aliquis ex magnatibus.

V. 48. ... NISI SIGNA... VIDERITIS... Jesus statim petitioni reguli non annuit, sed ipsi et Galilaeis, ejus similibus, exprobat quamdam in credendo tarditatem. Aliquam sane fidem habebat regulus, at usque ad eventum petiti prodigii nonnihil suspensam; ideo dicit Jesus : NISI VIDERITIS, in hac voce vim faciens : *audisse* vobis non sufficit, *videre* debetis. — Sunt qui velint regulum reprehensum fuisse quia non crederet Dominum posse sanare filium etiam procul, unde rogaverit ut *descenderet.* Ita opinantur ob modum agendi Christi v. 50. Sed hæc explicatio est longius quaestia.

V. 50. FILIUS TUUS VIVIT, id est mortis periculum evasit (v. 51). — CREDIDIT HOMO SERMONI. Credidit Jesum, utpote prophetam, veritatem sibi dixisse, eum autem verbo sanasse filium non nisi postea novit.

V. 53. CREDIDIT tunc, ob sanationem filii quam intellexit a Jesu patratam, eum vere esse Messiam.

V. 54. HOC ITERUM SECUNDUM SIGNUM, τοῦτο πάλιν δεύτερον σημεῖον. Id est : sicut olim rediens e Judaea in Galilaeam primum

Digitized by Google

fecit miraculum mutatae aquae in vinum, ita nunc rediens *iterum*, hoc miraculum secundum in Galilaea operatus est.

Nota. Aliqui rationalistae (ut Weizsaecker etc.) censent sanationem filii reguli et sanationem pueri centurionis, quam referunt Synoptici, esse unum et idem factum mythicum, varie exornatum. Facile confutantur ex utriusque facti adjunctis diversis, quae ipsam rerum substantiam afficiunt. Centurio ethnicus erat, regulus, judaeus, ut concluditur ex v. 48, ubi Jesus judaeos compellat; regulus rogat Jesum ut ad se descendat, centurio ne ad se venire velit protestatur; reguli fidei defectus reprehenditur, centurionis fides laudibus extollitur; reguli filius moriturus jacet, centurionis famulus paralysi laborat, nullo memorato mortis periculo (cf. Schanz, in h. l.).

Digitized by Google

CAPUT V

—

Argumentum. Jesus tendit Jerosolymam ad festum celebrandum et infirmum sanat die sabbato ad piscinam probaticam (1-9). — Hinc lis cum Judaeis de violato sabbato (10-17). — Ex responso Christi nova invidiae occasio, quod Jesus Deum diceret Patrem suum et sic se Deo faceret aequalem. Idipsum autem se merito dicere pluribus argumentis affirmat (18-36). — Judaeis exprobrat incredulitatem ejusque causam aperit (37-47).

Sanatio paralytici

1. *Post haec erat dies festus Iudaeorum, et ascendit Iesus Ierosolymam.* 2. *Est autem Ierosolymis Probatica piscina, quae cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens.* 3. *In his iacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum expectantium aquae motum.* 4. *Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam : et movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate.* 5. *Erat autem quidam homo ibi triginta et octo annos habens in infirmitate sua.* 6. *Hunc cum vidisset Iesus iacentem, et cognovisset quia iam multum tempus haberet, dicit ei : Vis sanus fieri?* 7. *Respondit ei languidus : Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam : dum venio enim ego, alius ante me descendit.* 8. *Dicit ei Iesus : Surge, tolle grabatum tuum, et ambula.* 9. *Et statim sanus factus est homo ille : et sustulit grabatum suum, et ambulabat.*

Digitized by Google

V. 1. POST HAEC ERAT DIES FESTUS IUDAEORUM. — POST HAEC non indicat certum temporis intervallum. Cum Joannes multa facta vitae Jesu omittat, intervallum qualecumque hic licet supponere.

DISSERTATIO PRAEVIA

Circa festum de quo Jo. V. 1

Duplex movetur quaestio.

Quaeritur 1° ***de vera lectione :*** utrum ἑορτὴ an ἡ ἑορτή.

R. *A)* ἑορτὴ sine articulo habent : graecus *receptus;* codices unciales : A (alexandrinus), B (vaticanus), D (cantabrigiensis), G, K, S (?), U, V, Λ; et alii codices plures. — Inter Patres : Origenes, Chrysostomus.

B) ἡ ἑορτή codices unciales : ℵ (sinaiticus), C (nationalis parisinus), F, H, I (videtur), L, M, Δ; alii codices fere 50; editio vetus aldina. — Inter versiones : coptica, sahidica. — Inter Patres : Cyrillus Alex., Theophylactus, qui tamen putat articulum postea additum fuisse.

Conclusio. Ex quo repertus est eximius codex sinaiticus, omnium pro novo testamento praestantissimus, magnum lectioni ἡ ἑορτὴ argumentum accessit, ita ut testimonia codicum pro utraque lectione fere aequivaleant. — Testimonia Patrum inclinant potius ad lectionem ἑορτή; at rursus versiones antiquae magis commendant ἡ ἑορτή. — Usus loquendi S. Joannis pro utraque lectione invocatur; cum enim Joannes, ubi de determinato festo agit, soleat illud nominare (2, 13; 6, 4; 7, 2; 10, 22; 13, 1), alii dicunt : Hoc loco festum non nominat, ergo non vult determinare, ergo non poterat ponere articulum. Alii dicunt : Festum determinatum intellegit, ergo debet illud designare nomine proprio vel aequivalenter. Quod optime fiebat per articulum : ἡ ἑορτὴ designat festum Judaeorum κατ' ἐξοχήν, id est Pascha.

Digitized by Google

Aliqui demum volunt festum Purim per excellentiam dici ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων.

Unde utraque lectio aeque probabilis censeri potest.

Quaeritur 2° ***qualis fuerit ille dies festus.***

Quaestio haec adeo est intricata ut prolixa dissertatione tractanda foret. Praecipua tantum capita discussionis indicabimus.

R. ***1ª sententia.*** Festum ***Paschatis.*** Ita Tol., Luc. Brug., Hengstenb., Reinke (ubi de vaticinio hebdomadum Danielis).

Rationes. 1) Articulus ἡ, probabilis saltem lectionis, et etiam sine articulo ἑορτὴ solum positum, Pascha designaret, ut Matth. 27, 15; Marc. 15, 6; Luc. 23, 17. — 2) Paulo ante (4, 45) S. Joannes festum Paschae ἑορτὴν vocavit sine epitheto; ergo hoc loco eodem vocabulo idipsum designare censendus est. — 3) Ad hoc festum Jesus ascendit Jerusalem : ergo debuit esse unum ex tribus festis praecipuis. — 4) Excluditur autem festum Pentecostis ejusdem anni cujus Pascha commemoratur 2, 13. Nam mense decembri (4, 35) istius anni Christus ivit in Galilaeam ante ἑορτὴν de qua agimus. — Non Pentecostes anni sequentis : secus cur Jesus non venisset ad Pascha paulo ante? Abfuit quidem semel a Paschate, sed ratio indicatur (Jo. 7, 1. 2). — 5) Excluditur festum Tabernaculorum : hoc enim octobri mense fiebat, unde iterum contradictio cum 4, 35. — 6) Ita Irenaeus Haer. 2, 22, 3.

Contra est Jo. 6, 4 : *Erat autem proximum Pascha :* ergo nostra ἑορτὴ Pascha esse nequit, sed debet ante Pascha collocari. Si dicas : 6, 4 est Pascha anni sequentis, reponunt : ergo evangelista, integri anni historia omissa, statim pergeret (6, 1) : *Post haec abiit Iesus.* — Recte tamen replicares, hoc non repugnare : nam Synoptici facta illius anni narrant, ergo Joannes ea omittere potuit. — Deinde Irenaei auctoritatem elevant, utpote qui circa Christi chronologiam erraverit. Sed respondetur : non erravit in hoc puncto, nam (l. c.) dicit Jesum in vita publica quattuor Paschata celebrasse.

2ª sententia. Festum ***Purim*** seu *sortium* (Esther 9, 17), quar-

Digitized by Google

tadecima mensis Adar, Martii. Ita Keppler, Hug, Maier, Schegg, Schanz etc.

Rationes. 1) Defectus articuli. — 2) Jo. 6, 4 et 4, 35. Ergo haec ἑορτὴ inter decembrem et Pascha. Atqui hoc tempore nonnisi Purim celebrabatur. — 3) Si esset Pascha secundum vitae Christi publicae, et 6, 4 Pascha tertium (ad quod Jesus non venit Jerosolymam, juxta 7, 1), tunc per 18 menses, id est usque ad Scenopegiam, mense octobri celebrandam, Jesus legitimum Jerosolymorum iter neglexisset! — 4) Sic optime explicatur tacitum fuisse nomen festi, utpote christianis parum cogniti.

Contra est a) Festum Purim ubique locorum fieri poterat. Ergo nulla ratio cur Jesus ad id celebrandum ascenderit Jerosolymam. — *b)* Erat civile potius quam sacrum et conviviis potissimum agebatur. — *c)* Christus optimam absentiae rationem habebat, *quia volebant eum Iudaei interficere* (Jo. 7, 1). Quodsi potuit abesse a festo Pentecostis, quidni a festo Paschatis?

3ª sententia. Festum ***Pentecostis.*** Ita S. Thom. Maldon.

Rationes. 1) Auctoritas SS. Chrysostomi et Cyrilli Alex. — 2) Harmonia evangeliorum. Matth. 12, 1, narratur discipulos in Galilaea spicas evulsas manducasse. Multiplicatio panum, de qua Matth. 14, 21 et Jo. 6, 10, multo post accidit; haec autem multiplicatio Pascha parum praecessit (Jo. 6, 4). Ergo haec duo facta non potuerunt accidere eodem anno : adeoque inter ea annus fere integer effluxit. Hinc si supponatur Jesus mansisse in Galilaea a decembri ad festum Paschatis, praecedens illud de quo Jo. 6, 4, quo tempore fiebat messis, quinque hebdomadibus postea potuit ire Jerosolymam ad festum Pentecostis, et hoc celebrato redire in Galilaeam (Jo. 6, 1). — 3) ἑορτὴ haec videtur mortem Joannis Baptistae praecessisse; sed Baptista occisus est mense Augusto. Ergo ἑορτὴ nequit esse festum Tabernaculorum, quod mense octobri accidit. — Alia multa de hac quaestione vide in *Quartalschrift*, fasciculo IV anni 1871, in dissertatione Doctoris Stawars.

Digitized by Google

***Contra est** a)* Si Jesus venit ad Pentecosten, cur non ad Pascha? — *b)* Chronologia Synopticorum non sat certa est.

Aliae sententiae. Sunt qui festum ***Tabernaculorum*** vel ***Encaeniorum*** proposuerunt : sed argumenta parum firma sunt et implicite refutata supra. Ita Ebrard apud Olshausen, ita et Patrizi, *De Evangeliis*, L. II, annot. LIII.

Conclusio. Nobis probabilior videtur sententia quae ἑορτὴν Pascha esse tenet.

EXPOSITIO TEXTUS

Prodigium sanati paralytici die sabbato pharisaeis Christum persequendi praetextum praebuit, eidemque pharisaeorum ob id factum oblocutiones refutandi suaeque personae dignitatem commendandi occasionem praeparavit. Atque haec fuit Joanni hujus prodigii narrandi ratio.

V. 2. EST, ἐστι (ἦν habent aliqui codices et Syrus : ܐܝܬ ܗܘܐ), AUTEM IEROSOLYMIS PROBATICA PISCINA. In lectione recepta verbum ἐστι est in praesenti historico S. Joanni usitatissimo. — PROBATICA. Graece aliter : ἔστι δὲ... ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα. Et subauditur πύλη post προβατικῇ. Unde sic : est autem apud portam gregis piscina. — *Porta gregis*, hebraice שַׁעַר הַצֹּאן. Vide Neh. 3, 1, ubi haec porta a sacerdotibus aedificata dicitur. Sita erat prope templum vel, ut recentiores aliqui tenent, erat una ex portis templi, et prope eam videtur fuisse forum ad vendenda pecora. — BETHSAIDA. Graece : Βεθεσδά. Syriace : ܒܝܬ ܚܣܕܐ *(beth chesdo)*, id quod hebraice בֵּית הַחֶסֶד *(beth hachesed)*, *domus* (locus) *beneficentiae*. Hoc piscinae erat cognomen (ἐπιλεγομένη), a populo sane adjectum, ob effectus salutares aquae ejus.

V. 3. IN HIS porticibus, pro aegrotis exspectantibus constructis (?)... — EXSPECTANTIUM AQUAE MOTUM. Hujus exspectandi rationem dat motus aquae incerto tempore excitandus.

V. 4. ANGELUS AUTEM DOMINI DESCENDEBAT...

Digitized by Google

DISSERTATIO

De angelo piscinae Bethsaidae

Quaeritur 1° *utrum versiculus 4 sit authenticus.*

N. B. Ex Tridentini sess. IV, decr. de canon. Script., nequit *a priori* hujus versiculi authentia affirmari. Definivit quidem synodus, *libros singulos* (a se modo enumeratos) *cum omnibus suis partibus..., prout in vulgata latina editione habentur..., pro sacris et canonicis esse suscipiendos;* verum unicus aliquis versiculus *particula* potius quam *pars* libri sacri dici debet. Et quamvis non pauci theologi, quorum Frânzelin, opinentur, a tridentinis Patribus fuisse decretam conformitatem Vulgatae cum originali textu in singulis enuntiationibus *doctrinalibus*, communis certe sententia est, concilium nihil declarasse circa conformitatem in singulis enuntiationibus non doctrinalibus, qualis est Jo. 5, 4 (1).

R. *Contra authentiam.* 1) Omittitur in codicibus uncialibus magni nominis : ℵ (sinaitico), B (vaticano), C prima manu (nation. paris.), D (cantabrigiensi), Λ; et in tribus minusculis. — 2) Item deest in versione syriaca Curetonii, in sahidica, in coptica (edit. Wilkins), in codicibus plerisque armenae, in 3 codd. italae et 4 codd. Vulgatae. — 3) Dubium an Nonnus poeta illum cognoverit (2). — 4) Mira lectionum varietas. Ita alii omittunt insuper verba : *expectantium aquae motum;* alii ea habent. Alii legunt : ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ, alii non ; alii id ponunt post : ὁ... πρῶτος ἐμβὰς. — Sunt qui omittant : *post motionem aquae etc.* — 5) Si versicu-

(1) Videsis ista fusius a nobis tractata in periodico *Études religieuses,* Nov. 1876 et Jan. 1877.

(2) Tischendorf et Scholz monent deesse apud Augustinum. Quod verum est de Tract. in Jo., ad h. l. Sed de angelo descendente aperte disserit Serm. 15 (12) de verb. evangelii S. Joannis, 3.

Digitized by Google

lus esset authenticus, appareret ratio aliqua cur postea fuisset omissus. At nulla talis fingi potest. Contra, ex v. 7 optime explicatur interpolatio.

Pro authentia. 1) Adest in codicibus uncialibus plerisque, inter quos unus praestans, A (alexandrinus); in C tertia manu. E, F, G, H, I, M, U, V, Δ, Λ (prima manu additus); et in plerisque minusculis. — 2) Adest in versionibus : latina itala in 3 codd., Vulgata in codicibus plerisque, syriaca peschito et philoxeniana (in hac tamen signo dubii notatur), coptica (editio dz.), in armenae aliquibus codicibus; praeterea in persica, arabica et slavica. 3) Habebant Patres : Cyrill. Alex., Chrysost., Theophylact., Euthym., Tertull. (De Bapt. 6), Ambros., August. — 4) Aliqui codices qui opponuntur versum tamen habent, vel secunda manu vel obelis aut asteriscis notatum. -- 5) Contexta oratio versum omnino requirit, secus v. 7° responsio aegri non intellegitur. — 6) Omissio postea oborta explicari potest, sive ob silentium historiae de loco et facto sive ex eo quod virtus haec crederetur aquae isti naturalis fuisse. Interpolatio vix concipitur, cum Patres ex omnibus Ecclesiae partibus in admittendo versiculo conspirent. — 7) Ex iisdem principiis variantes lectiones explicantur.

Conclusio. Pondus rationum ad admittendam authentiam istius versiculi 4 potius nos inclinat.

N. B. Inter protestantes et rationalistas authentiam tenent Grotius, Hengstenberg, De Wette, Baumgarten Crusius; rejiciunt Kuinoel, Olshausen, Toluck, Lücke, etc.

Quaeritur 2° ***de interpretatione facti.***

R. ***1ª sententia.*** Aqua ista mineralis erat et cum fonte thermali communicabat, ex quo per vim chemicam aliquod corpus aeriforme (gaz) erumpens aquas insolito motu agitabat, et ipsis virtutem medicinalem insolitam tribuebat. Cessante motu cessabat et virtus sanativa : unde non nisi qui primi descenderant post motionem curabantur. Cum autem vulgus causam hujus virtutis curativae ignoraret, eam angeli descendentis operationi prodigiosae

Digitized by Google

tribuebat, quam opinionem evangelista prout in populo invenit et ipse habebat, ita scribendo retulit. — Ita rationalistae de Wette, Kuinoel etc., qui ideo S. Scripturam hoc loco errasse tenent. — Ita etiam protestantes Grotius, Tholuck etc. et catholici Maier, Schegg, Schanz, qui errorem tamen non in Scripturam refundunt, ut quae voluerit nos docere *factum* hujus aquae medicinalis, *modum* docere non intenderit; illum vero modum retulerit dumtaxat secundum conceptum vulgi, fere sicut in narratione miraculi Josue, ubi etiam dies productior stationi solis, secundum opinionem vulgi, tribuitur.

Rationes. 1) Eusebius (Onomast.) et Hieronymus (De loc. sac.) referunt aquas istius piscinae « mirum in modum rubeas », quod ipsi dicunt tribui solitum sanguini victimarum, quae in iis aquis olim lavabantur. Qui color, aiunt patroni 1ᵃᵉ sententiæ, revera aquas prodit ferrugineas. — 2) Hodiedum ad orientem Jerusalem exstant balnea medicinalia : *Ain es schefa* (fons medicinae), item *Fons virginis*, qui e rupe sub templo majori mahumedano prorumpit, et non raro ebullire et aquas in altum extollere conspectus fuit (vide Hengst. p. 293). — 3) Secus admittendum foret miraculum permanens quod ad oeconomiam salutis supernaturalis nihil conferre videretur. — 4) Neque obstat quod *primus* solus sanabatur : nam, ait Kuinoel, plures statim insiliebant : at is qui curabatur, ideo id factum putabat quia *primus* fuerat; qui non curabatur, ..., quia *non primus*. — 5) τὸ ***a quacumque detinebatur infirmitate*** hyperbole est, quales et alibi Scriptura habet. v. g. Exod. 9, 6 et 9, 9; 9, 25 et 10, 5 (1).

Contra est *a)* Explicationes, qualis admittitur circa narrationem de miraculo Josue, non nisi ob gravissimas rationes admitti

(1) Addunt argumentum ex silentio V. T. et Josephi : at eadem fieret difficultas de *tali fonte* tam mira *naturali* virtute praedito. Josephus multa omittit, et praeterea notat Patrizi (in h. l.), « Josephum tunc vixisse cum, sublatis » judaicis religionibus christianisque jam obtinentibus, illiusmodi miraculi in » ea gente fieri jam desierant. »

Digitized by Google

possunt, quae ibi adsunt, hic non. — *b)* Non concipitur vis chemica omnium morborum curativa. — *c)* Explicatio de curatione solius *primi*, a Kuinoel prolata, satis contorta est. — *d)* Quomodo balneum semel adhibitum poterat aegrotos penitus sanare? — *e)* Si haec virtus naturalis erat, cur postea non permansit? (Forte in excidio civitatis fons obstructus fuerit).

2ª sententia. Virtus curativa aquae isti praeter naturae vires ab angelo (invisibiliter, ut videtur) descendente hinc inde tribuebatur. Ita Patres, et interpretes catholici passim.

Rationes. 1) Hic sensus obvius, a quo sine necessitate non est recedendum. — 2) Adjuncta quae virtuti naturali convenire non possunt : *primus, sanus fiebat, a quacumque infirmitate.* — 3) Quae scribunt Eusebius et Hieronymus, et quae referunt viatores de balneis jerosolymitanis nihil obstant. Nam optime supponi potest aquas piscinae fuisse aliqua etiam naturali virtute curativa donatas, qua angelus uteretur ut eam praeter naturam exaltaret. Virtutes supernaturales non raro congruere naturae quam elevant, in confesso est. — Addebant antiqui argumentum 4) Si virtus fuisset naturalis adfuisset aquae *semper.* Haec tamen ratio nulla est si supponatur actio chemica « intermittens. »

Contra est complexus argumentorum pro sententia 1ª.

3ª sententia. Hengstenberg (1), Olshausen. Virtus sanativa aquae inerat ex viribus naturalibus, et nihilominus angeli operationi debebatur. Nam, secundum doctrinam Scripturae, Deus etiam in ordine naturali effectus non producit nisi mediante ministerio angelorum (2). Circa hanc doctrinam Scripturae cf. Ps. 103 (104), 4 et Hebr. 1, 7; 2 Sam. 24, 16. 17; 1 Par. 21, 15; Is. 37, 36; Act. 12, 23; Apoc. 16, 5; 7, 2.

(1) Hengstenberg : « *In dem Sprudel in Karlsbad würde Joannes den Engel nicht minder erkannt haben, wie in dem Teiche Bethesda.* »

(2) Huic opinioni favere censendus est auctor catholicus gallus, laudatus in periodico *Revue des sciences ecclésiastiques,* Febr. 1872, p. 84. 85, qui et ipse vires naturae dicit operationes angelicas.

Digitized by Google

Item Ps. 17 (18), 11. Sed et Job. 1, 12-20 et 2, 6. 7 similem actionem, permittente Deo, in naturae vires exercet Satan.

Contra est** a)* Non satis constare videtur de hoc angelorum in natura ministerio. Heb, 1, 14 dicuntur ***administratorii spiritus, sed in ordine supernaturali. Textus supra allati rem non conficiunt. — *b)* Quae dicta fuere supra contra naturalitatem *talium* effectuum : unde etiam in hac sententia dura hyperbole foret admittenda.

Conclusio. Admittimus sententiam secundam.

EXPOSITIO TEXTUS

DESCENDEBAT SECUNDUM TEMPUS, gallice : ***de temps en temps***. — ET MOVEBATUR AQUA. Melius : ***et movebat***, ut habet probabilior lectio graeca : καὶ ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ. Variantem lectionem ἐταράσσετο introduxerit librarius bis legendo syllabam το. — Tandem nota haberi in graeco : ἄγγελος γάρ. Unde latine verti debuisset : *Angelus enim*. Et sic clarior fit nexus cum v. 3.

V. 5. ERAT AUTEM QUIDAM HOMO IBI, TRIGINTA OCTO ANNOS HABENS IN INFIRMITATE SUA. Qualis esset infirmitas, conjicitur ex v. 8, paralysis nempe. Non dicit evangelista quamdiu aegrotus ibi jacuisset.

Cetera explicatione non egent.

Disceptatio de violato sabbato

9. Erat autem sabbatum in die illo. 10. Dicebant ergo Iudaei illi, qui sanatus fuerat : Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. 11. Respondit eis : Qui me sanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum, et ambula. 12. Interrogaverunt ergo eum : Quis est ille homo, qui dixit tibi : Tolle grabatum tuum, et ambula? 13. Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus enim declinavit a turba constituta in loco.

Digitized by Google

14. ***Postea invenit eum Iesus in templo, et dixit illi : Ecce sanus factus es : iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*** **15.** ***Abiit ille homo, et nunciavit Iudaeis quia Iesus esset, qui fecit eum sanum.*** **16.** ***Propterea persequebantur Iudaei Iesum, quia haec faciebat in sabbato.*** **17.** ***Iesus autem respondit eis : Pater meus usque modo operatur, et ego operor.***

V. 9. ERAT AUTEM SABBATUM. Inde causa totius colloquii sequentis.

V. 10. IUDAEI, magistratus etc., occurrunt homini portanti lectum quando Jesus jam recesserat et eum violatae legis accusant, secundum Exod. 20, 8 et Jer. 17, 21 : *Custodite animas vestras, et nolite portare pondera in die sabbati, nec inferatis per portas Ierusalem.*

V. 11. Homo provocat ad illius qui se curaverat auctoritatem quam a Deo esse dubitare non poterat. Hinc illi in lege dispensandi potestas competere credenda erat.

V. 12. QUIS EST ILLE HOMO... ὁ ἄνθρωπος? Contemptum hoc redolet : quis *homo* qui a lege *Dei* audeat dispensare? Suspicabantur Jesum prodigii auctorem.

V. 13. NESCIEBAT QUIS ESSET, nomen ejus ignorabat.

V. 14. POSTEA INVENIT, εὑρίσκει, EUM, id est occurrit ei. — IAM NOLI PECCARE. Græce μηκέτι, *ne amplius.* Ergo prior ei infirmitas in poenam peccati obvenerat. Bonum argumentum contionatoribus et confessariis.

V. 15. ... NUNCIAVIT IUDAEIS, non animo prodendi Jesum, sed potius ejus gloriam apud magistratus manifestandi.

V. 16. PERSEQUEBANTUR, atque adeo quaerebant interficere (cf. v. 18), ad quod « legalitatis » speciem praetendere poterant, secundum Num. 15, 35, ubi de punitione hominis qui sabbato ligna collegerat. — Graecus receptus addit καὶ ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι. Glossema videtur.

Digitized by Google

V. 17. PATER MEUS USQUE MODO OPERATUR, ET EGO OPEROR. Sabbatum institutum quidem erat ad normam quietis Dei post opus creationis; at requies illa non est omnimoda : nam Deus a mundi initio USQUE MODO, sine intermissione adeoque etiam diebus sabbatinis operatur, mundum conservando et regendo. Hunc Deum Summum Jesus nunc dicit *Patrem suum* et ex eo quod ille operatur concludit : ET EGO OPEROR. Apposite Patrizi : « His Christus non sabbati religionem improbat, quae » etiamnum obtinebat, sed Judaeorum stuporem carpit putan» tium hanc religionem laedi iis quoque rebus efficiendis quae » unus Deus efficere, tametsi etiam per homines, potest. » Praeterea eodem jure se innuit a lege sabbati eximi ac Deus Pater ab ea eximitur, ac proinde Deo se aequalem dicens, Deum proprium Patrem suum proclamat. Sic necessario intellegendus erat, et sic revera Judaei eum optime intellexerunt. Conceptum eumdem amplius evolvet infra. Ex quo clare doctrina consubstantialitatis patet. Vide S. Chrysost. in h. l. — Itaque hic sermo est de operatione Christi non *humanitatis* sed *divinitatis*.

Disceptatio de Christi persona

18. ***Propterea ergo magis quaerebant eum Iudaei interficere : quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo. Respondit itaque Iesus, et dixit eis :*** **19.** ***Amen, amen dico vobis : non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit.*** **20.** ***Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei, quae ipse facit : et maiora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.*** **21.** ***Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat : sic et Filius, quos vult, vivificat :*** **22.** ***Neque enim Pater iudicat quemquam : sed omne iudicium dedit Filio.*** **23.** ***Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant***

Digitized by Google

Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum. **24.** *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam, et in iudicium non venit, sed transiit a morte in vitam.* **25.** *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei: et qui audierint, vivent.* **26.** *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit et Filio habere vitam in semetipso:* **27.** *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.* **28.** *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei:* **29.** *Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.* **30.** *Non possum ego a meipso facere quidquam. Sicut audio, iudico: et iudicium meum iustum est: quia non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.*

V. 18. PROPTEREA ERGO MAGIS QUAEREBANT EUM IUDAEI INTERFICERE... En nova necis ei moliendae ratio: crimen *blasphemiae*, secundum Lev. 24, 16: *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur*. PATREM SUUM DICEBAT DEUM. Graece πατέρα ἴδιον ἔλεγε τὸν θεόν: non sicut ceteri homines justi Deum dicunt patrem; ideoque Jesus dixerat: Pater *meus*, non, *noster*. Hinc in mente Judaeorum AEQUALEM SE FACIEBAT DEO, utpote Dei filium proprium se dicens. Talem vere se dixerat, talis erat: ergo non blasphemabat. Hoc jam ipse Jesus Judaeis probaturus est, utroque sibi objecto crimine se simul purgans.

V. 19. Conclusionem Judaeorum valide confirmat nedum ut falsam eam repudiet. AMEN, AMEN DICO VOBIS: NON POTEST FILIUS A SE FACERE QUIDQUAM, NISI QUOD VIDERIT PATREM FACIENTEM: QUAECUMQUE ENIM ILLE FECERIT, HAEC ET FILIUS SIMILITER FACIT. Hinc omnia ejus opera, opera ipsius Dei sunt, adeoque ab omni reprehensione immunia. Apposite ad

Digitized by Google

haec S. Chrysost. : « Dico quod licet mihi operari in sabbato, » quia et Pater meus continue operatur, cui non possum con- » traria operari, et hoc quia non potest Filius a se facere quid- » quam. »

Haec verba Christi explicari non possunt de natura ejus humana : nam secundum hanc potest *facere a seipso* quidquid vires hominis naturales non excedit; item quae in hac natura fecit non omnia vidit Patrem facientem, v. g. ambulare super aquas. — Sed nec de natura humana in quantum cum Deo conjunctionem habet : nam secundum eam non fecit *quaecumque* facit Pater, v. g. creationem mundi. — Restat igitur ut cogitetur in Christo natura *divina*, quam habeat Filius a Patre identicam et secundum quam habeat a Patre *operari quaecumque ille fecerit*, non imitatione operando post Patrem sed operatione identica quam, sicut habet esse a Patre, ita et ab eo habeat (1). — Ubi dicit : HAEC ET FILIUS SIMILITER FACIT, tria excludit, ait S. Thomas : particularitatem *(quaecumque)*, diversitatem *(haec)*, imperfectionem *(similiter)*. — Et August. : « Litteras easdem » facit et cor et manus, sed non similiter : cor enim nostrum facit » eas intellegibiliter, manus autem visibiliter. (Filius) si et haec » facit et similiter facit,... aequalis est Patri Filius. » Totus S. Augustini locus, prolixior qui exscribatur, omnino legendus est (in h. l.).

Dilucide etiam S. Cyrillus Alex. (in h. l.) : « In eo enim quod » potest eadem per omnia facere quae sunt Dei ac Patris, et ope- » rari similiter ac Pater, identitatem probat eorum substantiae » (τῆς οὐσίας ἑαυτῶν μαρτυρεῖ τὴν ταυτότητα). .... Igitur ut Deus » verus ex Deo Patre vero, eadem cum illo facere se posse ait, » sed ut non solum virtute aequalis esse Patri videatur, sed ejus-

(1) Imitationem proprie dictam excludi, optime olim Patres contra arianos ostenderunt, ex eo quod mundus *per Filium* factus est. Quem sane mundum antea Pater non fecerat.

Digitized by Google

» dem per omnia sententiae (ὁμογνώμων), et unam in cunctis ha-
» bere voluntatem. »

Ex eo quod Filius nihil possit facere a seipso, nullum in eo importatur imperfectio dependentiae, sed indicatur relatio originis seu aeternae generationis, per quam totam divinitatem habeat a Patre.

Quaeritur quid sibi velit : *quod viderit Patrem facientem.*

R. *Videre* in Filio, correlativum est ad *demonstrare* in Patre, quod v. 20°. Metaphorica dictio est, exhibens communicationem divinae operationis Filio derivatam a Patre. Unde hic conceptus ab omni imperfectionis nota spoliandus est. — SS. August., Cyrill., Thom. : *Videre* est accipere divinam cognitionem. S. August. : « Hoc est illi audire quod esse, et hoc est illi videre quod esse. »

V. 20. PATER ENIM DILIGIT FILIUM, ET OMNIA DEMONSTRAT EI, QUAE IPSE FACIT. Ad haec S. Thom. : « Ratio ista » desumitur ex dilectione non ut ex principio, sed ut ex signo... » Ubi perfecta similitudo, ibi perfecta dilectio. » Hinc istud *et* non est pro *ideoque*, sed mera conjunctio. Filius Patris est imago perfecta, ideo Pater diligit Filium et omnia demonstrat ei. — Igitur haec communicatio fit quidem a Patre in Filium cum infinito amore, at non ex amore ut effectus e causa procedit. Sed et divina essentia et amor et operatio, omnia in Patre et Filio identificantur.

In hac tamen explicatione non omnes conveniunt.

1ª sententia. Toletus vult amorem hic exhiberi ut *causam*, non quod talis sit in se, sed quia Christus loquitur juxta conceptum hominum apud quos communicatio bonorum solet esse effectus amoris.

Rationes. 1) Sensus obvius particulae *et* est *ideoque*. — 2) In tota hac pericopa sermo Christi humanis conceptibus est accommodatus. — 3) Signa rationis ponere in Deo non est de eo falsum dicere. — Unde et haec explicatio nobis non displicet (cf. comment. ad 3, 13).

Digitized by Google

2ª sententia. Maldonatus vult agi de amore quo Pater Filium diligit quatenus hominem, ob quem amorem maxima ei dona contulit.

Ratio. *Et* significat *ideo* : atqui sic de divinitate Verbi exponi nequit. Ergo restat ut de ejus humanitate exponatur.

Contra est, Patrem Christo homini non demonstrare *omnia* quae ipse faciat.

ET MAIORA HIS DEMONSTRABIT EI OPERA, majora hac paralytici curatione ceterisque prodigiis hactenus patratis. — UT (ἵνα) VOS MIREMINI. Utrum ἵνα hic adhibeatur ἐκβατικῶς (*de sorte que*) an τελικῶς (*afin que*) dissident interpretes. Prius nobis praeplacet admittendum; neque in hoc usus loquendi offenditur : nam aliquando certo ἵνα sumitur ἐκβατικῶς in Scriptura, v. g. Gen. 22, 14 : ἵνα εἴπωσι σήμερον; et saepe sic congruenter exponitur, v. g. Rom. 5, 20; Apoc. 13, 13. — Mox quae sint illa MAIORA evolvet.

V. 21. SICUT ENIM PATER SUSCITAT MORTUOS, ET VIVIFICAT ....

Tota haec pericopa v. 21-30 magnam prae se fert difficultatem. Unde.

Quaeritur 1° de quanam ***vita*** et de qua ***morte*** hic sermo sit.

R. 1ª sententia. (SS. Chrysost., Cyrill., Hilar., Thom.; Maldon., Tol., Luc. Brug. etc.) Vita et mors ***physica.***

Rationes. 1) Connexio cum praecedentibus : *physicae* paralytici curationi respondet, ut opus magis admiratione dignum, *physica* mortuorum suscitatio. — 2) V. 25° alluditur ad mortuos a Christo mox suscitandos, Lazarum etc. — 3) V. 28°, nemine fere contradicente, agitur de resurrectione carnis ultimo die perficienda : similitudo autem dictionis in v. 28 et 25 postulat agi de eodem argumento. — 4) Suscitatio mortuorum simul hic venit cum *judicio* (v. 22. 24. 27. 29). Atqui judicium a Filio Dei olim exercendum ilico carnis resurrectionem sequetur. — 5) Haec mortuorum suscitatio ea erit quam Judaei *mirentur*. Ergo physica.

Digitized by Google

2ª sententia. (S. August., Patrizi, Bisping, Beelen, Maier.) Vita gratiae et gloriae seu ***supernaturalis;*** mors ***peccati.***

Rationes. 1) V. 21° Filius *quos vult* vivificat : ergo non omnes vivificat; atqui resurrectio mortuorum physica erit *omnium* (Reponi tamen potest τὸ *quos vult* referri ad eos quos Christus in priori suo adventu ad vitam revocavit). — 2) V. 24° vita haec dicitur vita *aeterna* quam *habet* quisquis *credit* in Christum : haec autem sane est vita supernaturalis. — 3) Item ibidem credens dicitur *transiisse* (μεταβέβηκεν) de *morte*, utique peccati, ad *vitam*, gratiae profecto. — 4) Ibidem *judicium* opponitur *vitae;* et similiter v. 29°. — Ergo non vita physica quam omnes judicandi in novissimo die accipient. — 5) V. 25° dicitur, *et nunc est :* ergo hic locus non agit de resurrectione ultima sicut v. 28, ubi confusio vitatur per *qui in monumentis sunt.* — 6) Parallelismus versus 26 cum 1, 4, ubi de vita supernaturali. — 7) Item parallelismus versus 24 cum 3, 16-18, ubi, sicut hoc loco, *vitae* opponitur *judicium*, seu condemnatio ad mortem aeternam, iis reservatum qui in Christum non crediderint. — 8) Haec vita supernaturalis, licet in se invisibilis, tamen in Ecclesia manifestabit se per effectus *mirabiles.*

3ª sententia. (Hengstenberg) ***Utraque vita*** simul intenditur, ***utraque mors.***

Contra est, conceptum *vitae* sic intellectae non esse genericum sed tantum analogum; unde non videri uno vocabulo utroque sensu posse hic venire.

Quaeritur 2° quid veniat nomine ***judicii*** in praesenti loco.

R. Omnes conveniunt v. 24° et 29° idem valere ac *condemnationem.*

At de v. 22 et 27 dissentiunt.

Passim ii qui volunt agi de vita *physica* intellegunt judicium *discussionis* omnibus hominibus subeundum (Rom. 14, 10). — Ita etiam S. August.

Rationes. 1) Act. 10, 42 : *Ipse est qui constitutus est a Deo*

Digitized by Google

iudex vivorum, et mortuorum. — 2) Dictio generalis est, ergo non restringenda. — 3) Ratio addita v. 27°, *quia Filius hominis est*, optime procedit in hac sententia.

Ii qui exponunt de vita *supernaturali* volunt *judicium* ubique hoc loco idem sonare ac *condemnationem*.

Rationes. 1) Ita certo versibus 24 et 29 : ergo et 22 et 27, si sermo Christi sibi constat. — 2) Eo magis quod versibus 22 et 27 etiam τὸ *judicium facere* opponatur ad *vivificare*. — 3) Ratio addita etiam valet in hac sententia : nam vitam dat qua Deus est, incredulos condemnat qua homo est; et sic verum est, actionem vivificandi esse Patri Filioque communem, utpote divinam; actionem judicandi non communem utrique, utpote ex parte in Filio *humanam*. — 4) Usus loquendi S. Joannis passim ita κρίσιν usurpantis.

Conclusio. Ex collatis utrinque argumentis potius admittendum videtur agi hoc loco de *vita supernaturali gratiae et gloriae*, deque *morte peccati*; et consequenter de *judicio condemnationis*. Contraria tamen sententia etiam solida probabilitate gaudet. — Jam ad singula.

V. 21. SUSCITAT, ET VIVIFICAT una actio est duplici conceptu enuntiata, altero justificationis negativae, altero positivae. — QUOS VULT, ut ostendatur in communi illa operatione cum Patre omnimoda Filii independentia. — VIVIFICAT Filius item a se SUSCITATOS, quod subintellegitur.

V. 22. NEQUE ENIM PATER IUDICAT QUEMQUAM, SED OMNE IUDICIUM DEDIT FILIO. Pater et Filius identicum exercent judicium qua Deus sunt, sed de hoc judicio hic abstrahitur; praeterea Filius judicat seu condemnat impios operatione non communi, qua homo est; et de hac agi hoc loco patet ex v. 27. — Hoc judicium exercet Filius in eos quos *non vivificat*.

V. 23. UT OMNES HONORIFICENT FILIUM. En finis ob quem Pater Christo homini dedit condemnandi impios potestatem, ut ob eam omnes cum timore et reverentia Filio, homini-Deo, debi-

Digitized by Google

tum honorem exhibeant. — SICUT HONORIFICANT PATEM, en qualis debeat esse honor ille, idem qui Patri redditur. Eam enim esse vim particulae sicut, καθώς, ex contextu liquet et ex traditione Patrum. — QUI NON HONORIFICAT FILIUM, NON HONORIFICAT PATREM, QUI MISIT ILLUM. Contemptus legati missi contemptus censetur mittentis. Vel etiam : qui non honorificat *Filium* Deum, neque Deum, qua hic *Pater* est, honorificat.

Juvat hic aliquot Patrum testimonia adducere.

S. Augustinus (in h. l.) : « Sed ne forte Patrem quidem hono-
» rifices tamquam majorem, Filium vero tamquam minorem, ut
» dicas mihi, honorifico Patrem, scio enim quod habeat Filium;
» et non erro in Patris nomine, non enim Patrem intellego sine
» Filio, honorifico tamen et Filium tamquam minorem : corri-
» git te ipse Filius et revocat te, dicens : *ut omnes honorificent*
» *Filium*, non inferius, sed *sicut honorificant Patrem. Qui* ergo
» *non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit*
» *illum*. Ego, inquis, majorem honorem volo dare Patri, mino-
» rem Filio. Ibi tollis honorem Patri ubi minorem das Filio. »

S. Cyrill. Alex. (in h. l.) : « Nam si omnia est quaecumque
» Pater, quod ad dignitatem Deo convenientem spectat, quomodo
» non decebit iisdem honoribus eum conorari cui nihil ad identi-
» tatem substantiae deest? »

S. Athan. (Expos. fidei. I). « Credimus ... Filium ... veram
» Patris imaginem, honore et gloria parem : *haec est enim*,
» inquit, *voluntas Patris, ut quemadmodum Patrem honorant*,
» *ita et Filium honorent*. »

S. Hilar. (De Trinit. 9, 23), ad Jo. 5, 23 : « Nunquam nisi
» naturalia exaequantur in honore : neque exaequatus honor
» separat honorandos. Cum sacramento tamen nativitatis po-
» scitur honoris aequalitas. Cum Filius ita honorandus ut Pater
» sit, ... non est extra solius Dei honorem, cujus honor idem
» atque unus et Dei est. »

V. 24. AMEN, AMEN DICO VOBIS. Redit formula affirmatoria,

Digitized by Google

quia jam docet quinam sint a se vivificandi. — QUI VERBUM MEUM AUDIT aure docili, ET CREDIT EI, QUI MISIT ME, eo ipso quod credit mihi, HABET VITAM AETERNAM, jam in praesenti incohatam per gratiam, consummatam in spe et jure hereditatis. — ET IN IUDICIUM NON VENIT, οὐκ ἔρχεται. Praesens pro praesenti simul et futuro — SED TRANSIIT, μεταβέβηκε (id enim jam factum simul ac credidit), DE MORTE peccati AD VITAM gratiae.

V. 25. AMEN, AMEN DICO VOBIS, QUIA VENIT (ἔρχεται) HORA, tempus praedefinitum, ET NUNC EST, seu tempus hoc jam praesens est, QUANDO MORTUI secundum animam, morte peccati, AUDIENT VOCEM FILII DEI eos ad vitam supernaturalem vocantis. Filius omnes quidem tales mortuos vocat, sed non omnes volunt audire vocem vocantis, at QUI AUDIERINT, fide divina credendo, VIVENT vita gratiae. — Duo igitur hic asserit Christus : 1) jam nunc spiritualiter mortuos ad vitam vocari a Filio, et 2) qui audierint vitam accipere ab ipso Filio.

V. 26. SICUT ENIM PATER HABET VITAM IN SEMETIPSO : SIC DEDIT ET FILIO HABERE VITAM IN SEMETIPSO. Hic ratio redditur cur qui audierint vocem Filii vivant, quia scilicet Filius habet vitam in semetipso, id est sibi ipsi est vivere, vitam non habet ab alio ut a causa sed per propriam essentiam, et ita in se est omnis vitae fons et origo : unde eam quibus vult impertitur. Sed et in ipso Filio qua ratione sit haec vita essentialis, constante sibi in omnibus sermone, addit : quia Pater vitam habet in semetipso, unde necessario genuit Filium qui habeat vitam in semetipso utpote sibi natura identicum.

V. 27. Ex eo quod Filius habet in se plenitudinem vitae subintellegitur in eo potestas vivificandi, eos scilicet qui audierint. Cui potestati per oppositionem respondet POTESTAS IUDICIUM FACERE, id est condemnandi eos qui non audierint. Cf. 3, 18. Hanc similiter DEDIT EI PATER, QUIA FILIUS HOMINIS EST. *Filius hominis* hic non est idem ac *homo* in genere sed est nomen proprium quo solet Christus seipsum vocare. Ita certe

Digitized by Google

intellexit Syrus, qui hic ponit ܒܪܗ ܕܐܢܫܐ, non ܒܪܢܫܐ. Sensus : quia Messias est, missus homo a Deo. Nexum autem sic explicat S. Thomas : 1) ut ab omnibus judicandis videatur : judicandi autem impii Deum *in forma Dei* videre nequeunt, secus forent beati, ergo restat ut videant eum *in forma servi*. — 2) quia ut *homo* ab impiis in passione condemnatus fuit. Cf. Matth. 26, 64 : *Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus caeli*. Apoc. 1, 7 : *Et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt*. — 3) ad insinuandam judicis clementiam, secundum Heb. 4, 15.

V. 28. NOLITE MIRARI HOC (1) quod vobis de vivificandis credentibus et judicandis impiis dixi, QUIA (nam) VENIT HORA, IN QUA OMNES, QUI IN MONUMENTIS SUNT, id est corporaliter mortui, et ipsi AUDIENT VOCEM FILII DEI eos ad vitam corporalem vocantis. — Hoc igitur loco Christus resurrectionem omnis carnis, a se in hora diei novissimi perficiendam, tamquam pignus quoddam proponit operandae a se resurrectionis spiritualis analogae et condemnationis eidem per contrarium respondentis. — Resurrectio autem carnis, quamvis in se sit opus minus justificatione peccatorum, opus tamen est mirandum magis, quia visibile est. Et sic apparet nexus : *Nolite mirari hoc, quia faciam aliud etiam mirabilius*.

V. 29. ET PROCEDENT (e sepulchris, ἐκπορεύσονται) QUI BONA FECERUNT ex fide et gratia, IN RESURRECTIONEM VITAE gloriae caelestis; QUI VERO MALA EGERUNT, IN RESURRECTIONEM IUDICII, seu damnationis. — Ergo non sola fides sufficit ad salutem, sed opera apud judicem ratio discretionis erunt.

V. 30. NON POSSUM EGO A MEIPSO FACERE QUIDQUAM.... Quod versu 19 de omni sua operatione dixerat, nunc judicandi

(1) S. Chrysost. (in h. l.) vult ita legi : *Quia Filius hominis est nolite mirari hoc*... At contra est enuntiationis constructio.

Digitized by Google

operationi applicat, dicens : SICUT AUDIO, IUDICO, ET ideo IUDICIUM MEUM IUSTUM EST, QUIA NON QUAERO....

Duplex hujus loci expositio. Altera, haec a Christo dici quatenus *homo* est.

Ut *homo* enim judicaturus est; et ut *homo* tantum habet voluntatem suam aliam a voluntate Patris, licet huic plane consonam.

Altera, haec dici de Christo qua *Deus* est.

Nam qua homo multa potest facere a seipso. Cf. v. 19 et 30.

Praeterea, licet judicet ut *homo*, simul tamen ut *Deus*. Quod autem dicit Christus de concordia voluntatis suae cum voluntate Patris, etiam de divina voluntate intellegi potest. Hanc enim, licet cum voluntate Patris identicam, a Patre tamen acceptam habet; adeoque posset ab auditoribus alia a voluntate Patris cogitari.

Difficile dictu utra expositio sit praeferenda.

SICUT AUDIO, in expositione priore, valet *sicut mihi inspiratur a Deo Patre*; in altera, divinam Filii generationem connotat, ut v. 19 terminus *viderit*.

Judaeorum incredulitas

31. ***Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.*** **32.** ***Alius est, qui testimonium perhibet de me : et scio quia verum est testimonium, quod perhibet de me.*** **33.** ***Vos misistis ad Ioannem : et testimonium perhibuit veritati.*** **34.** ***Ego autem non ab homine testimonium accipio : sed haec dico ut vos salvi sitis.*** **35.** ***Ille erat lucerna ardens, et lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.*** **36.** ***Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim, quae dedit mihi Pater ut perficiam ea : ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me :*** **37.** ***Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me : neque vocem eius unquam audistis,***

Digitized by Google

neque speciem eius vidistis. 38. *Et verbum eius non habetis in vobis manens : quia quem misit ille, huic vos non creditis.* 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere : et illae sunt, quae testimonium perhibent de me.* 40. *Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* 41. *Claritatem ab hominibus non accipio.* 42. *Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.* 43. *Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me : si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* 44. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quae a solo Deo est, non quaeritis?* 45. *Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem : est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis.* 46. *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit.* 47. *Si autem illius litteris non creditis : quomodo verbis meis credetis?*

V. 31. SI EGO TESTIMONIUM PERHIBEO DE MEIPSO, TESTIMONIUM MEUM NON EST VERUM. Concessionis figura est. Hactenus haec omnia de sua cum Patre identica operatione, vivificandi et judicandi potestate, Christus asseruerat; Judaeos vero conspiciebat incredulos testimonio quod ipse de se proferebat : ideo hoc respondit tacitae objectioni. *Esto, mihi de meipso testanti fidem ne habetote.*

V. 32. ALIUS EST, quis, nondum dicit, QUI TESTIMONIUM PERHIBET DE ME, ET SCIO QUIA VERUM EST.... Confidenter ad hoc testimonium appellat.

V. 33. VOS MISISTIS AD IOANNEM... Ad abundantiam juris et per praeteritionis figuram testimonium de se a Joanne Baptista latum allegat, id verum fuisse affirmat; hoc tamen testimonio nunc niti non vult, sed pergit :

V. 34. EGO AUTEM NON AB HOMINE TESTIMONIUM ACCIPIO, adeoque neque ab ipso Joanne, qui homo tantum est. — SED HAEC

Digitized by Google

DICO UT VOS SALVI SITIS, ut vel ob hoc Joannis testimonium in me credatis, si testimonium Dei non capitis; vel ut per testimonium Joannis praeparemini ad testimonium Dei Patris recipiendum.

V. 35. ILLE ERAT LUCERNA ARDENS, ET LUCENS, ὁ λύχνος. Non *lux* (1, 8), sed *lucerna* excellens (cf. Matth. 5, 15), lumen veritatis de Messia spargens et ejus adventui praelucens. — VOS AUTEM VOLUISTIS AD HORAM, per breve tempus, EXULTARE, gloriari, inconsiderato gaudio moveri, IN LUCE EIUS, seu in praedicatione ejus. — Sed haec eorum admiratio brevis fuit, nam postea Joannem persecuti sunt. Cf. Luc. 7, 30. 33; Matth. 17, 12.

Christus videtur dixisse ERAT, ἦν, quia tunc Joannes jam neci traditus fuerat.

Ad h. l. cf. Eccli. 50, 6-10, de Simone, Oniae filio.

V. 36. EGO AUTEM HABEO TESTIMONIUM MAIUS IOANNE, id est testimonio Joannis. Hoc testimonium ipsius Patris est, perhibentis Jesum a se Deo missum et loquentis, non voce tantum, sed operibus, miraculis, quae Filio suo dedit patranda. — Cf. 10, 37. 38, locum omnino huic parallelum.

V. 37. ET QUI MISIT ME PATER, IPSE TESTIMONIUM PERHIBUIT DE ME, non solum dando mihi ut perficerem haec opera, seu mediate; sed etiam per se, seu immediate. Estque haec conceptuum gradatio, et instantior incredulorum auditorum convictio. — Quale sit immediatum istud testimonium disputatur. Alii volunt esse testimonium Patris in baptismo Christi; sed obstat : *neque vocem eius unquam audistis.* — Alii, ipsa opera quatenus sunt VOX quaedam Patris loquentis, unde NEQUE, statim sequens, valeret *quamvis non.* — Alii, testimonium Dei in Scriptura per vaticinia de Filio suo. Hoc probabilius, utpote contextui magis consonum. Cf. v. 38. 39.

NEQUE VOCEM EIUS UNQUAM AUDISTIS, NEQUE SPECIEM EIUS VIDISTIS...

V. 38. ET VERBUM EIUS NON HABETIS IN VOBIS MANENS.

Locus difficilis : unde multiplex expositio.

Digitized by Google

Expositio 1a (Patrizi, Schegg, Maier). Increpatio est Judaeis : Pater testatus est de me in Scripturis, sed vos vocem ejus per Scripturas loquentis nunquam audistis, neque personam testantis agnovistis, nec verbum ejus praecordiis manens habetis, et hoc quia quem misit ille huic vos non creditis. — Duriusculum tamen est sic explicare *vocem non audistis, neque speciem vidistis.*

Expositio 2a (Luc. Brug.). Concessio est : Pater testatus est de me : fateor vos vocem ejus non audivisse, neque speciem vidisse; sed verbum Dei non habetis in vobis..., unde testimonium illud non percipitis. — Contorta est.

Expositio 3a (Hengstenberg). Quia Messiam non recipitis, exclusi estis a communicatione cum Deo patre vestro. — Non est improbabilis.

Expositio 4a (Toletus, cui adhaeret Beelen). Totus hic locus explicandus ex Deut. 18, 15-19, ubi exponitur pactum Dominum inter et populum : hunc non amplius auditurum vocem Domini, nec visurum manifestationem ejus per fulgur et ignem, sed Dominum eis missurum Prophetam, in cujus ore ponat verbum suum, quod qui non susceperit, vindictam Dei experturum. Atqui Dominus pactum suum servavit; ipsi non servarunt, quia Prophetae misso a Domino non crediderunt. — Haec expositio 1) habet pro se parallelismum cum vetere testamento; — 2) textus hujus loci facilius connectit; — 3) consonat versiculis 45. 46. — Est et ipsa probabilis, quamvis forte non satis obvià.

V. 39. SCRUTAMINI SCRIPTURAS, QUIA VOS PUTATIS... — SCRUTAMINI, ἐρευνᾶτε, forma est grammaticalis ambigua. Unde

Quaeritur utrum in mente S. Joannis sit ***imperativus*** an ***indicativus.***

R. *1a sententia.* (Chrys., Athan., Basil., Euthym. Luc. Brug...). Imperativus.

Rationes. 1) Ita versio syriaca Peschito et Cureton, ubi ܒܨܰܘ. — 2) Textus ad quem Christus videtur alludere, Is. 34, 16 :

Digitized by Google

Requirite diligenter in libro Domini, et legite. — 3) Similis locutio 7, 52.

2a sententia (Cyrill. Alex., Tol., Haneb., Schanz, Beelen, Maier, Tholuck...). Indicativus.

Rationes. 1) Nihil hic exhortationem a Jesu fieri indicat. — 2) Cetera verba, ἔχετε, θέλετε, in hac pericopa in indicativo sunt. 3) Melius consonat ratiocinio Christi : Investigatis Scripturas; illae de me testantur, et tamen non vultis venire ad me...

Haec sententia praeferenda est.

PUTATIS, et quidem merito, IN IPSIS VITAM AETERNAM HABERE, id est doctrinam quae vobis vitam aeternam ostendat, ET ILLAE SUNT QUAE TESTIMONIUM PERHIBENT DE ME, tamquam de fonte istius vitae aeternae, de Messia. — Hilgenfeld exponit haec verba quasi continerent increpationem Judaeorum, quod adhuc in veteris testamenti oraculis vitam aeternam sibi quaererent. Non recte : nam veteris testamenti oracula etiam sub nova oeconomia ad vitam aeternam ducunt, dummodo non intellegantur pravo sensu, perfectiorem oeconomiam excludente. Pravus quidem iste sensus mentibus Judaeorum insidebat; sed poterat Christus ab eo praescindere.

V. 40. ET NON VULTIS VENIRE AD ME UT VITAM HABEATIS. Particula ET idem valet ac *et tamen*. Judaeorum malitiam vel certe vincibilem ignorantiam in luce ponit. — VENIRE AD ME : credere in me ut in Messiam.

V. 41. CLARITATEM AB HOMINIBUS NON ACCIPIO. Quasi parenthesis est haec sententia : *Nolite putare me haec vobis exprobrare, quia quaero a vobis gloriam obtinere.* — Est haec responsio tacitae objectioni.

V. 42. SED COGNOVI VOS, QUIA DILECTIONEM DEI NON HABETIS IN VOBIS. Parenthesi clausa, pergit Dominus eis incredulitatem eorum exprobrare. Novi, ait, vestram incredulitatem non venire ex obscuritate Scripturarum de me testantium, sed ex eo quod Dei dilectionem non habetis in vobis et sic

Digitized by Google

ea quae Dei sunt non capitis, Messiae regnum terrenum fore aestimantes.

V. 43. EGO VENI IN NOMINE PATRIS MEI, operibus missionem meam manifestans et vaticinia messianica in me adimplens, ET NON ACCIPITIS ME ut Dei legatum et Filium. — SI ALIUS, pseudochristus, VENERIT IN NOMINE SUO, nullum exhibens divinae missionis argumentum nisi proprium assertum, ILLUM ACCIPIETIS. Praedicit hic Christus id quod ante excidium Jerusalem eventu completum est. Multi tunc pseudochristi surrexerunt. Cf. Matth. 24, 24.

V. 44. QUOMODO VOS POTESTIS CREDERE? id est, insuperabilem fidei divinae obicem ponitis, QUI GLORIAM AB INVICEM ACCIPITIS (hypocrisim intendit pharisaeorum, de qua saepe alias, qua omnia opera in specie bona facerent ut ab hominibus gloriam acciperent): ET GLORIAM, QUAE A SOLO DEO EST, qua Deus vere humiles exaltat laude bono operi debita, NON QUAERITIS? — Gravissimum sane documentum : longe esse a fide qui seipsos et laudes humanas quaerant; proximos vero, qui in humilitate Deo soli placere velint! Hinc incredulus si velit credere, ante omnia oret et se Deo subjiciat.

V. 45. NOLITE PUTARE QUIA EGO ACCUSATURUS SIM VOS... Sensus est : Non est opus ut ego vos accusem apud Deum Patrem meum : nam adest jam alius qui vos accuset : EST QUI ACCUSAT VOS MOYSES, IN QUO VOS SPERATIS tamquam in mediatore vestro ad Deum. Et quare accusabit vos? Quia ei non creditis. Et probo vos ei non credere.

V. 46. SI ENIM CREDERETIS MOYSI, CREDERETIS FORSITAN ET MIHI, id est, juxta graecum ἐπιστεύετε ἂν ἐμοί, *utique, sane crederetis mihi*. Et iterum quare? DE ME ENIM ILLE SCRIPSIT : nempe celebre et apud Judaeos notissimum suum vaticinium de *Propheta*, Deut. 18, 18 : *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui : et ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quae praecepero illi*. Cf. de eodem

Digitized by Google

dicta supra, ad 4, 25 et 1, 21. Simul forte intendebat Jesus omnia messianica loca Pentateuchi.

V. 47. SI AUTEM ILLIUS LITTERIS NON CREDITIS, id est si tanto doctori vestro vaticinia de me scribenti fidem non habetis vos, QUOMODO, quanto minus, VERBIS MEIS CREDETIS? Quomodo fidem habere poteritis mihi, quem Moysi longe postponitis et qui nonnisi verbis vos doceo? Hac quasi hominis de bono responso desperantis interrogatione sermo Christi apte concluditur.

APPENDIX

Paraphrasis exegetica Jo. V, 16-47

Judaei persequebantur Jesum, quia haec (sanationem paralytici) faciebat die sabbato. Jesus autem respondit : Pater meus (Deus) usque modo sine intermissione operatur (creando, conservando, gubernando), et non minore jure ego quoque operor (opera divina quibus sabbatum minime violatur). Propterea ergo magis etiam quaerebant Judaei eum interficere, quia non solum violaret sabbatum, sed et Patrem suum diceret esse Deum, aequalem porro se faciens Deo. Respondit itaque eis Jesus : Vere dico vobis : (Nolite mihi crimini vertere quae operatus sum : nam) non potest Filius facere aliquid a seipso, virtute ab alio incommunicata, nisi quod viderit Patrem facientem (cum sit ei identica cum Patre divinitatis operatio, sibi a Patre cum divina essentia communicata); et, e converso, quaecumque Pater fecerit ea et Filius (qua Deus) similiter facit. Pater enim diligit Filium, et (cum infinito illo amore) demonstrat ei quae ipse facit (opera sua ei communicat), et majora his demonstrabit ei opera, adeo ut vos miremini.

Sicut enim Pater suscitat spiritualiter mortuos eisque vitam animae praebet : sic et Filius eos quos vult vita animae donat. Neque enim Pater quemquam hominum condemnat (qua Pater

Digitized by Google

est), sed omnem condemnationem pronuntiandam dedit Filio (qua hic homo est), idque eo fine ut omnes honorem praestent Filio qualem praestant Patri. (Ceterum) qui non honorat Filium, neque Patrem honorat qui misit illum (qui ideo ut sibi ipsi illatam habet quamvis injuriam Filio illatam). Vere dico vobis : qui verbum meum audit et credit ei qui misit me, habet (jam nunc incohatam et spe certa consummandam) vitam aeternam, et in condemnationem non venit; sed transiit a morte ad vitam animae. Vere dico vobis : venit hora oeconomiae messianicae, et nunc jam adest, quando mortui morte peccati audient vocem Filii Dei, et qui docili aure audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, a nemine in se causatam, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso adeoque incausatam ab alio (unde sit vitae fons inexhaustus pro libitu vitam influens); et potestatem dedit ei condemnandi (eos qui non audierint), quia Filius hominis est (ut scilicet humanae ejus naturae hoc privilegium proprium fiat).

Nolite mirari haec quae modo dixi de mea potestate spiritualiter mortuos vita donandi et incredulos condemnandi (faciam enim aliud quod vobis mirabilius etiam videbitur). Nam veniet hora ultimi judicii, quando omnes qui in sepulcris sunt audient vocem Filii Dei eos ad vitam corporalem revocantis, et procedent qui bona fecerint, in resurrectionem vitae aeternae; qui vero mala egerint, in resurrectionem aeternae condemnationis. (Sed neque in illa condemnandi potestate exercenda ego a meipso agam. Nam, uti supra dixi), non possum ego a meipso facere quidquam. Sicut audio a Patre, sic condemno incredulos, et condemnationis hoc meum judicium necessario justum est, quia in eo pronuntiando non quaero voluntatem meam (quam possit quis aliam a voluntate Patris cogitare), sed voluntatem ejus qui misit me (quae essentialiter vult id quod justum est).

Si ego (in omnibus quae vobis de mea divinitate dixi) testimonium perhibeo de meipso, esto! mihi de me testanti fidem ne

Digitized by Google

habetote. Alius est qui testimonium perhibet de me : et scio verum esse testimonium quod perhibet de me (utpote testimonium divinum). Vos olim misistis ad Joannem Baptistam, ut testaretur de me, et (proclamando divinam meam missionem) testimonium perhibuit veritati. Ego quidem testimonio nullo humano niti indigeo : commemoro tamen testimonium Joannis, ut vos illi credentes salvi sitis (scio enim vos Joannem magni facere). Ille erat lucerna ardens et lucens (spiritu prophetico et splendore virtutum), et placuit vobis ad breve tempus exsultare in luce quam circa se diffundebat, credendo scilicet praedicationi ejus. Ego autem habeo pro me testimonium praestantius testimonio Joannis (divinum scilicet per miracula mea exhibitum). Opera enim quae dedit mihi Pater perficienda, illa (utpote uni divinae virtuti debita) testantur Patrem misisse me. (Et non solum mediate per illa opera de me testatur Pater); sed et immediate per se Pater, qui misit me, testimonium perhibuit de me. Vos autem per culpam vestram ab omni cum eo communicatione exclusi estis : neque vocem ejus unquam audistis, neque faciem ejus vidistis, et verbum ejus propheticum non habetis manens in mentibus et praecordiis vestris, quia ei quem misit ille non creditis. Scripturarum sensum soletis scrutari, quia vos (et quidem merito) putatis in iis habere doctrinam per quam vitam aeternam consequamini. Atqui illae sunt quae testantur de me (vocem Patris de me exhibentes); et nihilominus, vobismetipsis contradicentes, non vultis venire ad me (per Scripturas vobis indicatum) ut vitam a me habeatis.

Haec omnia non dico quasi velim ab hominibus gloriam accipere. Ea non egeo. Sed cognovi vos dilectionem Dei non habere in vobis. Ego veni in nomine Patris mei (me ab ipso missum dicens et probans), et non accipitis me ut Messiam vestrum; si alius quispiam venerit in nomine suo (nullum divinae auctoritatis prae se ferens argumentum), illum accipietis. At quomodo vos potestis credere fide divina, qui superbia inflati gloriam ab

Digitized by Google

invicem accipitis (omnia vestra facientes ex vana ostentatione), et gloriam bonae actionis, quae a solo Deo est (et humilitate nixa est), non quaeritis? Nolite putare me fore vestrum apud Deum Patrem accusatorem (opus non erit ut ego id munus agam) : est qui accuset vos ipse Moyses in quo vos ut in mediatore speratis. Accusabit vos incredulitatis in sua ipsius oracula. Si enim crederetis Moysi, crederetis utique et mihi, de me enim ille scripsit. Si autem nunc illi, scribenti de me vaticinia, non creditis, quomodo mihi, loquenti dumtaxat, credetis?

SCHOLION DOGMATICUM

Quanti faciendum sit hoc caput V in tractatu de incarnatione, jam in decursu commentarii notari potuit. Hic breviter resumamus.

A) Christi veri nominis ***divinitas*** ex v. 17-19 et 21-26 apte demonstratur : ibi enim Jesus primum se aequalem Deo Summo insinuat (17), deinde Judaeis ob id quaerentibus ipsum occidere, idipsum confirmat, asserendo de se : 1) identicam cum Deo operationem a Patre sibi communicatam (19); — 2) summam in ordine supernaturali, adeoque divino, vitae et mortis potestatem; — 3) eamque sibi competentem eo quod habeat vitam in semetipso.

B) Hinc patet quam inepte ariani ex v. 19 deducerent Filium Patre esse minorem, cum ex identica operatione identicam naturam arguere debuissent.

N. B. Non raro ad divinitatem Filii demonstrandam affertur v. 23, ita ut ex aequali honore Filio competente aequalis natura argui oporteat. Et ita Patres contra arianos arguere solent. Cum tamen ibi talis Filio honor vindicetur qualis debetur *legato Patris;* hoc argumentum, quamquam in se optimum, minus facile contra pertinacem adversarium urgeri posset.

Digitized by Google

CAPUT VI

—

Argumentum. Jesus, relicta Judaea, Galilaeam repetit et cum discipulis navigat ad ripam orientalem maris Tiberiadis, multa eum ibi turba comitante (1-4). — quam multiplicatis panibus piscibusque prodigiose pascit (5-15). — Discipuli vespere navigant Capharnaum versus, ad quos, urgente tempestate, venit Jesus ambulans super aquas (16-21). — Multi ex eadem turba et ipsi Capharnaum veniunt ad Jesum (22-25). — Cum quibus prolixo sermone disserit de *pane caelesti,* qualis sit et qua praevia dispositione accipiendus (26-60). — Discipulos ne ex verbis suis capiant scandalum admonet, quorum tamen multi eum increduli derelinquunt (61-67). — Tandem, protestante Petro fidem apostolorum, Jesus proditionem Judae insinuat (68-72).

Iter Jesu in Galilaeam

1. ***Post haec abiit Iesus trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis :*** **2.** ***Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quae faciebat super his, qui infirmabantur.*** **3.** ***Subiit ergo in montem Iesus : et ibi sedebat cum discipulis suis.*** **4.** ***Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudaeorum.***

V. 1. POST HAEC, uno ferme anno post narrata capite V. Cf. 5, 1 et 6, 4. Quandonam Judaeam reliquerit ignoratur. — QUOD EST TIBERIADIS. Hoc additur propter lectores asiaticos. Idem mare vocabatur etiam *stagnum Gènesareth,* ut quae regio ripam ipsius occidentalem occupabat. Cf. Luc. 5, 1. Ex hac parte occidentali erat Capharnaum, ac proinde trans mare tunc abiit Jesus versus ripam orientalem. Cf. v. 17.

V. 2. ET SEQUEBATUR EUM, pedestri itinere secundum ripam stagni (Matth. 14, 13).

Digitized by Google

Quae hic usque ad v. 14 narrantur, etiam habent tres evangelistae synoptici : Matth. 14, 13 sq.; Marc. 6, 32 sq.; Luc. 9, 10 sq. Joannes tamen idipsum commemorat, quia inde occasio sermonis Jesu de pane vitae sumpta est.

V. 4. ERAT AUTEM PROXIMUM PASCHA, unde forte explicanda tanta multitudo ibi tunc congregata, euntium nempe Jerosolymam. — Teste Matth. 14, 13, paulo ante Joannes Baptista necatus fuerat : *quod cum audisset Iesus secessit... in* (hunc) *locum desertum*, ne incideret in manus pharisaeorum se quaerentium. Ita Luc 9, 7-10. Intervallum tamen sat notabile insinuant Marcus et Lucas.

Multiplicatio panum

5. *Cum sublevasset ergo oculos Iesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum : Unde ememus panes, ut manducent hi?* 6. *Hoc autem dicebat tentans eum : ipse enim sciebat quid esset facturus.* 7. *Respondit ei Philippus : Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.* 8. *Dicit ei unus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri :* 9. *Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces : sed haec quid sunt inter tantos?* 10. *Dixit ergo Iesus : Facite homines discumbere. Erat autem faenum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia.* 11. *Accepit ergo Iesus panes : et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus : similiter et ex piscibus quantum volebant.* 12. *Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis : Colligite quae superaverunt fragmenta, ne pereant.* 13. *Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quae superfuerunt his, qui manducaverant.* 14. *Illi ergo homines cum vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant : Quia hic est vere propheta, qui venturus est in*

Digitized by Google

mundum.* 15. *Iesus ergo cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.

Egregie ad scopum evangelistae faciebat sermo Christi quo se ut panem vitae sacramentaliter edendum proponeret (cf. 20, 31). Omnia ergo hujus sermonis adjuncta sedulo notat, neque omittit minutatim describere res gestas quae eidem sermoni praeambulae fuerunt.

V. 5. Tentat fidem Philippi, consilium petere minime indigens (v. 6).

V. 7. DUCENTORUM DENARIORUM, fere 150 francorum.

V. 9. PUER UNUS, παιδάριον ἕν. — INTER TANTOS, εἰς τοσούτους, id est *inter tot*.

V. 10. DISCUBUERUNT ERGO per centenos et quinquagenos (Marc. 6, 40) VIRI, exceptis mulieribus et parvulis, ut Matth. 14, 21.

V. 11. ET CUM GRATIAS EGISSET Deo Patri, oratione fusa super cibos, ut Judaeis moris erat, DISTRIBUIT DISCUMBENTIBUS per manus discipulorum, ut habet Matth. 14, 19. Graecus receptus et multi codices habent : διέδωκεν τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ἀνακειμένοις. Tamen lectio Vulgatae est probabilior.

V. 14. ... QUOD IESUS FECERAT SIGNUM, ὃ ἐποίησε σημεῖον. — DICEBANT : QUIA HIC EST VERE PROPHETA, QUI VENTURUS EST IN MUNDUM. Graece ὁ προφήτης, ille de quo Deut. 18, 18, quem homines isti non alium putant ac Messiam : nam ille ipsis est ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον, qui dicendi modus Messiam sonabat (plerumque saltem); et praecipue : volunt eum *regem* facere.

V. 15. CUM COGNOVISSET, divina scientia consilium eorum penetrando. — RAPERENT EUM in temerario studii popularis fervore. — FUGIT, postquam tamen turbam dimiserat, ut Matth. 14, 23.

Digitized by Google

Jesus super aquas ambulans.

16. ***Ut autem sero factum est, descenderunt discipuli eius ad mare.*** 17. ***Et cum ascendissent navim, venerunt trans mare in Capharnaum : et tenebrae iam factae erant : et non venerat ad eos Iesus.*** 18. ***Mare autem, vento magno flante, exsurgebat.*** 19. ***Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta, vident Iesum ambulantem supra mare, et proximum navi fieri, et timuerunt.*** 20. ***Ille autem dicit eis : Ego sum, nolite timere.*** 21. ***Voluerunt ergo accipere eum in navim : et statim navis fuit ad terram, in quam ibant.***

V. 16. UT AUTEM SERO FACTUM EST, mox post miraculum quod factum fuerat, die jam declinante, DESCENDERUNT DISCIPULI AD MARE, cogente eos ad id Magistro antequam dimitteret turbas (Matth. 14, 22). Jusserat scilicet eos conscendere naviculam et praecedere se trans fretum. Hinc explicatur

V. 17. ET CUM ASCENDISSENT NAVIM, VENERUNT TRANS MARE IN CAPHARNAUM : ET TENEBRAE JAM FACTAE ERANT : ET NON VENERAT AD EOS IESUS. Forte navigabant lente secundum litus, sperantes Jesum mox adfuturum.

V. 19. STADIA VIGINTI QUINQUE, paulo minus quam leucam belgicam (1), AUT TRIGINTA. Evangelista quamvis inspiratus loquitur hic humano modo (2). — AMBULANTEM SUPER MARE, de quo miraculo fusius apud Marc. 6 et Matth. 14. — Erat tunc quarta vigilia noctis, inter horas tertiam et quartam mane.

V. 21. VOLUERUNT ERGO ACCIPERE EUM, quod et fecerunt

(1) Stadium habebat 625 pedes, id est 184^{m}, 84. Vide *Annuaire de l'observatoire de Bruxelles,* 1878, p. 116.

(2) Ex similibus dicendi modis merito impugnatur opinio de *inspiratione verbali.*

Digitized by Google

(Matth. 14, 32); et tunc cessavit ventus (Matth.), ET ideo STATIM NAVIS FUIT AD TERRAM. Non necessario prodigium in celeri illo gressu naviculae est supponendum.

Conventus in synogoga Capharnaum

22. ***Altera die, turba, quae stabat trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una, et quia non introisset cum discipulis suis Iesus in navim, sed soli discipuli eius abiissent.*** **23.** ***Aliae vero supervenerunt naves a Tiberiade iuxta locum ubi manducaverant panem, gratias agente Domino.*** **24.** ***Cum ergo vidisset turba quia Iesus non esset ibi, neque discipuli eius, ascenderunt in naviculas, et venerunt Capharnaum quaerentes Iesum.*** **25.** ***Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei : Rabbi, quando huc venisti?***

V. 22. ALTERA DIE ab ea qua panes Jesus distribuerat, TURBA QUAE STABAT TRANS MARE, relate ad Jesum, id est eo in loco ubi panes manducaverant, — VIDIT, ἰδών, *cum vidisset*, pridie scilicet, QUIA ... IN NAVIM, subaudi : existimarunt Jesum mare nondum trajecisse, et quaesierunt eum ibi, nec tamen invenerunt, unde rursus litus repetierunt.

V. 23. 24. ALIAE SUPERVENERUNT : postridie igitur has NAVICULAS ASCENDERUNT, ET VENERUNT CAPHARNAUM, ut quae esset habitatio Jesu consueta, et quo discipuli ipsi abiissent. Invenerunt autem eum in synagoga (v. 60).

V. 25. RABBI, QUANDO HUC VENISTI? Hodie an heri? Merito mirantur, utpote miraculum ambulationis super aquas ignorantes. Simul intendunt sermonem cum Jesu instituere. — Jesus quaestioni non respondet, sed ex miraculo patrato occasionem sumit docendi eos panem caelestem, sacramentum corporis et sanguinis sui.

Digitized by Google

Sermonis eucharistici pars prior

26. *Respondit eis Iesus, et dixit : Amen, amen dico vobis, quaeritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis.* 27. *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.* 28. *Dixerunt ergo ad eum : Quid faciemus ut operemur opera Dei?* 29. *Respondit Iesus, et dixit eis : Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* 30. *Dixerunt ergo ei : Quod ergo tu facis signum ut videamus, et credamus tibi? quid operaris?* 31. *Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est : Panem de caelo dedit eis manducare.* 32. *Dixit ergo eis Iesus : Amen, amen dico vobis : Non Moyses dedit vobis panem de caelo, sed Pater meus dat vobis panem de caelo verum.* 33. *Panis enim Dei est, qui de caelo descendit, et dat vitam mundo.* 34. *Dixerunt ergo ad eum : Domine, semper da nobis panem hunc.* 35. *Dixit autem eis Iesus : Ego sum panis vitae : qui venit ad me, non esuriet : et qui credit in me, non sitiet unquam.* 36. *Sed dixi vobis quia et vidistis me, et non creditis.* 37. *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet : et eum, qui venit ad me, non eiiciam foras :* 38. *Quia descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* 39. *Haec est autem voluntas eius, qui misit me, Patris : ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.* 40. *Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me : ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* 41. *Murmurabant ergo Iudaei de illo, quia dixisset : Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.* 42. *Et dicebant : Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos novimus patrem, et matrem? Quomodo ergo dicit hic :*

Digitized by Google

Quia de caelo descendi? 43. Respondit ergo Iesus, et dixit eis : Nolite murmurare in invicem : 44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum : et ego resuscitabo eum in novissimo die. 45. Est scriptum in prophetis : Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me. 46. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem. 47. Amen, amen dico vobis : qui credit in me, habet vitam aeternam.

V. 26. AMEN, AMEN DICO VOBIS. Formulam solemnem adhibet ut de re magna acturus. ... NON QUIA VIDISTIS SIGNA, et quia, propter haec, in me ut in Messiam, regem spiritualem vestrum, creditis, ideo mihi ut tali obsequi vultis, SED QUIA MANDUCASTIS EX PANIBUS et beneficia temporalia similia etiam in posterum a me speratis. Hinc patet quam rudes essent horum hominum mentes : quamvis plurium miraculorum testes et panibus prodigiose pasti, nihil in Jesu nisi hominem sibi utilem, nihil in miraculis nisi commodum suum temporale vident et quaerunt. Hinc in antecessum sumamus criterium ad interpretandas eorumdem interpellationes sub sermone Jesu.

In multis conveniunt isti homines cum Samaritana, inde est utriusque sermonis similis processus; et cum uterque sermo ab eodem evangelista narretur, alter alteri lucem afferat oportet (1). Interim tamen non omnes Jesu auditores plebeios fuisse et rudes homines, apparet ex versiculis 41 et 53, ubi murmurantes et inter se litigantes interveniunt *Judaei*, doctores scilicet synagogae, ad sectam praecipue pharisaeorum pertinentes. Quae omnia probe sunt suis locis discernenda, ut Christi sermonum nexus et genuinus sensus intellegantur.

(1) De hoc Christi sermone docte disseruerunt Wiseman, apud Migne : *Démonstrations évangéliques*, 15; et Patrizi, in opusculo : *De Christo pane vitae*.

Digitized by Google

V. 27. OPERAMINI NON CIBUM, QUI PERIT, qualis est omnis cibus corporalis, SED QUI PERMANET IN VITAM AETERNAM, QUEM FILIUS HOMINIS DABIT VOBIS. Statim Christus, occasione accepta a miraculo panum, ad cibum supernaturalem divertit sermonem. — Optimum eloquentiae sacrae artificium, ut ex sensibilibus per similitudinem ad spiritualia populorum mentes erigamus.

Hic versiculus exordium est sermonis, et momentosus valde. Hinc

Quaeritur 1° de sensu grammaticali τοῦ OPERARI CIBUM.

R. *1ª sententia* vult ipsum *cibum* exhiberi ut ***terminum*** operationis : unde *operari cibum* sit *facere cibum*. Ita Patrizi : tenet enim *cibum qui permanet* esse *fidem*.

Rationes. 1) Versu 26 reprehenderat Jesus Galilaeos quod cibum pluris facerent quam fidem. — 2) Versu 29 Christus ipse hoc *opus* declarat esse *fidem*. (Idem fere tenet Wiseman, cui *operari cibum* est *credere doctrinam*).

2ª sententia, communis Patrum et interpretum. *Cibum* non esse *terminum* operationis, seu ipsum opus, sed ***finem,*** seu operis mercedem. Unde *operari cibum* esse, *laborare ad acquirendum cibum*.

Rationes. 1) Usus loquendi. Ita Prov. 21, 6 habetur hebraice : פֹּעַל אֹצָרוֹת, quod ad literam vertit Theodotion ἐργαζόμενος θησαυροὺς. Item in novo testamento Phil. 2, 12 : σωτηρίαν κατεργάζεσθε. — Item in graecitate classica, Herodot. 1, 24 : ἐργασάμενος χρήματα μεγάλα. — 2) Ipsa comparatio a Christo instituta : sicut enim pridie panes non ipsi fecerant, ita nec cibum spiritualem sibi ipsi efficere debebant. — 3) Cibum illum, ait Jesus, *Filius hominis dabit vobis*. Ergo non est ipsum opus, sed merces operis. — 4) Secundum doctrinam catholicam, homo cibum supernaturalem animae non ipse facit, sed a Deo accipit : hominis tantum est se cum gratia ad eum disponere et gratiae cooperari.

Digitized by Google

Haec sententia omnino tenenda est. Igitur OPERAMINI CIBUM significat *date operam ut adipiscamini cibum....*

Quaeritur 2° qualem intendat hic Christus ***cibum qui permanet.***

R. *1ª sententia.* Suam ***doctrinam*** creditam ut divinam. Ita Wiseman.

Rationes. 1) Usus loquendi S. Scripturae. Ita Is. 55, 1-3; Deut. 8, 3; Jer. 15, 16; Am. 8, 11; Prov. 9, 5; Eccli. 15, 3; 24, 29. — 2) Unde non incongrue Christus se cum sua doctrina identificans dicere potuit (v. 35) : *Ego sum panis vitae...* — 3) Et ex hoc usu loquendi optime potuerunt auditores verba Christi v. 35 intellegere de fide.

Contra est a) Hunc cibum, *doctrinam suam*, Christus eis jam *dederat;* atqui dicit *dabit.* — *b)* Pater dat *panem hunc;* atqui *doctrinam suam* dabat solus Filius. — *c)* Secundum dicta in quaestionem 1^{am}, debent *credere* ut acquirant cibum. Ergo diceret Christus : Credite doctrinam meam ut obtineatis doctrinam meam.

2ª sententia. Fidem in Jesum ut in Messiam et Deum. Ita Patrizi.

Rationes vide supra ad quaestionem 1^{am}, et quod eis opponitur. — Praeterea

Contra est a) In hac hypothesi, *Ego sum panis vitae* (v. 35) significaret : *Ego sum fides in me*, quod satis durum videtur. — *b)* Christus hoc loco diceret : Credite in me ut acquiratis fidem in me, quam ego dabo vobis.

3ª sententia. Ipsam Christi ***personam*** quatenus propter fidem animae uniendam, realiter quidem (Jo. 15, 4. 5), at non sacramentaliter. Ita protestantes plerique; ita etiam Klee, Calmet...; ita et S. August., ut videtur.

Rationes. 1) Sermo Christi, aiunt, duplici constat parte; in altera tantum, a versu 48, incipit agere de cibo sacramentali;

Digitized by Google

ergo non in hac priori parte (1). — 2) Parallelismus conceptuum hoc loco et versu 35, ubi, aiunt, de Christo pane vitae per fidem manducando agitur.

4ª sententia. Christum sub ***sacramenti speciebus*** sumendum.

Rationes. 1) Scopus Christi in hoc sermone erat promittere S. Eucharistiam : unde non potuit haec initio sermonis menti ejus non obversari. — 2) De cibo hic loquitur *a se dando* in futurum (δώσει), et similiter futuro tempore (δώσω) de carne sua *danda* ad manducandum (v. 52) (2). — 3) Distinguit inter panem quem *ipse dabit* eis, et inter panem quem *Pater* eis *dat* in praesenti. Quod recte sic : Pater nobis dat Filium incarnatum; Filius dabit se, id est corpus et sanguinem suum in Eucharistia. — 4) Quod si statim postea praecipue insistit *fidei*, ideo est quia eum auditores interruperunt v. 28°. — Opinio haec est S. Cyrill. Alex., Theophyl. (in h. l.) : τὴν μυστικὴν μετάληψιν τῆς σαρκὸς τοῦ Κυρίου (cf. ejus comment. in v. 35); a Lapide, Tol., Luc. Brug., Beelen, Maier. Et videtur omnino admittenda.

5ª sententia, Maldon. Omnia ***bona supernaturalia.***

Ratio. Est enim sententia omnino generalis, ac proinde non restringenda.

Contra est eam restringi per discrimen temporum et personarum : Pater *dat*, Filius *dabit;* et per versiculum 52 huic 27° parallelum.

Quaeritur 3° quis ***sensus*** et ***nexus*** τοῦ HUNC ENIM PATER SIGNAVIT DEUS.

(1) Protestantes Eucharistiam in hoc sermone promitti negant, unde a fortiori admittere nequeunt de ea agi v. 27.

(2) Tischendorf, in octava sua editione, pro δώσει legit δίδωσιν. Ita ℵ, D, italae *e* (palatinus, saec. 4 vel 5), ff2 (corbeienses), Vulgatae fossatensis : cum syriaca curetoniana, gothica et Chrysostomo (t. 8, p. 298). Auctoritates tamen pondere non inferiores (v. g. A, B, codex amiatinus Vulgatae, Orig., Novatian. etc.), numero longe plures commendant lectionem δώσει, quam ideo retinendam ducimus.

Digitized by Google

R. ad 1um. Alii : hunc enim Pater Deus signis seu miraculis, quasi sigillo (ἐσφράγισεν), a se missum Filium suum declaravit. Cf. Jo. 3, 33.

Alii : hunc enim Filium hominis Deus Pater sigillavit divina natura quam ejus humanitati quasi impressit.

Alii : huic enim Pater Deus ad id auctoritatem dedit.

Difficile foret statuere quae interpretatio sit praeferenda. Quaecumque assumatur, respondeo

Ad 2um. Hic nexus : cibum vitae aeternae dabit Filius hominis, non qua homo est, sed quatenus a Patre Deo hanc divinam plane virtutem et potestatem accepit. Cf. Jo. 5, 21. 26.

Dicitur ille cibus permanere in vitam aeternam, tum *in se*, quia incorruptibilis est (caro Christi), tum *in effectu suo*, quia eum qui ipso alitur sustentat, ita ut sit in aeternum beate victurus. Contra est de cibo corporali, qui et ipse perit et non nisi ad tempus sustentat.

V. 28. DIXERUNT ERGO AD EUM : QUID FACIEMUS UT OPEREMUR OPERA DEI? In animo habebat Dominus, ut videtur, cibi illius naturam et effectus latius describere; sed hac interrogatione auditorum sermo ejus deflectitur ad explicationem illius *operis* cui cibus iste ut quoddam stipendium rependatur. Interrogatio orta est ex eo quod dixerat Christus : *operamini* (v. 27). Quaenam sunt haec OPERA DEI, ita pro Deo facta ut eis a Deo cibus ille ceu stipendium tribuatur? Imaginantur opera quaedam externa, insolita. At Jesus :

V. 29. HOC EST OPUS DEI, per quod cibum istum vobis a Deo comparetis, UT CREDATIS IN EUM, QUEM MISIT ILLE, ut illum credatis Messiam verumque Dei Filium. Haec fides est condicio sine qua non potestis cibum hunc obtinere et manducare, ita ut permaneat in vitam aeternam. Quod de Eucharistia omnino verum est. Sumi quidem potest ab incredulo, verus nequit ei esse animae cibus qui permaneat in vitam aeternam. De communione indigna fidelium Christus in sermone non agit.

Digitized by Google

Multi interpretes volunt, hoc loco *credere in Christum* idem esse ac *manducare cibum illum* de quo (v. 27). Non recte sane. Non enim petunt auditores quid sit *manducare hunc cibum;* sed, quid debeant facere ut Deus ipsis hunc cibum tribuat. In sensu illorum interpretum responsio Christi haec foret : manducare hunc cibum est credere in me. Tale quid non petierant. Unde minus ad rem est, hoc loco, celebre dictum S. Augustini : *Ut quid paras dentes et ventrem? Crede, et manducasti.* Ita etiam Alcuinus (in Cat. S. Thom.), Patrizi, Wiseman, Maldon. (vide ad v. 35), Calmet. — In data vero a nobis expositione sequimur S. Cyrill. (vide ad v. 35), Tolet., Luc. Brug., a Lap., Bossuet, Beelen, Maier, Hengstenberg, etc.

Adverte, Christum modeste dicere, *in eum quem misit ille,* omnia sua Patri referens accepta.

Nota 1°. August., Thom. Aq. etc. *opus Dei* exponunt : *opus quod Deus facit,* secundum Is. 26, 12. Sed hoc contextui minime quadrat. — Alii rectius : *opera Deo grata,* secundum Ps. 50 (51), 19; Apoc. 2, 26; Jer. 48, 10 etc. Nos fere ita (vide supra).

2°. Christus *fidem* vocat *opus,* Paulus perpetuo *fidem* opponit *operibus.* At nulla in his contradictio : nam Paulus agit de operibus legis mosaicae sine fide peractis, Christus de fide quatenus ipsa est actus deliberatus.

3°. Christus hic solam fidem in se commendat; sed intellegendus est, juxta substratam materiam, de fide animante opera bona praesupposita.

V. 30. QUOD ERGO TU FACIS SIGNUM (miraculum), UT VIDEAMUS te esse Dei legatum, ET porro CREDAMUS TIBI? QUID OPERARIS? Christus exigit fidem in se ut in legatum et Filium Dei; auditores ad tantum fidei actum quaerunt motiva credibilitatis, miracula. Miraculum panum viderant pridie; sed hoc non sufficere contendunt : nam dicunt :

V. 31. PATRES NOSTRI MANDUCAVERUNT MANNA IN DESERTO, quod eis Moyses dederat, non semel, sicut tu fecisti, sed

Digitized by Google

per 40 annos; et erat ille PANIS DE CAELO, SICUT SCRIPTUM EST, (Ps. 77, 24; Exod. 16, 4); tuus autem panis *terrenus* erat. Ergo tu minor es Moyse; ergo non ille propheta similis Moysi, qui Messias est. Numquid cibum manna meliorem in te credentibus dabis? — Non iidem hic loqui putandi sunt, de quibus Jo. 6, 14, vel certe mutaverunt sententiam suam.

V. 32. AMEN, AMEN DICO VOBIS, NON MOYSES DEDIT VOBIS PANEM DE CAELO, SED PATER MEUS DAT VOBIS PANEM DE CAELO VERUM. His verbis, secundum Patrizi, Christus promitteret Judaeis *signum* quod petebant, *panem de caelo verum*. Hoc autem signum quale sit, versu tantum 52 declararet : *caro mea est.*

***Contra est** a)* His verbis *signum* promitti gratis asseritur. Sed potius Christus ostendit Judaeis, eis nullum esse jus ut signum a se petant, refellendo scilicet erroneum eorum conceptum de manna et de cibo a se promisso. — *b)* Neque Eucharistia illis signum quale postulabant suppeditasset.

Itaque verius dicendum, dedignatum esse Christum ipsis miracula superflua concedere : plura viderant ob quae tuto crederent ei quem *Pater signarat Deus*. Argumentum igitur Judaeorum diluit, opponendo inter se Moysen famulum Dei, et Patrem Deum; mannam panem de caelo aereo descendentem, et panem de caelo verum, id est propriissime venientem a caelo ut a throno Dei adeoque divinum.

V. 33. PANIS ENIM DEI EST, QUI DE CAELO DESCENDIT, ET DAT VITAM MUNDO. Ostendit qualis sit *panis de caelo verus*. Ille nempe qui caelestis est *a)* origine : *panis Dei; b)* effectu : *qui dat vitam* (aeternam) *mundo*, id est generi humano, non uni genti, ut olim manna vestra.

V. 34. DIXERUNT ERGO AD EUM : DOMINE, SEMPER DA NOBIS PANEM HUNC! Audito encomio panis caelestis, a Deo dati et manna pretiosioris, ejusdem desiderium concipiunt; tamen etiam tunc cogitant panem aliquem, non spiritualem, sed corpo-

Digitized by Google

ralem eximium. Petunt autem *a)* ut *Jesus* eum ipsis det : putant enim Patrem illum cibum mundo dare per manus Filii; *b)* ut illum ipsis Filius det *semper*, quasi assidue ut manna multiplicandum. Cf. 4, 15. A signo petendo jam abstinent.

V. 35. DIXIT AUTEM EIS IESUS : EGO SUM PANIS VITAE : QUI VENIT AD ME, NON ESURIET, ET QUI CREDIT IN ME, NON SITIET UNQUAM. Panem caelestem a Christo petunt; sed quid petant nesciunt, neque ad panem illum accipiendum sunt dispositi. Itaque Christus hoc versu, et qualis sit hic panis docet, dicens : EGO SUM PANIS VITAE; et quomodo sit obtinendus, dicens : QUI VENIT AD ME, in me credendo (ita evidenter ob parallelismum), NON ESURIET, siquidem illico ac crediderit hunc panem eucharisticum accipiet, ET QUI CREDIT IN ME, NON SITIET UNQUAM : cibus enim ille totam hominis implebit indigentiam, famem et sitim satiando, et quidem permanenter : unde si semel habebitis, perinde erit ac si semper habeatis.

Atque haec est nostra et **1ª sententia,** quae et S. Cyrill. Alex. (1), Tolet., Luc. Brug., Maier, a Lap. etc.

Rationes. 1) V. 29 : *Hoc est opus Dei ut credatis*, ubi *fides* proponitur ut dispositio ad acquirendum istum panem. — 2) versus 48, ubi repetit : *Ego sum panis vitae*, sane eodem sensu ac versu 35; atqui versu 48, uti et 51 et 52 *panis hic* est *caro Christi*, non vero *fides in Christum*, ut illo loco probabitur. Ergo et hoc versiculo Christus intendit se dicere *panem vitae* quatenus vult *carnem suam* dare manducandam; hoc tamen nondum explicite dicit, sed tantum, *panem vitae* esse *suam personam*. — 3) Qui venit ad Jesum non hoc ipso vivet quod *venit*, sed quia eum Jesus *non ejiciet* (v. 37).

2ª sententia. Sensus hujus versiculi est, panem vitae, qui Christus est, manducari *credendo* in Christum, seu, idem esse

(1) Haec S. Cyrill. (in h. l.) : « Quid igitur Christus promittit? Corruptibile » certe nihil, sed Eulogiam, quam communicatione corporis et sanguinis » Christi assequimur. »

Digitized by Google

manducare ac credere. Ita S. August. : « Panem de caelo desideratis? Ante vos habetis, et non manducatis. » Ita et Maldon., Wisem., Fillion, Patrizi, qui hunc versiculum tenet esse *propositionem* partis prioris hujus sermonis, in qua *panis* sumatur sensu translato et *fidem* sonet.

Rationes. 1) Ille tantum dicitur *non esurire* qui *panem manducavit.* Atqui Christus dicit : *qui venit ad me*, seu qui credit, *non esuriet.* Ergo *credere* est *manducare.* — 2) Usus loquendi Scripturae, ut dictum supra ad v. 27 : doctrina Sapientiae credenda exhibetur sub metaphora panis comedendi. — 3) Si *panis* non est *fides*, seu objectum fidei, erit in mente Christi *panis eucharisticus.* Sed hic panis non nisi post annum dandus erat. Ergo falsum, quod qui *nunc* venit ad me non esuriet. — 4) Panis, de quo hic, a Patre *datur*, in praesenti (v. 32); Eucharistia a Filio *dabitur* in futuro (v. 27 et 52). — 5) Versu 47 *qui credit in me* (eo ipso) *habet* jam nunc *vitam aeternam.*

Respondetur ad 1) Is dicitur recte nunquam esurire qui semper panem sibi praesto habet, licet ab alio accipiendum vel emendum. Unde distinguo Minorem :... non esuriet quia per fidem ei porrigetur panis. Concedo. — ... quia per fidem jam comederit. Nego. — ad 2) Iste usus loquendi Scripturae metaphoricus sensum proprium non excludit ubi a contexta oratione exigitur. — ad 3) Christus solet tamquam praesens exhibere quidquid pertinet ad ordinem supernaturalem a se condendum. Cf. Jo. 4, 21. 23; 10, 15 et praecipue 6, 55. 58. 59, ubi dicit in praesenti : *qui manducat* carnem dandam tamen in futuro (v. 52). — ad 4) Eadem est *Persona Christi* quam nunc *dat Pater* incarnatam, et quam *dabit Filius* mystice immolatam in sacramento : unde etiam panem eucharisticum aliquo vero modo dat Pater. — ad 5) Habet vitam aeternam, quia infallibilem ponit condicionem ad accipiendum panem vitae aeternae.

Conclusio. Ergo non est cur in Christi sermone eatenus statuantur partes duae, quatenus in priori ageretur de pane vitae man-

Digitized by Google

ducando *metaphorice*, in posteriori de pane vitae manducando *realiter*. Christus enim in totius sermonis decursu, ubi de pane vitae loquitur, semper intendit Eucharistiam. — Duae tamen partes eatenus merito statuuntur, quatenus a versu 35 ad 51 Christus docet panem vitae esse *semetipsum*, tacendo nihilominus modum quo sit suscipiendus vel dandus; et a versu 52 ad 59 ipsum *modum* explicat, *veram* scilicet carnis suae *manducationem*. Tandem ad cenam ultimam reservat revelandum *modum ultimum, sacramentalem* nempe, quo haec vera manducatio fieri debeat.

V. 36. SED DIXI VOBIS (v. 26 et alias forte) QUIA ET VIDISTIS ME formaliter ut missum a Patre, Messiam et Filium Dei, qualem me per miracula satis vobis probavi (v. 26. 2 etc.), ET tamen NON CREDITIS, et ideo insuperabilem ponitis obicem pani meo recipiendo.

V. 37. OMNE QUOD DAT MIHI PATER, AD ME VENIET per fidem (v. 35). Unde non adeo a me pendet ut in me credatis, quam a Patre, a quo ego accipere debeam eos qui per fidem ad me venturi sunt; — ET EUM, QUI VENIT AD ME, NON EIICIAM FORAS, sed eum infallibiliter benigne recipiam et dabo ei panem vitae. Nam.

V. 38. ... DESCENDI DE CAELO, NON UT FACIAM VOLUNTATEM MEAM, humanam scilicet (seu ut faciam aliquid quod ego velim aliud ac Pater, ut vos putare possetis), SED VOLUNTATEM EIUS, QUI MISIT ME. — En Major quasi syllogismi.

V. 39. HAEC EST AUTEM VOLUNTAS... — En Minor. — Subauditur Conclusio: Ergo omne quod dat mihi Pater non perdam, sed resuscitabo illud in novissimo die et ita consummabo in eo vitam aeternam, cujus vitae panem a me acceperit et manducaverit.

V. 40. Nexum facit inter v. 39 et 37. Rursus syllogismus implicitus, cujus Major sit v. 37 usque ad, *ad me veniet;* Minor v. 40, (in quo ἀναστήσω vertendum est per subjunctivum

Digitized by Google

resuscitem). Conclusio est v. 39. En duplicem syllogismum : *Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. Atqui haec est voluntas ejus qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. Ergo descendi de caelo, ut omne quod dedit mihi Pater non perdam, sed resuscitem in novissimo die. — Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet. Atqui vult Pater ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitem illum in novissimo die. Ergo vult Pater ut omne quod dedit mihi, habeat vitam aeternam (non perdam ex eo) et ut resuscitem illud in novissimo die.* — QUI VIDET FILIUM, qua talem : puta per miracula etc.

Unde ex parte Christi nihil deest quominus vitam, seu panem vitae accipiant : sufficit ut in ipsum credant; sciant tamen illam fidem esse donum Dei Patris.

V. 41. 42. 43. MURMURABANT ERGO IUDAEI DE ILLO (περὶ αὐτοῦ), id est contra illum, QUIA DIXISSET : EGO SUM PANIS VIVUS (*vivus* deest in graeco) QUI DE CAELO DESCENDI. — Isti IUDAEI intelligendi hic sunt pharisaei, doctores synagogae, qui cum turba audiebant verba Jesu, sed ad reliqua ejus dicta minime attendentes, id solum susceperant, eum sibi tribuere caelestem originem. Hinc explicatur versus 42. Quod autem ibi dicunt Judaei se nosse patrem Jesu, minime infert S. Joseph tunc nondum obiisse, sed tantum memoriam ejus fuisse superstitem (Schanz). — Jesus autem per murmur istud in sermone suo impeditus, silentium eis imponit : NOLITE, ait, MURMURARE IN INVICEM, ceterum nihil curans ut murmurationis materiam explicet. Pergit itaque, versum 44 intime nectens versiculo 40 :

V. 44. NEMO POTEST VENIRE AD ME, NISI PATER ... TRAXERIT EUM, sollicitatione gratiae praevenientis et adjuvantis. En quomodo Jesus compleat id quod versu 39 dixerat, scilicet τὸ *dari Filio a Patre* esse condicionem sufficientem ut quis veniat ad Filium per fidem; nunc autem addit, idipsum esse ad hanc

Digitized by Google

fidem condicionem necessariam. Simul insinuat quomodo Pater det Filio, homines scilicet *trahendo*.

Ad haec S. August. : « Magna gratiae commendatio! Nemo » venit nisi tractus. Quem trahat et quem non trahat, quare illum » trahat et illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare. » Semel accipe et intellege ; nondum traheris? ora ut traharis. »

S. Prosper (cont. Coll., 7) : « Trahit timor, trahit laetitia, trahit » desiderium, trahunt delectationes. Et quis perspicere aut enarrare » possit per quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut » quae fugiebat, sequatur; quae oderat, diligat; quae fastidiebat, » esuriat; ac subito commutatione mirabili, quae clausa ei fuerant, » fiant aperta; quae onerosa, sint levia; quae amara, sint dulcia; » quae obscura, sint lucida? » (cit. a Schanz).

Tandem quaenam sit tractionis istius natura explicat Christus versu sequenti :

V. 45. EST SCRIPTUM IN PROPHETIS (בַּנְּבִיאִים), id est, in libris prophetarum : ET ERUNT OMNES DOCIBILES DEI. Locus citatus est Is. 54, 13 : כָּל בָּנַיִךְ לִמּוּדֵי יְהוָֹה, *omnes filii tui alumni Domini*. Vaticinium est sensu litterali messianicum, praedicens gratiam fidei omnibus gentibus largiendam. — OMNIS QUI AUDIVIT A PATRE, ET DIDICIT, VENIT AD ME. Haec igitur *tractio* est *doctrina* quaedam *interior* (ut constat ex v. 46), omnibus a Patre proposita; sed is tantum qui Patrem ita docentem AUDIVIT, attendendo ad gratiam propositam, et insuper ab eo DIDICIT, propriam sibi fecerit illam doctrinam, is VENIT AD ME, in me credendo, *Audisse* non sufficit, *didicerint* oportet : ergo haec tractio Patris non consistit tantum in illuminatione intellectus, sed supponit etiam motionem voluntatis, cui is obsequitur qui propositam intellectui divinam doctrinam libere addiscit.

S. August. (in h. l.) « Noli te cogitare invitum trahi : trahitur » animus et amore. Nec timere debemus ne... dicatur nobis : » Quomodo voluntate credo, si trahor? Ego dico : Parum est vo- » luntate, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate?

Digitized by Google

» *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.* Est » quaedam voluptas cordis, cui dulcis est panis ille caelestis..... » Ramum viridem ostendis ovi, et trahis illam. Nuces puero » demonstrantur, et trahitur; et quo currit trahitur, amando » trahitur, sine laesione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. » Si ergo ista quae inter delicias et voluptates terrenas revelantur » amantibus, trahunt, quoniam verum est : Trahit sua quemque » voluptas; non trahit revelatus Christus a Patre? Quid enim » fortius desiderat anima quam veritatem? »

V. 46. Hoc monet ne quis itellegat de doctrina externa oris loquela enuntiata. NON his verbis, ait, intendo dicere, QUIA PATREM VIDIT QUISQUAM hominum qui de terra sunt : nam nemo Patrem vidit NISI IS QUI EST A DEO, Filius Dei, HIC VIDIT PATREM propter substantiae divinae indentitatem.

V. 47. Terminata jam illa quasi interjecta dissertatione de necessitate credendi ut quis panem caelestem accipiat, deque requisita ad ipsam illam fidem necessaria et sufficiente condicione, interna scilicet Dei Patris tractione libere acceptata, redit Christus ad illud sermonis sui punctum in quo erat versiculo 35, et a quo eum consideratio incredulitatis audientium abduxerat. Eo autem se redire perspicue ostendit eadem, quam versu 35 enuntiarat, hic compendiose repetita et assertoriis verbis confirmata sententia : AMEN, AMEN DICO VOBIS, QUI CREDIT IN ME, HABET VITAM AETERNAM.

Sermonis eucharistici pars altera

48. ***Ego sum panis vitae.*** **49.** ***Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt.*** **50.** ***Hic est panis de caelo descendens : ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.*** **51.** ***Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.*** **52.** ***Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum : et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*** **53.** ***Litigabant ergo Iudaei ad invicem, dicentes : Quomodo potest hic nobis carnem suam***

Digitized by Google

dare ad manducandum? 54. *Dixit ergo eis Iesus : Amen, amen dico vobis : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* 55. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam : et ego resuscitabo eum in novissimo die :* 56. *Caro enim mea, vere est cibus : et sanguis meus vere est potus.* 57. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* 58. *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* 59. *Hic est panis, qui de caelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* 60. *Haec dixit in synagoga docens, in Capharnaum.*

V. 48. EGO SUM PANIS VITAE. — Deinceps, omissa disputatione de dispositionibus requisitis, totus est in exponendo *quomodo* ipse sit panis vitae aeternae.

Interpretes qui volunt in priori sermonis parte agi de manducatione *metaphorica* per fidem, priorem illam partem concludunt versiculo 47 quasi epiphonemate; posteriorem vero partem incohant versiculo 48, in quo Christus, aiunt, diserte repetit (ut initio partis prioris v. 35) : *Ego sum panis vitae*, quo facilius percipiatur tunc a *manducatione sui metaphorica* ad *manducationem realem* gradum facere. Recte quidem haec procederent, nisi tota illa interpretatio foret amandanda, ut introducens in contextum aliquam inconstantiam, et in verbis Christi talem obscuritatem qualem limpidissimus narrator Joannes minime inexplicatam reliquisset. Vide p. 162-167.

V. 49. 50. PATRES VESTRI MANDUCAVERUNT MANNA IN DESERTO, ET MORTUI SUNT. — HIC EST PANIS DE CAELO DESCENDENS, UT SI QUIS EX IPSO MANDUCAVERIT, NON MORIATUR. Rursum commemorat objectionem de qua versu 31, et responsum ei jam datum clarius evolvit, comparando effectus

Digitized by Google

mannae et panis sui caelestis. Illa vitam conservabat quidem ad tempus, sed a morte corporali non eruebat edentes; hic vero panis in perpetuum conservat vitam : intellege vitam animae aeternam, ut satis declarat Christus versibus 40. 55. 59; sed et vitam aeternam *ipsius corporis* consequendam per resurrectionem beatam, hujus panis virtuti debitam (v. 40). — Praeterea iterum hic suum panem vocat Jesus *panem de caelo descendentem*, secundum v. 32. 33. (lege Maldonatum). — conjunctio *ut* est explicativa, *panis talis ut...*

V. 51. EGO SUM PANIS VIVUS, QUI DE CAELO DESCENDI. Cf. 35. 38, ubi eadem dixerat. — Itaque, ut fit, antequam in sermone suo, per accidens interrupto, nunc pergat Christus, breviter omnia quae initio dixerat resumit; deinde sine ulla nova interruptione id quod prius (v. 27) intenderat docere perficit.

V. 52. SI QUIS MANDUCAVERIT EX HOC PANE vivo, qui sum ego, VIVET IN AETERNUM. Est evolutio dictionis, ὁ ἄρτος ὁ ζῶν. Christus est panis vivus, habens vitam in semetipso ideoque omnibus exsistens causa vitae aeternae. Cf. 5, 25. 26. — Sic etiam explicatur sensus τοῦ *non moriatur* v. 50.

ET PANIS QUEM EGO DABO, CARO MEA EST PRO MUNDI VITA. Graece in textu recepto : καὶ ὁ ἄρτος δὲ, ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μου ἐστὶν, ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς. Verba tamen ἣν ἐγὼ δώσω, quae in א, B, C, D, L, sahid. et aethiop. desunt, interpolata videntur. Hoc jam culmen est totius sermonis Christi.

Praenotanda circa hanc pericopam.

A) Nonnulli interpretes ponunt hic transitionem,

alii, a manducatione ***metaphorica per fidem*** ad ***realem per sacramentum :*** discernit nempe Christus panem quem ipse ***dabit*** a pane qualis ipse est (Schanz).

***Contra est** a)* Negatur suppositum, agi scilicet in priori parte de manducatione per fidem. — *b)* Sic idem, quod versibus 49 et 59 de manna dicitur, in comparationem veniret cum mandu-

Digitized by Google

catione modo metaphorica modo reali, quod minime probabile est. — Idem dic de versiculi 52 priori membro : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum*, ubi foret manducatio per fidem, et versiculi 59 membro ultimo : *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum*, ubi foret manducatio per sacramentum.

alii, a manducatione Christi secundum ejus *divinitatem* ad manducationem secundum *humanitatem*. Ideo enim eum jam commemorare carnem suam (ita Chrysost. etc.).

Contra est *a)* Superius τὸ *descendere de caelo* apud Joannem connotat etiam Christi *humanitatem* et est fere synonymum cum *hominem fieri*. Cf. 3, 13 : *Et nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo.* — *b)* Versus 58, ubi de *divinitate* per quam *vivit propter Patrem*.

alii, a pane quem *dat* Pater ad panem quem *dabit* Filius, illum per fidem etiam nunc edendum, hunc in sacramento postea accipiendum (ita Beelen). Hinc particulae καὶ ... δὲ, *sed etiam* et emphasis in pronomine ἐγώ.

Contra est *a)* Christus in hoc sermone eatenus tantum dicitur panis a Patre datus quatenus manducandus, in Eucharistia scilicet, quamvis hic modus ibi nondum declaretur. — *b)* Particulae καὶ ... δέ non necessario transitum in sermone indicant, sed potius attentionem stimulant, neque pronomen ἐγώ hic emphaticum eo sensu dici debet ut opponatur ad *Pater*. Iterum enim recurrit idem pronomen non emphatice ὃν ἐγὼ δώσω.

Rectius Tolet., Luc. Brug., Hengst. etc. nullam hic transitionem statuunt, sed ejusdem conceptus expolitionem : dixerat Christus se panem vitae; nunc revelat qua ratione sit panis vitae : ratione scilicet *carnis suae*. Igitur persona Christi tota est panis *ut quod*, caro Christi *ut quo*.

B) Panis hic per hebraismum sumi potest pro cibo (לֶחֶם), ita tamen ut in mente loquentis haec vox connotet speciem panis sacramentalis. Ratione enim speciei sacramentalis caro Christi potius nomine specifico *panis* quam generico *cibi* designatur.

Digitized by Google

C) In textu graeco recepto (1) bis ponitur δώσω, et in ipsa vulgata subaudiri potest : ***quam ego dabo.*** Quaeritur igitur quo sensu utrumque δώσω accipiendum sit.

R. Prius δώσω (panis quem ego DABO) citra controversiam sonat ***dabo manducandum.*** Ad quid enim datur panis nisi ad manducandum?

De altero δώσω disputatur.

1ª sententia. Etiam sonat ***dabo manducandam.***

Rationes. 1) Nequit in tam brevi enuntiatione eidem voci duplex sensus supponi. — 2) Versiculis 33, 39, 40, 50 perpetuo ***vita mundi*** exhibetur ut effectus ***panis manducandi.*** Imo versiculis 54 et 55, ubi Jesus respondet litigantibus, eumdem profert conceptum. — 3) Secus istud δώσω foret intellegendum de traditione carnis Christi in mortem piacularem de qua in toto sermone nusquam agitur.

2ª sententia. Sonat ***dabo in cruce immolandam.*** Ita plerique interpretes.

Rationes. 1) Hoc parallelismus exigere videtur. Cf. 3, 16; 10, 11; Matth. 20, 28; Marc, 10, 45; Luc, 22, 19; Gal. 1, 4; 1 Tim, 2, 6; Tit. 2, 14, quibus omnibus locis Christus dicitur se ***dare,*** seu ***tradere in mortem.*** — 2) In institutione Eucharistiae uterque conceptus conjungitur. Effusio enim sanguinis in remissionem peccatorum facta est in cruce. — 3) Eucharistia juxta intentionem Christi est memoriale passionis ejus (1 Cor. 11, 26) : ergo et in sacramenti promissione ejusdem passionis mentio exspectanda est. — 4) Est et sacrificium, idem ac sacrificium crucis : hinc sensu verissimo, ubi panis caelestis ***manducatur,*** caro Christi ***immolatur.*** — 5) ὑπὲρ non designat ***favorem,*** sed aliquam substitutionem, sacrificalem puta.

(1) In editione sua octava Tischendorf legit : καὶ ὁ ἄρτος δὲ, ὃν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, ἡ σάρξ μου ἐστίν. Hanc lectionem adoptavit praecipue ob auctoritatem codicis sinaitici; immerito tamen, ut nobis videtur.

Digitized by Google

Tota igitur enuntiatio, in hac sententia, sic procedit : ***panis quem ego dabo manducandum est caro mea, quam ego dabo in cruce immolandam pro mundi vita.*** In qua nihil est absonum, quidquid dicant adversarii.

N. B. Textus Luc. 22, 19 : ***quod pro vobis datur,*** et ejusdem repetitio (1 Cor. 11, 24) : ***quod pro vobis frangitur*** (ut habet textus graecus, κλώμενον) pro utraque sententia afferuntur. Qui priorem defendunt, dicunt, ***corpus*** eatenus ***frangi*** quatenus sub specie panis manducatur, juxta 1 Cor. 10, 16. Unde nomen ***fractio panis*** datum primitus Eucharistiae, Act. 2, 42. 46. — Qui posteriorem tuentur, vim faciunt in praepositione ὑπέρ, quae notionem sacrificalem secum trahit, et in addito ***in remissionem peccatorum,*** ad quam Eucharistia non ordinatur per se nisi quatenus est sacrificium.

Epicrisis. Argumentis utriusque sententiae satisfit ita exponendo cum Franzelin, Ill. DD. Lambrecht et R. D. Van Steenkiste (1) : « Panis quem ego dabo manducandum, caro mea est quam ego dabo vobis et pro vobis in illa ipsa manducatione immolatam pro mundi vita. » Unde apparet Eucharistiam fore et cibum sacramentalem et sacrificium, et optime explicantur participia praesentia κλώμενον (2), ἐκχυνόμενον.

D) ***Caro*** hic sonat totam Christi ***naturam humanam,*** juxta hebraismum et usum loquendi N. T. Cf. Jo. 1, 14; Matth. 16, 17; Heb. 2, 14; Gal. 1, 16 etc. Ac proinde non aliud significat quoad rem ipsam ***caro,*** quam utrumque simul ***caro et sanguis,*** ut versiculis 54, 55, 56, 57 : quod ipse Christus clare insinuat versu 58 : ***qui manducat me.*** Unde totus Christus homo (adeoque

(1) Franzelin, Tract. de Euchar., thesis XI.
Lambrecht, De Sacrificio, Dissertatio inauguralis, p. 157 sq.
Van Steenkiste, Comment. in Matthaeum (Ed. 2ª), q. 542bis.

(2) Vocabulum tamen κλώμενον omittitur a Tischendorf, neque immerito : probabilior enim lectio est τὸ ὑπὲρ ὑμῶν.

Digitized by Google

et Deus, quamvis hoc in obliquo, ut v. 64) promittitur ***dandus*** in alimentum et propitiationis victimam credentibus in se.

E) Verbum δώσω, ***dabo***, est in futuro : ergo hic panis nondum est datus, sed postea ***dabitur***, et ***a Christo*** dabitur. Ab hoc igitur die discipulis effectus tantae promissionis avide exspectandus erat. Quando vero aut quomodo caro Christi danda esset sibi comedenda, omnino ignorabant; nisi quod nexus hujus sermonis Christi cum miraculo multiplicationis panum, et nomen ***panis*** quo Christus in suo sermone perpetuo utebatur, potuerit eis injicere conjecturam, panem illum caelestem non sine aliqua cum pane terrestri analogia fore distribuendum. Quam bene igitur erant ad institutionem S. Eucharistiae intellegendam et credendam his verbis Christi dispositi!

F) Ad solvendam quaestionem capitalem, de quali manducatione hic sermo sit, praenotandum est, triplicem concipi posse Christi manducationem : 1) ***logicam*** per fidem, qua quis Christum Deum-hominem credens, in mente sua ejus efformet veram et supernaturalem ideam et ita eum in se ceu cibum mentis suscipiat. — 2) ***virtualem*** per dona supernaturalia, animae a Christo vel propter Christum infusa. Qui haec recipit, Christi virtutem sibi quasi animae alimentum conjungit, unde metonymice Christum manducat. — 3) ***realem,*** qua ipsa Christi substantia vere et proprie in corpus tamquam cibus et potus suscipiatur, et ita animae per influxum divinitatis suae alimentum fiat.

V. 53. LITIGABANT (ἐμάχοντο) ERGO IUDAEI (doctores cogita, scribas, pharisaeos etc.) AD INVICEM, DICENTES : QUOMODO POTEST HIC (οὗτος, quod comtemptum sapit Christi) NOBIS CARNEM SUAM DARE AD MANDUCANDUM? Lis est ergo, alia aliis defendentibus, circa ***modum*** quo Christus possit stare promissis suis. Hinc jam

Quaeritur *qualem* Judaei manducationem promitti intellexerint.

Digitized by Google

R. 1° Manducationem ***realem.*** Ita Patres et interpretes catholici, sed et nonnulli protestantes et rationalistae (1).

Rationes. 1) Hic est sensus obvius versiculi. — 2) Secus cur litigassent? Antea, cum Christus se diceret *panem vitae*, nihil objecerant, ut qui sensu mystico qualicumque haec intellegenda putarent et ideo de modo essent parum solliciti. Nunc vero litigant de *modo*, quia res promissa absona videtur : « Num carnem suam tradet vivus? Num occisus? Num ferinis nos supponit moribus praeditos...? » Et undequaque paradoxum offendunt. Aliqui forte sensum mysticum proponebant. Interim plerique, ut apparet ex responso Christi, quia modum non percipiunt, rem ipsam non credunt. — 3) *Manducare carnem alicujus* habebat in hebraismo sensum translatum hunc unicum : aliquem calumniis et conviciis impetere. (Ps. 26, 2; Job 19, 22; Mich. 3, 3; Gal. 5, 15). At talis sensus contextae orationi quadrare certe non poterat : nam vita aeterna promittitur ut merces hujus manducationis. Ergo restat tantum sensus proprius.

R. 2° Manducationem ***virtualem.*** Nam ex v. 51, manducare carnem Christi quam ipse dabit immolandam pro salute mundi, optime sic intellegitur : *sibi unire fructus mortis Christi piacularis.* Ita Hengstenberg et alii qui supponunt verum Christi sensum non esse de *reali* manducatione.

Rationes. 1) Juxta Jer. 15, 16; Am. 8, 11; Prov. 9, 5, auditores intellegere potuerant *panem vitae*, de quo supra, sensu mystico : edere Christum panem vitae, seu sibi mystice unire Christum. Jam versu 52 idem est panis ille vitae et caro Christi immolanda. Ergo idipsum eodem sensu mystico virtuali capere debebant; de *modo* litigabant, unde et rei ipsi fidem abnegabant. — 2) Si intellexissent manducationem *realem*, Jesus in sua responsione scandalum sustulisset, monendo se talem manduca-

(1) Protestantes et rationalistae, qui tenent Judaeos intellexisse Christi verba de manducatione *reali*, simul tenent hunc Judaeorum intellectum fuisse erroneum : Christum enim minime de manducatione reali loqui intendisse.

Digitized by Google

tionem non intendere. Id autem non facit, sed sui manducationis necessitatem magis urget. — 3) Sinit multos discipulos abire (67) et in aeternum perire ob verborum suorum scandalum. Ergo isti discipuli Magistrum non male intellexerant, adeoque intellexerant manducationem *virtualem*, qualem intendebat Christus.

Contra est negandum esse suppositum, Jesum de manducatione *virtuali* loqui voluisse. Contrarium infra probabitur.

Conclusio. Judaei intellexerunt Jesum in sensu ab eo intento. Jesus autem intendebat manducationem *realem* (ut probabitur); sed et Judaeos talem intellexisse ex argumentis responsionis 1ᵃᵉ admitti debet. Si in praecedentibus intellexerant (ut vix dubitari potest) sensum mysticum, ultima verba Christi errorem corrigere debuerant et a sensu mystico erronee supposito ad sensum proprium eos flectere.

V. 54. DIXIT ERGO EIS IESUS : AMEN, AMEN DICO VOBIS : NISI MANDUCAVERITIS CARNEM FILII HOMINIS, ET BIBERITIS EIUS SANGUINEM, NON HABEBITIS VITAM IN VOBIS. Quattuor hic praestat Christus : 1) Contra incredulos Judaeos iterum asserit daturum se esse carnem suam manducandam, atque adeo sanguinem suum bibendum, quasi effusum et a carne separatum. Unde et caro insinuatur manducanda tamquam immolata. (1). — 2) Id asserit quasi cum juramento. — 3) Sub aeternae damnationis interminatione carnem suam et sanguinem esse sumenda. — 4) Hinc rem a se promissam proponit omnino credendam, et sic litem eorum circa τὸ *quomodo* removet, nihil ad eam directe respondens.

V. 55. Parallelus omnino est hic versiculus versiculo 40 eumque complet. *Qui* credens in me ***manducat... habet vitam aeternam*** (vide ad v. 40). Neque ideo idem esse credere in Christum ac eum manducare patet ex dictis supra de v. 35. —

(1) Idipsum per duplicem speciem eucharisticam significari omnes conveniunt.

Digitized by Google

Praeterea hic versiculus praecedentem complet. Nam versus 54 dat sumptionem Christi ut ad salutem necessariam, versus 55 ut sufficientem. Intellege sumptionem dignam, quae hic semper supponitur.

V. 56. CARO ENIM MEA VERE EST CIBUS, ET SANGUIS MEUS VERE EST POTUS. Atque haec ratio est cur carnem meam dixerim manducandam et sanguinem meum bibendum.

Quaeritur quonam sensu sit sumendum adverbium ***vere.***

R. Iis qui negant hic agi de manducatione reali, VERE significat *perfecta ratione*, secundum usum loquendi S. Joannis. Ita 1, 9 : *lux vera;* 4,23 : *veri adoratores;* 6,32 : *panem de caelo verum*; 8,36 : *vere liberi*; 1,47 : *vere Israelita*; 15,1 : *vitis vera*; 1 Jo. 2, 8 : *verum lumen*. Ergo hoc loco : Caro mea altiori ratione cibus est animae et sanguis meus item potus animae, quia virtute immolatae carnis meae et effusi sanguinis mei vita aeterna animae communicatur.

Iis vero qui defendunt hic agi de manducatione reali, VERE idem sonat ac *proprie*, non metaphorice. Ita ob contextam orationem. Nam hic versiculus explicare debet cur caro Christi sit manducanda et sanguis bibendus (ponitur enim particula γάρ). Haec autem ratio est quia sunt *proprie* et non figurate tantum cibus et potus. Non agitur hic de *hoc* cibo *alteri* praeferendo, sed de *cibo simpliciter* asserendo. — Neque obstat usus loquendi supra allegatus : hic enim est metaphoricus, qui interim sensum proprium, ubi is exigitur, minime excludit. — Haec est vera sententia, ab interpretibus catholicis admissa.

Digitized by Google

DISSERTATIO

De senso dogmatico Joannis VI, 48-59

Praenotandum. Concilium tridentinum totum hunc locum intellexit de S. Eucharistia, ut patet ex sess. XXI, cap. 1 et sess. XIII, cap. 2. Ideo, licet hunc sensum expressis verbis non definiverit, aliter tamen sentire saltem temerarium foret. Item omnes Patres, qui hujus loci textum ad litteram exposuerunt, de Eucharistia eum intellexerunt. Quare interpreti catholico integrum non est, locum hunc de manducatione non reali exponere. Sit igitur.

Propositio. Loco de quo agitur (Jo. 6, 48-59), Christus intendit manducationem carnis suae et potationem sanguinis sui ***realem,*** licet ***sacramentalem.***

Probatur. *A)* Ex ***auctoritate Patrum,*** locum de Eucharistia, adeoque de manducatione reali exponentium.

Tertullianus (De oratione, 6) : « Christus enim panis noster est, » quia vita Christus, et vita panis. *Ego sum*, inquit, *panis vitae.* » Et paulo supra : « Panis est Sermo Dei qui descendit de caelo. » Tum quod et corpus ejus in pane censetur. » (Migne, Patr. lat., t. 1. col. 1160).

Cyprianus (De orat. domin., 18) : « Hunc autem panem dari » nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus et Eucha- » ristiam quotidie in cibum salutis accipimus, intercedente aliquo » graviore delicto, dum abstenti et non communicantes a caelesti » pane prohibemur, a Christi corpore separemur, ipso praedicante » et monente : *Ego sum panis vitae qui de caelo descendi, si quis* » *ederit de meo pane vivet in aeternum. Panis enim quem ego* » *dedero, caro mea est pro saeculi vita.* Quando ergo dicit, in » aeternum vivere si quis ederit de ejus pane, ut manifestum est » eos vivere qui corpus ejus attingunt et Eucharistiam jure com- » municationis accipiunt, ita contra timendum est et orandum ne,

Digitized by Google

» dum quis abstentus separatur a Christi corpore, procul remaneat » a salute, comminante ipso et dicente : *Nisi ederitis carnem* » *Filii hominis...* » (Migne, P. L., t. 4, col. 531.)

Hilarius (De Trinit., 8, 14-17) : « Ipse enim ait, *caro mea vere* » *est esca, et sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam...* » *et ego in eo.* De veritate carnis et sanguinis non relictus est am- » bigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione et fide » nostra vere caro est et vere sanguis est. Et haec accepta atque » hausta efficiunt ut et nos in Christo et Christus in nobis sit. » Lege integrum locum (Migne, P. L., t. 10, col. 246-249).

Ambrosius (De sacram., 6, 1) : « *Ego sum*, inquit, *panis vivus* » *qui de caelo descendi.* Sed caro non descendit de caelo, hoc est, » carnem in terris assumpsit ex virgine. Quomodo ergo descendit » panis a caelo? et panis vivus? Quia idem Dominus noster Jesus » Christus consors est et divinitatis et corporis; et tu qui accipis » carnem, divinae ejus substantiae in illo participaris alimento. » (Migne, P. L. t. 16, col. 455.)

Augustinus (In Joan., Tract. 26, 11), ad haec verba : *Patres vestri manducaverunt... manna, et mortui sunt* : « Et nos hodie » accipimus visibilem cibum; sed aliud est sacramentum, aliud » virtus sacramenti. Quam multi de altari accipiunt, et moriuntur! » Unde dicit apostolus : *Judicium sibi manducat et bibit.* »

Et nº 12 : « Hunc panem significavit manna, hunc panem signi- » ficavit altare Dei. » Lege etiam n. 15 in fine (Migne, P. L., t. 35, col. 1611).

(Sermo 132, alias : De verb. Dom. 46), in haec : *Caro mea vere est esca...* Invitat catechumenos ut se disponant ad revelationem sensus horum verborum accipiendam. Et ad fideles : « Qui jam manducant carnem Domini et bibunt sanguinem ejus, » cogitent quid manducent et quid bibant; ne, sicut dicit apo- » stolus, judicium sibi manducent et bibant. » Lege totum locum (Migne, P. L., t. 38. col. 734. 735).

(De civit., 21, 25, 2) : « Quamobrem, quod ait Dominus Jesus :

Digitized by Google

» *Hic est panis qui de caelo descendit, ut si quis ex ipso man-* » *ducaverit, non moriatur*..., quomodo sit accipiendum merito » quaeritur... haeretici et schismatici, ab hujus unitate corporis » separati, possunt idem percipere sacramentum, sed non sibi » utile, immo vero etiam noxium. » (Migne, P. L., t. 41, col. 741.) (De cons. evang. 3, 1). (Migne, P. L., t. 34, col. 1158.) (1).

Clemens Alex. (Paedag., 1, 6), quaedam habet, sed obscura valde (Migne, Pat. gr. t. 8, col. 303. 305).

Origenes (Hom. 7 in Num., 2) : « Tunc in aenigmate erat » manna cibus; nunc autem in specie caro Verbi Dei est verus » cibus, sicut et ipse dicit : *Caro mea vere est cibus, et sanguis* » *meus vere est potus.* » (Migne, P. G., t. 12, col. 613.)

Hieronymus (Ep. 120 (150) ad Hebid.) : « Si ergo panis qui » de caelo descendit, corpus est Domini, et vinum quod discipu- » lis dedit, sanguis illius est novi testamenti, judaicas fabulas » repellamus. — Nec Moyses dedit nobis panem verum; sed Do- » minus Jesus : ipse conviva et convivium, ipse comedens et qui » comeditur. » (Migne, P. L., t. 22, col. 986.)

Basilius (Moral. Reg., 21, 1) : « *Amen, amen dico vobis,* » *nisi manducaveritis carnem Filii hominis....* Quod qui ac- » cedit ad communionem, non considerans hac ratione, secun- » dum quam corporis et sanguinis Christi participatio datur, is

(1) Notandum tamen id quod scribit Augustinus (De doct. christ., 3, 24) : « *Nisi manducaveritis,* inquit *carnem Filii hominis et sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis.* Facinus vel flagitium videtur jubere : figura est ergo, praecipiens passioni dominicae communicandum et suaviter atque utiliter recondendum in memoria quod pro nobis caro ejus crucifixa et vulnerata sit. » Vide etiam quae scribit in Joan. 6, 52 sq., et intelleges Augustinum in praesenti quaestione seriam facere difficultatem. Quae habet pro sensu realis manducationis, non minus tamen clara sunt quam ea quae pro metaphorica manducatione ex ejus scriptis afferri possunt.

Difficultatem etiam faciunt Origenes (Hom. in Lev., 7, 5), Euseb. (De theol. eccl., 3, 12) et Athan. (Ep. 4 ad Serap., 19). Qui omnes in eo sunt ut excludant conceptum manducationis et potationis corporis et sanguinis Christi in propria specie et sensum mysticum proponant; de specie vero sacramentali tacent.

Digitized by Google

» nullam ex ea utilitatem capiat; et quod qui indigne sumit, » damnatus sit. » (Migne, P. G., t. 31, col. 738. 740.)

Epiphanius (Haer., 55, 6) : « Ei (Abrahae) Melchisedech occur» rit, ac panem ipsi vinumque protulit. Quo facto mysteriorum » significationes praefiguravit, quae Domini figuram exprime» bant, qui dixit : *Ego sum panis vitae.* » (Migne, P. G., t. 41, col. 981.)

Gregorius Nyssen. (De perf. christiani forma) : « Sin aliquis » etiam ad mysterium respiciens dicat, cibum et potum proprie » Dominum nominari, ne id quidem a germana significatione » recesserit : vere enim caro ejus est cibus et sanguis ejus vere » est potus. » (Migne, P. G., t. 46, col. 268.)

Cyrillus Hieros. (Catech. mystag. IV, 3-4). Lege omnia a n° 1 (Migne, P. G., t. 33, col. 1098 sq.).

Chrysostomus et ***Cyrillus Alex.*** (in h. l.) quam praeclare textum nostrum exponant de S. Eucharistia, apud omnes in confesso est.

Citat praeterea Maldonatus pro interpretatione eucharistica Theodoretum, Theophilum, Procopium, Gaudentium, Maximum taur., Leonem, Prosperum, Hesychium, Isidorum, Eusebium emiss., Cassiodorum, Joannem damasc., Theophylactum, Euthymium, Rupertum.

Habemus igitur circa sensum catholicum hujus loci consensum Patrum moraliter unanimem, cui se conformare tenetur interpres catholicus, secundum Trident. sess. IV, decr. 2, et Vatican. sess. III, cap. 2.

B) Ex ***nexu intimo*** inter hunc Christi ***sermonem*** et ***institutionem*** S. Eucharistiae in cena ultima.

1) Ibi Christus ***dat carnem*** (corpus) suam manducandam et ***sanguinem*** suum bibendum, hic *eadem* ***dabit*** ... Ergo factum institutionis est adimpletio promissionis de qua Joannis capite VI. — Atqui in institutione fit manducatio ***realis,*** fit potatio ***realis.*** Ergo et hic ***realis*** sumptio promittitur.

Digitized by Google

Si, ut bene notat Maldonatus, nihil sciremus de instituta a Christo Eucharistia, verba Joannis VI utcumque de sumptione metaphorica exponere conaremur : nunc vero, facti correlativi notitia *realem* sumptionem vel invitis imponit intellegendam (1).

2) Jo. 6, 52 : ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, et Luc. 22, 19 : τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, ita sunt parallela, ut in utraque occasione Christus appareat de eadem re cogitasse. Sed in cena cogitavit de sumptione *reali* sacramenti. Ergo et in sermone Joann. VI.

C) Ex ***contexta oratione.***

1) Cibus et potus exhibentur tamquam aliquid *novi* dandum in futurum. Sed manducatio virtualis vel logica *in praesenti* prostabat. Ergo non talis intendebatur, sed *realis*.

2) Panis vitae comparatur et praefertur mannae. Sed haec *realiter* manducabatur. Ergo et ille. Secus, ubi foret comparatio?

3) In hypothesi manducationis *realis* omnia in sermone Christi sunt plana et facilia et obvio sensu intellegenda; in hypothesi vero manducationis metaphoricae multa sunt dura et difficilia. Ergo admittenda est manducatio realis, nisi aliunde constet Christum de tali cogitare omnino non potuisse. Sed ex dictis supra constat eum de *reali* cogitare debuisse.

4) Carnem suam et sanguinem dixit VERE cibum et potum (v. 56). Atqui *vere* idem est ac *proprie*, non figurate, ut supra ostensum est. Ergo...

5) Judaeos intellexisse manducationem non realem minime verisimile esse ostendimus. Atqui Christus eos in hoc intellectu de manducatione reali omnibus modis confirmat. Ergo...

Nec dicas, cum de Wette, Jesum ex indole sua paradoxis loquendi modis delectari, ideoque eum a Judaeis sibi objectum paradoxum etiam exaggerare.

(1) Vide hoc argumentum lucide expositum a Bossuetio, *Médit. sur l'Évang. La Cène, 1re partie, 33e jour.*

Digitized by Google

Nam ***respondeo.*** Dato etiam, Christi responsa aliquod acumen prae se fere quod hinc inde paradoxum non indecorum oleat, id certo constat, Christum iis qui se male intellexerint ita semper respondere, ut erroneus, si quis adsit, intellectus pateat et aliquousque corrigatur. Cf. Jo. 3, 3-5; 4, 32-34; Matth. 16, 6. 11. 12; 19, 24-26; Jo. 8, 32-44; 11, 11-14; 6, 32-35.

6) Scandalum discipulorum (v. 61) non explicatur nisi intellexerint manducationem realem. Atqui Christus hunc intellectum eorum nihil corrigit, sed amantissimus magister incredulos sinit abire. Ergo et ipse sic intellexerit oportet.

7) Analogia verborum Christi cum miraculo pridie peracto manducationem suadet realem, qualis pridie fuerat.

8) Si voluisset Christus loqui metaphorice, non adhibuisset metaphoram istam Judaeis nimis odiosam.

9) Mos erat Christi, ad majora redemptionis mysteria futura discipulos praevio sermone praeparare. Ita ad passionem Matth. 16, 21; ad resurrectionem Matth. 17, 21; ad ascensionem Jo. 16, 16; ad missionem S. Spiritus Jo. 14, 16; ad baptismum Jo. 3, 5; ad primatum Petri Matth. 16, 18. 19. Ergo.

D) Ex ***rationibus theologicis.***

1) Si Christus voluisset indicare manducationem metaphoricam, non potuisset loqui obscurius; si realem, non potuisset loqui clarius. Atqui in enuntiando praecepto rei ad salutem omnino necessariae sapiens legislator mentem suam clare eloqui censendus est. Ergo...

2) Praesciebat Christus, totam ecclesiam suam praeceptum hoc suum intellecturam esse de manducatione reali et consequenter acturam. Atqui talem errorem vere invincibilem, cum idololatria materiali in contraria hypothesi conjunctum, non potuisset permittere. Ergo...

Objicitur.

1° Jo. 2, 19: *Solvite templum hoc...*, ubi Jesus Judaeos in erroneo intellectu relinquit.

Digitized by Google

Respondeo. In eo certe illos non confirmat. Sed nihil respondet.

Instant. Jo. 4, 7 sq. Samaritanam in errore confirmat.

Respondeo. Non statim errorem plene diluit; sed paulatim conceptum supernaturalem evolvit, ut mulieris acuat desiderium. Tandem v. 26° plenam veritatem ei revelat.

2° Prior pars tropica est, et agit de manducatione Christi per fidem. Ergo et secunda eodem modo tropice sumenda est.

Respondeo. *a)* Nego suppositum (vide commentarium supra). — *b)* Hoc etiam dato, nego consequentiam. Transitus a sensu tropico ad sensum proprium satis indicaretur v. 52° particulis καὶ ... δὲ et voce ἡ σάρξ μου. Praeterea sensum ibi proprium esse, absolute probant argumenta modo allata; neque esset hoc exemplum unicum sermonis in quo Christus duo analoga misceret : v. g. Jo. 5, 21-29, ubi de vita et morte tum animae tum corporis sermo procedit.

3° Hoc tempore, integro ante cenam anno, verba Christi de eucharistica manducatione intellegi plane non potuissent. Atqui nequit supponi sermo Christi inintellegibilis adeoque inanis fuisse.

Respondeo. Non potuissent intellegi de sumptione *reali* postea a Christo instituenda. Nego — de sumptione sub speciebus panis et vini. Concedo. — Ergo sermo non fuit inanis, sed ad cenam eucharisticam praeparatorius.

4° Ipse Christus manducationem realem excludit v. 64.

Respondebitur infra, ad v. 64.

5° Nonnulli Patres metaphorice exponunt.

Respondeo. Sensu allegorico. Concedo. Sensu litterali. Subdist. Unus Augustinus. Transeat. Alii. Nego.

De interpretationibus haereticorum.

1° ***Aliis*** haec manducatio est mere ***logica*** per fidem in Christi carnem et sanguinem, seu humanitatem. Ita ut v. 51° particulae καὶ... δὲ insinuent aliquid addi conceptui generali antea exposito : Christum esse cibum non solum qua Deus est, sed et qua homo

Digitized by Google

est. — Ita Hengstenberg post Calvinum etc. — Isti negant futurum δώσω designare rem *futuram*, vel mortem Christi.

2° ***Aliis*** item est ***logica,*** sed connotans Christi ***mortem piacularem,*** secundum haec : ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς. Versu 51 admittitur verus transitus : Non tantum sermo meus est cibus vitae, sed idipsum erit et mors *mea cruenta* (caro et sanguis). Mors docet per exempla id quod sermo per verba. Ita Grotius, Kuinoel, Tholuck. Urgent isti futurum δώσω, et δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, quod omnino volunt intellegi de oblatione in mortem. Hinc est quod etiam allusionem ad cenam eucharisticam admittunt, secundum 1 Cor. 11, 26.

3° ***Aliis*** est manducatio ***virtualis,*** seu mystica, ad quam fides in Christum sit necessaria dispositio. Itaque sumptio carnis et sanguinis Christi ipsis est activa susceptio vitae novae, cujus Christus sit fons et auctor. Haec autem nobis datur ob merita mortis ejus. Ita, ut videtur, Olshausen. Eam se vitam dare discipulis Jesus actione symbolica, aiunt, in cena significavit. Unde et praesentis sermonis et cenae *una* et eadem sit *idea*.

Interpretationes istae, quamvis aliquam speciem prae se ferant, falsae tamen esse apparent, cum ex dictis supra in demonstratione *Propositionis*, tum ex hoc unico argumento, quod habeant contra se traditionem totius antiquitatis christianae.

EXPOSITIO TEXTUS

V. 57° et 58° exponit Christus mirabiles effectus cibi caelestis : unionem cibi cum substantia sumentis et vitae supernaturalis communicationem.

QUI MANDUCAT..., IN ME MANET, ET EGO IN ILLO. Sunt qui velint haec dici tantum de unione animae justae per fidem et per amorem mutuum (Grot., Kuin...). Alii de unione per fidem ex parte fidelis, et de unione mystica Christi cum fideli per vitam

Digitized by Google

supernaturalem (Hengst. Olsh.). — At perperam : exponitur enim *illa* unio quam habet cum anima Christus quatenus *vere cibus* ejus est. — Dictio *in aliquo manere* Joanni familiaris est ad aliquam unionem designandam; sed varias designat unionis species. Cibus intra corpus recipitur, deinde unitur corpori transmutatus in corporis substantiam, in quam ita vitam influit. Sic Christus totus in Eucharistia corporaliter, licet sacramentaliter, recipitur in corpus nostrum, et porro statim unitur ipsi animae; digestis vero speciebus, humanitas quidem Christi in nobis esse desinit, sed divinitas Christi in nobis manet, et nos in ea, quatenus aliqua vera, licet analogica ratione cibus ille divinus transformat animam nostram in divinam Christi substantiam. In haec ita Toletus : « Latet eximius in his verbis sensus, qui explicabitur, si discrimen latum hujus cibi a communi observemus. Qui enim cibum et potum communem accipit, dicitur quidem cibum et potum intra se habere; tamen non manet ipse in cibo et potu; immo nec cibus et potus in eo manent; nam corrumpuntur et convertuntur in substantiam ejus qui manducat et bibit; at Christi cibus non talis est. Primo quidem manet in manducante, quia non transit caro Christi in substantiam manducantis, sed permanet; secundo non accipit vitam a manducante, sicut accipiunt cibi communes, sed ipse potius dat vitam animae manducantis... Propterea manet in manducante, quia ipsi ita unitur, ut non corrumpatur; et manducans manet in eo, quia vitam accipit ab ipso cibo et ab ipso Christo, cujus caro cibus et sanguis potus est. Unio igitur quaedam est, quia cibus et potus est; tamen magnum est et latum discrimen : cibus enim est manens et continens ipsum manducantem. Praeterea attendenda sunt verba. Non dicitur, manet in carne mea et caro mea manet in ipso; sed, ego in ipso et ipse in me; denotans ipsum suppositum divinum et personam : ac si dicat : Qui carnem meam manducat, quamdam unionem habet eum ea, et ratione carnis meae in me manet, et ego, qui Deus sum, in eo maneo; qui enim carnem edit et

Digitized by Google

sanguinem bibit, habet in se Deum ipsum carni et sanguini unitum. » Praeclare etiam Cyrill. Alex. : « Considerandum est, » non habitudine solum, quae per caritatem intellegitur, Christum » in nobis esse, verum etiam et participatione naturali. Nam » quemadmodum si quis liquefactam igne ceram alii cerae simi- » liter liquefactae ita miscuerit, ut unum quid ex utrisque factum » videatur, sic communicatione corporis et sanguinis Christi » est ipse in nobis et nos in ipso. » Haec tamen intellege secundum analogiam inter naturam Dei propriam et participatam (1). — Jam eo ipso quod anima ita fit christiformis, vitam accipit supernaturalem scilicet :

V. 58. SICUT MISIT ME VIVENS PATER, ET EGO VIVO PROPTER PATREM : ita ET QUI MANDUCAT ME, ET (etiam) IPSE VIVET PROPTER ME. Sensus est : Sicut ego, propter unionem meam cum Patre vivente, vitam habeo divinam, ab eo mihi necessario cum divinitate communicatam, et a me Deo humanitati meae collatam, ita et homo carnem et sanguinem, humanitatem meam, in se per Eucharistiam suscipiens, et ipse, propter similem sui unionem mecum, vitam divinam participatam accipiet. Quantae sublimitatis est haec ab ipso Christo proposita comparatio! Igitur anima per Eucharistiam accipit divinam quamdam vitam per se aeternam et in caelis consummandam. Sed et corpus ipsum, in ordine ad eamdem vitam aeternam, accipit, licet moraliter, semen immortalitatis gloriosae. — De quibus lege a Lapide.

Non pauci interpretes exponunt διὰ sensu *per*. Unde sic : *vivo per Patrem... vivet per me*. Quae expositio usui loquendi non obstat estque facilior et vere probabilis.

V. 59. Epiphonema est, praecipua sermonis adjuncta resumens. Cf. v. 32. 41. 49. 50. 52. 55. Unde confirmatur nostra sententia de unitate subjecti totius sermonis.

(1) Abstinendum ducimus ab ulterioribus Patrum citationibus de hoc Christi sermone eucharistico : textus enim de ea re egregios reperiet quisque in breviario in lectionibus festi et octavae SS. Corporis Christi.

Digitized by Google

V. 60. Locus indicatur ubi habitus est sermo, ut 1, 28, ob rei ibi actae momentum.

Effectus sermonis in discipulos

61. ***Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt : Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?*** **62.** ***Sciens autem Iesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis : Hoc vos scandalizat?*** **63.** ***Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?*** **64.** ***Spiritus est, qui vivificat : caro non prodest quidquam. Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.*** **65.** ***Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum.*** **66.** ***Et dicebat : Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.*** **67.** ***Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro : et iam non cum illo ambulabant.***

V. 61. Jam de effectibus sermonis Jesu in ejus discipulos. — AUDIENTES, ἀκούσαντες, id est, *qui audierant*. — DURUS EST HIC SERMO (σκληρός), difficilis captu, ET QUIS POTEST EUM AUDIRE absque offensione, ob rei propositae enormitatem. At quaenam eis offensioni erant? Tria, ut multis videtur : *a)* posse Christi carnem edi et sanguinem ejus potari; — *b)* hanc manducationem esse omnibus edentibus fontem vitae aeternae; — *c)* forte etiam, Christi carnem esse panem qui de caelo descendisset (v. 41). — S. Thomas vult eos fuisse scandalizatos quia audierant Dominum sibi divina attributa adscribentem, cum ipsi ejus divinitatem non crederent. Quod et nobis valde probabile videtur ex responso Christi v. 63 et 65 : altero probat se Deum, altero assignat causam scandali, incredulitatem.

V. 62. SCIENS AUTEM IESUS APUD SEMETIPSUM, cum disci-

Digitized by Google

pulos loquentes non potuisset naturali modo audire. Sciens itaque ut cordium scrutator, adeoque scientia divina, DIXIT EIS : HOC VOS SCANDALIZAT?

V. 63. SI ERGO VIDERITIS FILIUM HOMINIS ASCENDENTEM UBI ERAT PRIUS? Subaudi : quid tunc dicetis?

Quaeritur 1° de quanam ***ascensione*** Christus loquatur.

R. Procul dubio de ascensione sua visibili et gloriosa in corpore resuscitato. Nam 1) ascensio, de qua hic, debet esse sensibilis, secus quid ad scandalum? — 2) ex alia parte, ut historia nos docet, *videntibus illis elevatus est* (Act. 1, 9).

Aliqui tamen hoc negant, ut de Wette, quia, ait, Joannes nusquam ascensionem illam visibilem commemorat. At ratio est infirma, ut patet ex scopo Joannis, supplendi scilicet quae alii tacuerant, non retractandi sine ratione quae Synoptici dixerant.

Alii volunt *ascensionem* illam esse Christi mortem. Ita Olshausen et de Wette, ut explicent responsum Christi : tenent enim discipulos scandalizatos fuisse quia audierant (v. 52) Messiam moriturum morte cruenta. Sed hoc gratis omnino asseritur. Nihil simile in contextu reperitur.

Quaeritur 2° de ***sensu*** responsionis Christi.

R. *1ª sententia.* « An tunc etiam scandalum capietis? Profecto non, sed confundetur vestra incredulitas gloriae meae evidentia. » Ita SS. Cyrill. Alex., Chrysost., Thom. ; Luc. Brug., Klee.

Rationes. 1) Ex v. 64. Christus videtur velle tollere rationem capti scandali. Unde idem finis supponendus responsionis de qua hic. — 2) Cum viderint ascendentem in caelum, scient profecto posse eum haec mirabilia et divina, de quibus dixit, per divinam suam virtutem operari. — 3) Minus difficile est admittere, Filium Dei in caelis commorantem posse homines carne divina sua alere, quam tale quid posse praestare hominem in terra conversantem.

2ª sententia. « Scandalizamini quia putatis me more laniorum daturum carnem meam? Hoc falsum esse apparebit quando ad

Digitized by Google

caelum integrum corpus meum assumpsero. » Ita S. August. — Non est satis obvium.

3a sententia. « Quanto magis tunc scandalum capietis! Nunc scandalizamini, quando dico me vobis daturum carnem meam vobis in terra praesentem; quanto magis, quando haec ipsa caro erit in caelis! » Ita Maldon., Tolet., Bossuet, Beelen.

Rationes. 1) Juxta enuntiationis modum, exspectatur responsio scandalum aggravans. — 2) Loci similes : Jo. 1, 50; 3, 12. — 3) Congrua hujus sensus expositio. — 4) Inde revera postea haeretici scandalum ceperunt et ansam S. Eucharistiae impugnandae, v. g. calviniani. — Haec nostra.

V. 64. SPIRITUS EST QUI VIVIFICAT : CARO NON PRODEST QUIDQUAM. Enuntiatio proverbialis est, de cujus in re praesenti applicatione disputatur.

1a expositio. SPIRITUS est *spiritualis intellectus* verborum meorum, CARO, *intellectus materialis* et crudus hujus manducationis. Spiritualis iste intellectus excludit, non manducationem realem, sed ferinam, de qua, aiunt, v. 52° Judaei cogitabant, et ob quam scandalizabantur.

Rationes. 1) Ita directe tollitur scandalum de quo v. 53°. — 2) Optime praeparantur discipuli ad institutionem SS. Eucharistiae.

Contra est *a)* Non apte *spiritus* vocatur conceptus manducationis sacramentalis, per oppositionem ad conceptum manducationis ferinae, quae *caro* dicatur, quasi in sacramento caro non vere manducaretur. — *b)* Non suffragatur usus loquendi. — *c)* Difficilis nexus cum v. 65, ubi de quorumdam incredulitate in Christi divinam filiationem agitur.

2a expositio. SPIRITUS est *divinitas carni Christi unita;* CARO, *sola humanitas,* quae foret a divinitate separata. Ita August., Cyrill. Alex., Beelen, Maier etc. (NON PRODEST QUIDQUAM habent ut hebraismum, pro *sola non prodest*, vel *non adeo prodest*).

Rationes. 1) Usus loquendi Scripturae. Ubi *spiritus* opponi-

Digitized by Google

tur *carni*, haec sonat, in re de qua agitur, elementum mere *naturale*, ille elementum *supernaturale* seu divinum. Cf. Is. 31, 3; Matth. 26, 41; Jo. 3, 6; Rom. 1, 3; 8, 5. 8. 9; Gal. 3, 3; 1 Pet. 3, 18. — 2 Nexus cum versiculis 63 et 65, ubi de manifestatione et fide *divinitatis* Christi. — 3) Scopus Christi, tollendi scandalum ortum ex eo quod sumptioni carnis et sanguinis sui divinos effectus tribueret. Verba v. 64[i] hanc rationem scandali prorsus tollunt, dum illos effectus tribuunt divinitati carni unitae.

Contra est hoc unum, quod in hac expositione CARO sumitur metaphorice in versu 64, licet in Christi sermone hactenus vox *caro* perpetuo sensu proprio fuerit adhibita. Hoc tamen, eo quod enuntiatio v. 64 proverbialis erat, et usus loquendi sensum *carnis* oppositae *spiritui* satis determinaverat, poterat auditoribus non obscurum videri.

Haec expositio videtur nobis praeferenda.

Nota. Haeretici non pauci ita exponunt : *Spiritualis* mei manducatio vivificat, *carnalis*, seu realis (quam cogitatis) meae carnis manducatio nihil prodest. Quae expositio ilico falsificatur ex eo quod gratis omnino sumitur *caro* sensu manducationis realis. Christus aperte dixerat esse *carnem* suam vere *prodesse* ad *vitam*. Accedit quod *spiritus* quatenus opponitur *carni* absurde significaret istius ipsius carnis manducationem mysticam. Terminus oppositionis nequit utrumque oppositorum ingredi.

Aliae expositiones minoris momenti videri possunt apud Maldonatum et Olshausen.

VERBA, QUAE EGO LOCUTUS SUM VOBIS in hoc ipso sermone de carne mea manducanda, SPIRITUS ET VITA SUNT, id est Spiritus vivificans. Expositio horum verborum intime connexa est cum expositione immediate praecedentium. Nos igitur ita : « Verba quae ego locutus sum vobis, agunt de divinitate mea, in qua est ea omnis vivificandi efficacia quam modo tribuebam carni meae utique cum divinitate conjunctae. »

V. 65. SED SUNT QUIDAM EX VOBIS, QUI NON CREDUNT

Digitized by Google

divinitati meae (vel, divinae missioni meae), et inde causa scandali adhuc apud eos persistentis. — SCIEBAT ENIM AB INITIO, quando istos elegit in discipulos, QUI ESSENT NON CREDENTES, sicut etiam non ignorabat QUIS TRADITURUS ESSET EUM, et nihilominus et hunc et illos elegit. — Haec addit S. Joannes ad explicandos in antecessum versiculos 71 et 72.

V. 66. ET, haec praesciens, DICEBAT : PROPTEREA, quia ad rectam sermonis mei intellegentiam necessaria est fides in me, et quia haec est donum Dei, ideo DIXI VOBIS, vestrum aliquorum jam tunc praesciens incredulitatem : NEMO POTEST VENIRE AD ME per fidem, NISI FUERIT EI DATUM A PATRE MEO. Vide ad v. 44.

V. 67. EX HOC tempore MULTI DISCIPULORUM EIUS ABIERUNT RETRO..., ab ejus conversatione et a fide in eum se subtrahentes. Inter eos tamen nullus ex duodecim apostolis, ut patet ex v. 68. Et Jesus sinit eos abire cum aeterno animarum eorum dispendio. Ipsis igitur responsione a se data non satisfecerat. Unde sic contra protestantes versum 64 objicientes discurrere licet : Si Christus versu 64 intendit excludere manducationem realem qua scandalizabantur discipuli, tunc vel isti intellexerunt sensum Christi, et, si ita, quare abierunt retro? vel non intellexerunt, et, si ita, excusari nequit Magister quod non clarius mentem suam aperuerit et eorum permiserit damnationem « *pour un mal-entendu!* » — Veritas est, eos credidisse forte Jesum Messiam, Filium tamen Dei naturalem eum credere noluisse. Patet ex contrario v. 70, ubi Petrus, apostolorum nomine, ipsorum profitetur fidem in Christum Deum.

Effectus sermonis in apostolos

68. ***Dixit ergo Iesus ad duodecim : Numquid et vos vultis abire?*** **69.** ***Respondit ergo ei Simon Petrus : Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes.*** **70.** ***Et nos credidimus, et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei.*** **71.** ***Respondit eis Ie-***

Digitized by Google

sus : Nonne ego vos duodecim elegi : et ex vobis unus diabolus est? **72.** *Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem : hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.*

V. 68. Nunc de effectu sermonis Jesu in duodecim apostolos. DIXIT ERGO, dum abeuntes conspiceret, IESUS AD DUODECIM qui omnes remanserant : NUMQUID ET VOS VULTIS ABIRE? Quae verba intimum cordis Jesu dolorem et specialem in electos apostolos amorem produnt. — VULTIS : ergo abire liberum ipsis fuisset; ergo et ceteri libere abierunt, et, si voluissent, a Patre trahi et Filio dari potuissent.

V. 69. RESPONDIT ERGO EI SIMON PETRUS, ex innato sibi fervore, omnium sodalium nomine, omnium secum sensa concordare ratus : DOMINE, AD QUEM IBIMUS, te derelicto? VERBA VITAE AETERNAE HABES : doctrina tua ea est, quam qui crediderit et opere secutus fuerit, vitam aeternam assequatur. Haec tu habes et nemo alius praeter te! Et statim dat rationem.

V. 70. ET NOS CREDIDIMUS, ET COGNOVIMUS (πεπιστεύκαμεν καὶ ἐγνώκαμεν) : Jam dudum credidimus et etiamnum credimus; neque fides nostra caeca est : nam et cognovimus et etiamnum cognoscimus ob miracula etc., QUIA TU ES CHRISTUS, Messias promissus, FILIUS DEI. Graece : ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος (Plures : ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ. Ita Tischend.). En fidei apertissima confessio. Talem quidem exigebat Christus ad panem vitae accipiendum (v. 35. 40).

Parallelismus Matth. 16, 16 et Jo. 6, 70 difficultatem facit. Confessio enim Petri apud Matth. 16, 16 talis est, ut fidem in Christum Filium Dei solus Petrus tunc habuisse appareat; contra, apud Jo. 6, 70, eadem haec fides omnibus apostolis communis fuisse videtur; et tamen narratio Synopticorum ita procedit, ut confessio Petri, de qua Matth. 16, 16, tempore posterior sit illa quam narrat Joannes 6, 70. Ergone tam brevi temporis intervallo, decem apostoli a fide divinitatis Christi prius habita exci-

Digitized by Google

derant? Non ita sane; sed supponendum potius, apud Jo. 6, 70 nec Petri nec ceterorum apostolorum supernae Christi naturae cognitionem tam fuisse plenam ut eum unius cum Patre divinae naturae esse crederent. Confirmatur hic respondendi modus ex probabili lectione secundum quam dixisset Petrus : ὅτι σὺ εἶ ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ, quod non tantum dicit ac ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. Quodsi tamen haec ultima lectio adoptetur, cogitandus est conceptus ille FILII DEI nondum cum omni sua plenitudine eis innotuisse.

V. 71. RESPONDIT IESUS : NONNE EGO VOS DUODECIM ELEGI? (Insistit in voce *duodecim*). Unde talem fidem merito ab omnibus exspectare poteram, ET tamen EX VOBIS UNUS DIABOLUS EST, homo pessimus, peccator. Cf. 1 Jo. 3, 8; Jo. 8, 44; 13, 2. — Dicit : *diabolus* EST. Ergo jam tunc Judas malus erat, licet nondum proditor (v. 72).

Jesus hic Judam commemorat *a)* ut corrigat assertum universale Petri, omnes apostolos bonos supponentis; — *b)* ut apostolos praemuniat contra scandalum proditionis Judae; — *c)* quia, ut probabile multis videtur, sciebat Judam unum esse ex iis qui non credebant divinae suae missioni. Utrumque enim arcte cohaerere suadet v. 65.

V. 72. DICEBAT ENIM IUDAM SIMONIS filium ISCARIOTEM (hebraice vel אִישׁ קְרִיּוֹת, *homo ex Kerioth*. (Jos. 15, 25); vel, ut minus probabiliter vult Hengstenberg, אִישׁ שְׁקָרוֹת, *homo mendaciorum*, cognomine ob proditionem dato). — CUM, *quamvis* ESSET UNUS EX DUODECIM. Unde sceleris nimia atrocitas!

APPENDIX

Paraphrasis exegetica Jo. VI, 26-70

Respondit eis Jesus : Vere dico vobis, quaeritis me, non quia vidistis miracula mea (et ideo me habetis magistrum divinitus missum); sed quia heri manducastis ex panibus multiplicatis, et

Digitized by Google

saturati estis (unde similia munera temporalia a me exspectatis). At potius operam vestram impendite ut consequamini, non cibum corporeum qui perit, sed cibum qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis olim dabit vobis (intendit Christus Eucharistiam post annum a se instituendam) : talem enim dandi potestatem a Patre Deo accepit. Dixerunt ergo ei : Quid nos facere oportet, ut operemur opera Deo grata, quibus hunc panem ab eo recipere mereamur? Respondit Jesus : Hoc est opus illud Deo gratum, ut credatis in eum quem misit ille. Dixerunt ergo ei : Quod ergo tu facis miraculum quo te agnoscamus Filium Dei et in te qua talem credamus? Quid tu operaris? (Heri quidem dedisti nobis panes : sed hoc parum est : majus quid fecit Moyses). Nam patres nostri manducavere in deserto mannam, quae erat panis de caelo, sicut scriptum est : ***Panem de caelo dedit eis manducare*** (Tuus autem panis terrenus erat). Dixit eis Jesus : Vere dico vobis : Non Moyses dedit vobis panem qui de caelo dici mereatur; sed Pater meus dat vobis panem de caelo verum. Iste enim panis est panis Dei, qui de caelo descendit et humano generi vitam confert. Dixerunt ei : Domine, semper da nobis panem hunc. Dixit eis Jesus : Ego ipse sum panis ille vivificans : ideo qui venit ad me credens, non esuriet unquam neque sitiet (nam ei meipsum panem vitae aeternae dabo). Sed jam dixi vobis, quia vidistis me (miraculis vobis ut Filium Dei manifestatum), et non creditis in me (unde pani vitae a me recipiendo obicem ponitis. Est autem haec fides donum Dei Patris). Omnis quem dat mihi Pater meus, ad me credens veniet, et eum qui venit ad me, non repellam (sed pane illo vitae pascam). Quia descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam (quam vos aliam a voluntate Patris putare possetis), sed voluntatem ejus qui misit me. Haec est autem voluntas ejus qui misit me Patris, ut neminem eorum quos dederit mihi credentes perire sinam, sed ut resuscitem illos in die ultimo, resurrectione carnis gloriosa. Sed et voluntas Patris mei est, ut omnis qui agnoscit Filium suum et credit in

Digitized by Google

eum, habeat vitam aeternam et ut resuscitem eum ad gloriam in die ultimo. Murmurabant autem Judaei, doctores et magistratus ibi adstantes, contra eum, quia dixerat : Ego sum panis vivus qui de caelo descendi. Et dicebant : Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus novimus patrem et matrem? (Est ergo in terra natus). Quomodo ergo dicit iste : Descendi de caelo? Respondit eis Jesus : Nolite inter vos murmurare, tacete. (Et resumens interruptum sermonem) : Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum per gratiam; et ita tractum ego resuscitabo ad vitam aeternam in die ultimo. Scriptum est in libris prophetarum : *Et erunt omnes docti a Deo.* Omnis igitur qui Patrem se docentem audierit et audita didicerit, venit ad me. — Nolo tamen dicere ullum unquam hominum Patrem meum immediate vidisse : nemo enim nisi is qui est a Deo (per aeternam generationem) vidit Patrem. — Vere dico vobis, qui credit in me habet vitam aeternam.

Ego enim in me credentibus sum panis vitae aeternae. Patres quidem vestri manducaverunt mannam (alimentum vitae corporalis), et tamen corpore mortui sunt. Hic est autem panis de caelo descendens in cibum animae, talis ut si quis ex ipso manducaverit non moriatur morte animae (sed nec morte corporis ad beatam vitam resuscitandi). Ego sum panis vivus (adeoque vivificans) qui de caelo descendi : si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum : panis autem ille quem ego dabo manducandum, caro mea est, quam ego ipse dabo (vobis et pro vobis in illa manducatione) immolatam pro aeterna vita generis humani. Disputabant ergo inter se Judaei, dicentes : Quomodo potest iste nobis carnem suam dare manducandam? (Num vivam? Num mortuam et concisam? Num alio modo portentoso?) Dixit ergo eis Jesus : Vere, vere dico vobis : nisi realiter manducaveritis carnem Filii hominis, sed et sanguinem ejus item realiter biberitis, non habebitis vitam aeternam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam

Digitized by Google

animae simul ac corporis), etenim ego ipse resuscitabo eum die ultimo. Caro enim mea vere, et non figurate tantum, est cibus, et sanguis meus item vere est potus. Unde qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo (tali unione mutua qualis est inter cibum et substantiam sumentis). Et sicut misit me Pater vivens, et ego ob meam cum ipso unionem vivo vita divina Patris, ita etiam qui manducat me, vivet, ob unionem quam mecum habet, vita divina quae mea est. Hic est panis qui de caelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri mannam, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem vivet in aeternum.

Haec dixit docens in synagoga in Capharnaum.

Multi autem ex discipulis ejus, postquam haec audierant, dixerunt : Captu difficilis est hic sermo: et quis potest eum sine offensione audire. Jesus autem, sciens apud semetipsum (neque eos audiens) murmurare eos de hoc, dixit eis : Hoc vobis est scandalo? Quanto magis idipsum vobis erit scandalo, quando videbitis me Filium hominis ascendentem eo ubi eram prius! (Quanto difficilius videbitur, posse in terris manducari carnem hominis in caelo degentis!) Spiritus, id quod in me divinum est, vivificat edentes me; caro, id quod mere humanum est, per se sola ad illam vitam nihil prodest. Quae autem dixi vobis, spiritum sonant divinum vivificantem qui in me est. Causa scandali quorumdam vestrum est eorum in meam divinitatem incredulitas. Sciebat enim Jesus ab initio (dum eos eligebat in discipulos) qui essent non credentes, item, quis se esset traditurus. Et dicebat : Ideo dixi vobis : Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.

Ex hoc tempore multi ex discipulis ejus, in suscepto scandalo perseverantes, ab ejus conversatione et a fide messianicae ejus missioni antea praestita sese subtraxerunt.

(Quos cum abeuntes videret) dixit Jesus ad duodecim apostolos suos : Numquid et vos vultis abire? Respondit Simon Petrus :

Digitized by Google

Domine quo, te derelicto, ibimus? Verba habes divinae doctrinae quae sola ad vitam aeternam ducere valeat. Nos fide tenemus et indubie novimus te esse Messiam, sanctum Dei.

SCHOLION DOGMATICUM

A) Demonstratio praesentiae realis Christi in Eucharistia sic commode ex sermone Jo. VI proponi potest.

Christus in hoc sermone dicit se daturum credentibus *panem caelestem*, qui alius non sit ac sua ***persona,*** Deus et homo, caro et sanguis ipsius, ita ut panis iste vitam aeternam sumentibus conferat. Quae cum explicari nequeant de participatione merae *figurae* Christi, patet ibi agi de aliquali unione cum Christi Dei-hominis *vera et propria* ***substantia,*** sive tandem haec unio sit *logica*, *virtualis* vel *realis*. Sed ex facto institutionis patet *a)* idem tunc dari in praesenti quod Jo. VI promissum fuerat in futurum; *b)* id quod in cena dabatur fuisse datum in ***realem*** manducationem. Ergo et in sermone Jo. VI *promissa fuerat* et in cena *data est* vera Christi Dei-hominis ***substantia realiter manducanda*** sub panis et vini speciebus (1). Quodsi ita in cena, ergo et postea in Ecclesia : dixit enim Christus : *Hoc facite in meam* (in meae mortis) *commemorationem* (1 Cor. 11, 26). Ergo in actu saltem communionis Christum in Eucharistia realiter esse praesentem, ex hoc sermone, collato cum facto institutionis, invicte demonstratur.

B) Ex v. 54 urgebant olim haeretici hussitae praeceptum omnibus fidelibus impositum communicandi sub utraque specie. At perperam. Nam jubet quidem Christus ut sumatur *caro* sua *et sanguis*, id est *tota sua humanitas* (cf. Matth. 16, 17; Gal. 1, 16); sed minime ut utrumque sumatur sub *duplici specie* carnem et sanguinem seorsim repraesentante. Secus Christus sibi contradi-

(1) Vide idem argumentum apud Bossuet, *Médit. sur l'Évang.*, *La Cène, 1re partie, 33e jour.*

Digitized by Google

ceret versu 52 : *Si quis manducaverit ex hoc* pane, *vivet;* et 58 : *qui* manducat me, *vivet.* — Cf. 1 Cor. 11, 27, ubi disjunctiva *vel* indicat utrumque sub alterutra specie adesse.

C) Ex eodem versiculo iidem Bohemi deducebant Eucharistae receptionem etiam ***parvulis*** esse jure divino necessariam. Est enim, aiebant, praeceptum universale (1).

R. 1) Negando universalitatem omnimodam praecepti : ponitur enim in secunda persona; ac proinde iis imponitur qui praeceptum possint audire et intellegere, et id cum debitis fidei etc. condicionibus adimplere. — 2) Infantibus sufficit baptismus, per quem acceperunt *vitam*, quam, donec adoleverint, necessario servant integram : nihil enim in eis vitam debilitare potest : unde tunc alimento spirituali ad vires debilitatas restaurandas destinato non indigent. Secus in adultis. — Hinc si etiam infantibus praeceptum esset applicandum, id aliunde, v. g. ex interpretatione traditionali, constare deberet. Sed ex ea constat de contrario Ergo...

D) Per S. communionem, ut dictum est in commentario, divinitas Christi ad modum cibi animae unitur eique vitam divinam participatam confert. Cum autem divinitas sit immutabilis, patet terminum hujus unionis quaerendum esse in anima hominis, cui accedat aliquid, vi cujus specialem ac novam ad Deum relationem nanciscatur. Id autem est gratia sanctificans (prima vel secunda), qua vivit anima; et jus quoddam ad gratias actuales, quibus vita conservetur.

E) Patres antiqui, Ignat., Iren., Tert., Cypr., Greg. Nyss., Cyrill. Alex., carnis resurrectionem corporibus deberi probant ob

(1) Pro hac sententia allegari possunt haec S. Augustini (*De pecc. mer.*, 1, 20, 27) : « An vero quisquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos haec sententia non pertineat, possintque sine participatione corporis hujus et sanguinis in se habere vitam... sed qui hoc dicit, non attendit quia, nisi omnes ista sententia tenet, ut sine corpore et sanguine Filii hominis vitam habere non possint, frustra etiam aetas major id curat. » Concedit tamen alibi, posse fieri ut parvuli absque sacra communione salventur (apud Schanz).

Digitized by Google

Eucharistiae sumptionem, per quam corpus Christi gloriosum, corporibus fidelium unitum, semen quoddam immortalitatis suae eis inferat. Cf. Act. 2, 24. Hoc tamen semen in quantum physica res est, videtur confundi cum gratia sanctificante, cujus resurrectio carnis gloriosa fructus est. Moraliter inspectum, est speciale motivum ortum ex unione carnis nostrae cum carne Christi incorruptibili. Vide Rom. 8, 11.

F) Versiculis 37. 44. 45. 66 continetur doctrina de ***gratiae*** fidem praevenientis *necessitate* et *efficacia*. Nemo venit ad Christum credens nisi a Patre trahatur per propositam intellectui doctrinam fidei et motam voluntatem ad eam credendam; et omnis quem ita a se tractum Pater dat Filio, venit ad eum. Neque ideo tollitur liberum arbitrium : nam is tantum *datur* qui trahenti *libere* obsequitur; et si quis non trahitur a Patre, id sibi culpae vertat quod gratiis ulterioribus libere obicem posuerit. Qui voluere, abierunt; qui voluere, remanserunt (v. 67-69). — Vide S. August. in Jo. 6, 44.

G) De ***divinitate*** Christi vide v. 32. 39. 40. 46. 55. 58. 62. 65. Filius Dei est, qui solus vidit Patrem, secretorum scrutator, dominus vitae ac mortis; fons vitae supernaturalis, cum ipse vivat vita Patris. Quae omnia divinitatis attributa esse patet.

Digitized by Google

CAPUT VII

—

Argumentum. Totum caput refertur ad gesta et dicta Jesu in festo Scenopegiae Jerosolymis. — Jesus remanet in Galilaea usque ad festum Scenopegiae, cujus occasione occulte petit Jerosolymam (1-13). — Festivitate mediante docet in templo, et Judaeis mirantibus quod doceat ea quae non didicerit apte respondet. — Purgat se capitali crimine violati sabbati. — Disputat cum Judaeis et turbis varia de ipsius persona opinantibus (14-36). Ultimo die festivitatis instantius ut in se credant hortatur : unde in turbis dissensio, a Judaeis mandatum Jesum apprehendendi (37-44). — Id praestare non ausi ministri reprehenduntur; sed et Nicodemus causam Jesu agens conviciis a Judaeis excipitur (45-53).

Iter Jerosolymam ad Scenopegiam

1. *Post haec autem ambulabat Iesus in Galilaeam, non enim volebat in Iudaeam ambulare : quia quaerebant eum Iudaei interficere.* **2.** *Erat autem in proximo dies festus Iudaeorum, Scenopegia.* **3.** *Dixerunt autem ad eum fratres eius : Transi hinc, et vade in Iudaeam, ut et discipuli tui videant opera tua, quae facis.* **4.** *Nemo quippe in occulto quid facit, et quaerit ipse in palam esse : si haec facis, manifesta teipsum mundo.* **5.** *Neque enim fratres eius credebant in eum.* **6.** *Dicit ergo eis Iesus : Tempus meum nondum advenit : tempus autem vestrum semper est paratum.* **7.** *Non potest mundus odisse vos : me autem odit : quia ego testimonium perhibeo de illo quod opera eius mala sunt.* **8.** *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum : quia meum tempus nondum impletum est.* **9.** *Haec cum*

Digitized by Google

dixisset, ipse mansit in Galilaea. 10. Ut autem ascenderunt fratres eius, tunc et ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto. 11. Iudaei ergo quaerebant eum in die festo, et dicebant : Ubi est ille? 12. Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant : Quia bonus est. Alii autem dicebant : Non, sed seducit turbas. 13. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudaeorum.

V. 1. POST HAEC, id est, post ea quae capite praecedenti narrata sunt, quae acciderunt in Galilaea paulo ante festum Paschatis (6, 4). Ab hoc autem Paschate incipit annus altimus vitae Christi. — AMBULABAT IESUS IN GALILAEAM, id est *in Galilaea*, ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ. Galilaeam non reliquerat, sed in ea versabatur assidue, (id enim sonat τὸ AMBULABAT, hebraice הלך) ibique festa Paschatis et Pentecostis egerat. — NON ENIM VOLEBAT IN IUDAEAM, ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ, AMBULARE, QUIA QUAEREBANT EUM IUDAEI (primores nationis) INTERFICERE. Cf. 5, 18. Atque haec ipsi erat sufficiens ratio ut festis Paschatis et Pentecostis illo anno a visitando templo licite abstineret.

V. 2. ERAT AUTEM IN PROXIMO DIES FESTUS IUDAEORUM, SCENOPEGIA. Graece σκηνοπηγία, ad litteram, *constructio tabernaculi*. Erat festum tabernaculorum, quod celebrabatur a die XV ad XXIII mensis Tischri, id est versus initium mensis nostri octobris. Festum tabernaculorum (חַג הַסֻּכּוֹת), quod primitus dicebatur חַג הָאָסִיף, *festum collectionis*, et agebatur in gratiarum actionem ob messem collectam (Ex. 23, 16), postea celebrabatur in memoriam itineris populi Dei in deserto, quo tempore in tentoriis degere coactus fuerat. Agebatur autem per dies septem, quibus octavus ceu celebratissimus adjiciebatur. Hoc octiduo debebant Israelitae habitare in tentoriis, quae in plateis, foris etc. prope domos suas exstruebant. Festum erat laetissimum; sacrificiis pluribus, quam quae aliis festis mactabantur, solemne habe-

Digitized by Google

batur; et in gratiarum actionem pro perfecta vindemia Hebraei illis diebus ramos palmarum, salicum aliarumque arborum manibus gestantes incedebant, ex quibus ramis etiam tabernacula conficiebant. Cf. 2 Esd. 8, 14-17; 2 Mac. 10, 7. Recentiori aevo, teste Talmude (*Succa*, 4, 9. 10) septem primis diebus sacerdos quotidie mane vase aureo aquam ex fonte Siloe haustam solemni ritu in templum ferebat et in cornu altaris vino mistam effundebat, levitis interim Hallel decantantibus et populo ingenti laetitia gestiente. Utrum etiam octavo die tales libationes fierent disputant eruditi. Qui affirmant, unius rabbini Judae (in *Succa*, 4, 9) auctoritatem pro sua sententia afferunt. Praeterea quotidie in atrio mulierum magnae lampades accendebantur; sacerdotes et levitae in atrii interioris quindecim gradibus psalmos graduum comitantibus instrumentis musicis cantabant; proceres in atrio mulierum choreas ducebant (vide Jahn, Archaeologia, § 356 et Lightfoot, Ministerium templi, c. 16.) Erat autem hoc festum unum ex tribus festis praecipuis, quibus omnes masculini sexus Israelitae templum jerosolymitanum adire tenebantur. Christus, quando poterat, praescriptum iter suscipere non omittebat. Unde

V. 3. DIXERUNT AUTEM AD EUM FRATRES EIUS.

DISSERTATIO

de fratribus Domini (1)

Quaeritur 1° ***quinam fuerint isti fratres Jesu.***

R. *1ª sententia.* *Fratres germani*, filii S. Josephi et B. Virginis naturali generatione ex eis orti. Ita saeculo IV Helvidius, contra quem S. Hieronymus scripsit librum *De perpetua virginitate B. Mariae;* ita rationalistae nonnulli, inter quos olim

(1) Videsis hanc ipsam dissertationem multo fusius a me tractatam in periodico *Études religieuses,* Janv. et Févr. 1878.

Digitized by Google

Renan (*Vie de Jésus*, 13[a] edit., p. 25 et 26). (1) — Est sententia haeretica, damnata in concilio lateranensi anni 649 can. 3° : « Si » quis non confitetur... Mariam... Deum Verbum... absque » semine concepisse ex Spiritu sancto et incorruptibiliter genuisse, » indissolubili permanente et post partum ejusdem virginitate, » anathema sit. »

Argumenta Helvidii. 1) Matth. 1, 18 : *antequam convenirent.* Ergo postea convenerunt. Si non debuissent aliquando convenire, cur Maria Josepho desponsata fuisset? — 2) Matth. 1, 25 : *non cognoscebat eam donec peperit.* Ergo postea carnaliter eam cognovit. — 3) Luc. 2, 7 : *peperit filium suum primogenitum.* Ergo et alios postea genuit. — 4) Multis locis Evangeliorum, Actorum et Epistolarum sermo est de *fratribus* Jesu.

Respondet S. Hieronymus ad 1) Helvidius antequam paenitentiam ageret morte praeventus est. Ergone paenituit eum post mortem? — Postulabat autem honor Jesu et Mariae ut a desponsata matre Jesus nasceretur. — ad 2) Varia opponit e S. Scriptura exempla : *Ego sum, ego sum, et donec senescatis ego sum* (Is. 46, 4); item. Deut. 34, 6 : *Non cognovit homo sepulchrum eius* (Moysis) *usque in praesentem diem;* et 1 Cor, 15, 25 : *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.* — ad 3) *Primogenitus* is dicitur qui aperit vulvam, sive alii filii gignantur postea sive non. Cf. Exod. 34, 19. 20. — ad 4) Apud Hebraeos, *fratres* dicuntur in Scriptura ratione naturae, gentis, cognationis, affectus. Vide Deut. 15, 12; Rom. 9, 3. 4; Gen. 12, 5; 13, 8; 14, 14. 16; 29, 10. 15; Ps. 132, 1; Jo. 20, 17 etc. Jam vero istos fuisse Christi fratres ratione naturae Scriptura non dicit : nusquam enim eos refert e Josepho et Maria genitos; sed

(1) At in libro suo recentiori *Les Évangiles, Appendice,* p. 542, mutavit sententiam, et fere omnia retractavit quae in *Vie de Jésus* de hac re scripserat. Quod et circa alia bene multa praestitit. Istine sunt qui velint suis somniis intemeratam fidem adhiberi?

Digitized by Google

nec ratione gentis vel affectus tales erant : tales enim Christus habuit multo plures. Restat ergo ut fratres ejus fuerint ratione cognationis.

Errorem Helvidii a S. Hieronymo invicte profligatum et dudum antiquatum nostra aetate restaurarunt rationalistae, inter quos Renan in libro suo *Vie de Jésus* (13ª edit. p. 25-26), ubi *fratres* Jesu, de quibus Jo. 7, 5, opinatur ejus fuisse germanos. Nam, ait, *fratres*, de quibus apud Joannem, *non credebant in Jesum* eique adversabantur (Jo. 7, 3-8; Marc. 3, 21 : *Et cum audissent sui, exierunt tenere eum : dicebant enim : Quoniam in furorem versus est*). Qui vero a Matthaeo et Marco nominantur, Jacobus, Joseph, Simon et Judas, Jesu adhaerebant, et tres eorum apostoli ejus erant. Hi cognati Jesu erant, non germani. Ergo apud Joannem designati fratres, alii erant ab his. Ergo fratres apud Joannem citati, erant Jesu germani. Ita Renan. Quod ratiocinium quomodo cohaereat, videat qui potest! Quasi vero repugnaret Jesum, praeter illos quattuor, alios habuisse cognatos! (1).

Praeter responsiones ad argumenta Helvidii, valet contra ejus haeresim et haec ratio, haud parum stringens et jam a Patribus allata, scilicet : Si B. Virgo Maria alios praeter Jesum filios habuisset, eis sane, non vero Joanni, Jesus moriens matrem suam commendasset (Jo. 19, 26. 27).

2ª sententia. ***Filii S. Josephi***, quos genuisset ex conjugio priori legitimo antequam Mariam sponsam acciperet. Ita olim sat multi Patres : Origen., Euseb., Hilar., Ambros., Epiphan. etc. (2) Pro ea sunt duo evangelia apocrypha : evangelium arabicum *De infantia Salvatoris*. (cap. 43) et evangelium *De nativitate Mariae et infantia Salvatoris* (prolog. et cap. 8).

(1) Eosdem quattuor dici apud Matth. 13, 55 Mariae matris Jesu filios, impudentissima audacia idem Renan mentitur, p. 25 in nota 1ª.

(2) Barhebraeus (Chronic., sect. 2, p. 22 edit. Abbeloos) etiam Jacobum Jerosolymitanum dicit filium Josephi.

Digitized by Google

Huic sententiae nuperrime accessit Renan (vide supra).

Contra est communis sententia catholicorum, quam jam tuetur S. Hieronymus contra Helvidium, nº 19, Josephum nempe virginem perpetuo mansisse.

3ª sententia. Quattuor *cognati* Jesu quos nominant Matthaeus et Marcus : Jacobus, Joseph (Joses), Judas et Simon, filii Cleophae fratris S. Josephi. — Ita Stiltingus in Actis Sanct. in capite tomi VI septembris; Henschenius ad 1 maii, in vita S. Jacobi; Tillemont; Patrizi, De Evangeliis, Lib. II, diss. IX, p. 44-45; Ad. Maier, ad Jo. 2, 12; Hengst., ad Jo. 2, 12; Van Hecke, ad 28 oct., in vita S. Simonis.

Ratio. Hi quattuor apparent ut *fratres* Jesu peculiari quodam titulo. Unde et hoc loco hi sunt cogitandi; secus Joannes aliquid adderet ad obviam confusionem praeveniendam. Quare habendi sint isti filii Cleophae, fratris S. Josephi, dicetur infra, ad quaestionem secundam.

Contra affertur, non concipi quomodo potuerit de his dici : *neque enim credebant in eum* (v. 5). Nam tres ex eis apostolos fuisse, scilicet Jacobum, Simonem et Judam; apostolos autem tunc credidisse in eum, ut liquet ex Jo. 6, 70. — Haec tamen quaestio, utrum isti tres *fratres* Jesu fuerint necne iidem ac tres apostoli homonymi, valide inter eruditos disputatur. Eam infra tractandam reservamus.

4ª sententia. *Cognati* Jesu *alii* a quattuor supradictis. Ita Tolet., Luc., Brug., Maldon., Beelen.

Rationes. 1) Tres ex quattuor illis apostoli erant, adeoque non increduli. — 2) Praeter eos Jesum habuisse alios *fratres* patet ex Act. 1, 14, ubi, enumeratis 11 apostolis, adjiciuntur *mater Iesu cum fratribus eius*. — 3) Jo. 7, 3, *fratres* Jesu se discernunt a *discipulis* ejus : *Transi hinc... ut et discipuli tui videant opera tua.*

Contra est modus loquendi Matthaei et Marci de iis quattuor.

Digitized by Google

Quaeritur 2° *utrum fratres Jesu, Jacobus, Simon et Judas, fuerint apostoli.*

R. *1ª sententia affirmat.* Tillemont, Tolet., Luc. Brug, Maldon., Beelen, Maier, Hengst. Nititur praecipue testimoniis Scripturae.

Rationes. *A)* e Scriptura.

1) Alter Jacobus, apostolus, vocatur Jacobus *Alphaei* (Matth. 10, 3). Ergo Alphaei erat filius (vel certe nepos, ut vult Patrizi), Nomen autem aramaicum Alphaei erat חַלְפַי *(Chalpai)*, quomodo et Syrus in versione Peschito : ܚܠܦܝ. Idem vero nomen legi poterat Κλωπαΐ, pro quo habet versio latina *Cleophas* (1). Jam, apud Jo. 19, 25, stabat juxta crucem Jesu *Maria Cleophae*, et apud Matth. 27, 56, Maria *Iacobi et Ioseph mater*; apud Marc. 15, 40, Maria *Iacobi minoris et Ioseph mater*. Sed et Mariam Magdalenam et Salome cruci adstitisse, evangelistae praeterea referunt. Ergo illa Maria Cleophae erat uxor (vel filia, ut vult Patrizi (2) Alphaei; adeoque ille qui ejus filius dicitur Jacobus, erat Jacobus Alphaei, apostolus, qui porro erat frater Josephi (vel Josetis). Fuisse autem Jacobum Alphaei, et fratrem ejus Josephum, cognatos Christi, ex eo rursus patet quod S. Joannes dicat Mariam Cleophae *sororem* matris Jesu. — 2) Accedit quod S. Judas (3) in epistola sua catholica (Jud. 1) se dicit *fratrem Iacobi*. Quis ille Jacobus, sine addito, alius cogitari potest quam Jacobus frater Domini, in primaeva ecclesia celeberrimus, episcopus jerosolymitanus? (Jacobus filius Zebedaei dudum subierat martyrium, secundum Act. 12, 2). — 3) Hunc autem Jacobum fratrem Domini S. Paulus accenset apostolis (Gal. 1, 19) : *Alium*

(1) *Cleophas* tamen aliud videtur nomen ac *Klopa* : abbreviatio scilicet pro Κλεόπατρος. Hoc nomen Κλεόπας venit apud Luc. 24, 18.

(2) Nam, ait, formula ἡ τοῦ Κλωπᾶ nequit intellegi nisi *filia Klopae*. At haec ratio non valet : nam Matth. 1, 6 ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου uxorem designat.

(3) Qui in concilii tridentini canone Scripturarum dicitur Judas apostolus et ut talis in Ecclesia habetur.

Digitized by Google

autem apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini. Quod confirmat egregie Act. 9, 27. 28 : *Barnabas autem apprehensum duxit ad apostolos. Et erat cum illis intrans et exiens in Ierusalem...* Duos ergo saltem tunc ibi vidit apostolos, Petrum videlicet et Jacobum : *alium* enim *apostolorum vidit neminem.* (1) — 4) Quare et in catalogis apostolorum (Luc. 6, 15; Act. 1, 13) simul tres conjunguntur : *Iacobus Alphaei, Simon Zelotes, Iudas Iacobi* (frater); et apud Matth. 10, 3. 4 et Marc. 3, 18 : *Iacobus Alphaei, Thaddaeus (Iudas), Simon Cananaeus.*

B) ex traditione.

1) In versione syriaca inscriptio legitur : *Epistola Iacobi, apostoli,* et subscriptio : *Finis epistolae Iacobi, apostoli.* — 2) Clem. Alex. (ap. Euseb., H. E., 2, 1) : « Post Servatoris ascensionem » Petrum, Jacobum et Joannem, quamvis ipsos Dominus ceteris » praetulisset, non idcirco de primo honoris gradu inter se contendisse, sed Jacobum, cognomine Justum, Jerosolymorum » episcopum elegisse... Jacobo Justo et Joanni et Petro Dominus » post resurrectionem scientiae donum impertiit. Quod illi ceteris » apostolis, hi vero septuaginta discipulis, quorum unus fuit » Barnabas, tradiderunt. Ceterum duo fuere Jacobi : alter cognomento Justus, qui ex templi fastigio praecipitatus et a fullone » fuste percussus interiit, alter qui capite truncatus est. Porro » Jacobi illius Justi meminit etiam Paulus, ita scribens : Alium » autem apostolorum vidi neminem, nisi *Iacobum, fratrem* » *Domini.* » — 3) Hegesippus (ap. Euseb., H. E., 2, 23) : Διαδέχεται δὲ τὴν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν ἀποστόλων, ὁ ἀδελφὸς τοῦ Κυρίου Ἰάκωβος, ὁ ὀνομασθεὶς ὑπὸ πάντων δίκαιος ἀπὸ τῶν τοῦ Κυρίου χρόνων μεχρὶ καὶ ἡμῶν· ἐπεὶ πολλοὶ Ἰάκωβοι ἐκαλοῦντο. Textum hunc sic vertendum contendunt : *Ecclesiae* (jerosolymitanae, de qua sola in contextu sermo fit) *administrationem accipit*

(1) Ergo frustra objicitur ad argumentum ex Gal. 1, 19, particulam *nisi* non raro esse pro *sed tantum,* ut Matth. 24, 36; Luc. 4, 27.

Digitized by Google

inter *apostolos, frater Domini Jacobus, qui ab omnibus vocatus est justus a Domini temporibus usque ad nos : siquidem plures Jacobi vocabantur*. Est enim praepositionis μετὰ primaria significatio *inter* (Beelen, Gramm. graecit. N. T., p. 406). Cf. Luc. 24, 5; Matth. 26, 58; Act. 20, 18; Euripid., Hec., 209 : μετὰ νεκρῶν κείσομαι. — S. Hieronymus (c. Helvid., 13) diserte profitetur Jacobum Alphaei, apostolum, eumdem esse ac fratrem Domini; nec, quidquid dicant adversarii, se unquam retractavit : immo, in ceteris locis, ubi istam rem attingit, semper remittit ad ea quae scripsit contra Helvidium (vide *Études relig.*, Feb. 1878, p. 160-162). — 5) V. Beda (Retract. in Act. 1, 13) et post eum Latini medii aevi passim. Hinc est quod pleraque vetusta martyrologia ad primam Maii ponunt *Philippum et Jacobum, fratrem Domini*. — 6) Chronicon paschale, p. 213. — 7) Multi Patres Jacobum, auctorem epistolae catholicae, vocant, *apostolum*. Quo nomine, nisi probetur contrarium, censendi sunt velle designare unum ex duodecim electis Domini. Ita August., Origen. (in Matth. 13, 55), ubi allegat Gal. 1, 19 de Jacobo, fratre Domini.

2a sententia negat. Stiltingus, Henschenius, Van Hecke (l. c.). Nititur praecipue testimonio traditionis.

Rationes. *A)* e Scriptura.

1) Jo. 6, 70 et 7, 5, quae sibi contradicunt si Jacobus, Simon et Judas « fratres » Domini et apostoli fuisse tenentur. — 2) Marc. 3, 21 : *Et cum audissent sui, exierunt tenere eum : dicebant enim : Quoniam in furorem versus est*. Cf. Marc. 3, 14-20. Ergo fratres Domini diserte discernuntur a duodecim apostolis.

B) ex traditione.

1) Multi Patres, vel discernunt Jacobum Jerosolymitanum ab apostolis, vel opinantur duos fuisse Judas, tres Jacobos. Pro illa opinione afferuntur Augustinus (Tract. 28 in Joann.); Chrysostomus (Hom. 48 (47) in Joann.); Epiphanius (Hær. 79, p. 1060); Eusebius (in Is. 7, 6); Gregorius Nyss. (Orat. 2 de Resurr., p. 413); Cyrillus Jeros. (Catech. 4, 28); Isidorus Pelus. (Epist. 1, 1, 93);

Digitized by Google

Theodoretus (in Ps. 67, p. 659); Hieronymus (in Gal. 1, 19); et prae ceteris omnibus Hegesippus (ap. Euseb., H. E., 2, 23) : *Ecclesiae administrationem* una cum *apostolis* (μετὰ τῶν ἀποστόλων) *suscepit Jacobus, frater Domini.* — 2) Martyrologium, S. Hieronymi dictum, distinguit Jacobum Alphaei a Jacobo fratre Domini. — 3) Secundum Hegesippum (ap. Euseb., H. E., 3, 11 et 32), S. Simeon, Jerosolymorum episcopus, erat filius Cleophae et propinquus Salvatoris. Erat ergo idem ac Simon, frater Jacobi, Judae et Josephi, qui in evangelio fratres Domini dicuntur. Ergo, si tres illorum fuissent apostoli, sanctus ille Simeon, episcopus jerosolymitanus, non alius fuisset ac S. Simon apostolus, de qua identitate tacet omnino traditio. Nullius enim momenti est testimonium pseudo-Hippolyti, in libro *De duodecim apostolis*, quod putidis scatet erroribus. Vide Acta SS., tomo XII oct., p. 422, 423.

Respondetur ad argumenta e Scriptura.

ad 1) *Non credebant in eum* intellegi potest de incredulitate *relativa* ad genuinam indolem regni messianici, quod a Jesu condendum esse utique crederent, juxta Jo. 6, 70. Ipsa ascensionis die de eo regno nondum habebant accuratam notitiam (Act. 1, 6). Cf. Jo. 2, 11; 20, 9; Marc. 9, 23. — ad 2) Alii possent ibi supponi cognati Christi, uti dictum fuit ad quaestionem 1^am^, sentent. 4^a^.

ad argumenta ex traditione.

ad 1) Patres isti eo deducti fuere ex opinione in qua erant, fratres Jesu fuisse filios S. Josephi. Ex iis tamen omitti debent Hegesippus et Hieronymus, ut ostensum supra; item Cyrillus Jerosol., uti facile ex loci objecti contextu concluditur; Isidorus Pelusiota, cujus intererat in solo cognomine δίκαιος insistere. De Augustino nihil affirmari potest. De quibus omnibus vide *Études relig.*, l. c. — ad 2) Hoc martyrologium non est opus S. Hieronymi, sed recentioris aetatis fetus. — ad 3) Sed neque eam identitatem traditio diserte negat; quamquam fatendum est, Hegesippum et Eusebium, qui minuta de electione et morte

Digitized by Google

S. Simeonis narrant, si novissent eum fuisse apostolum, idipsum vix tacere potuisse.

Conclusio dissertationis.

Nobis vix dubium videtur Jacobum et Judam, *fratres* Jesu, fuisse e numero duodecim apostolorum; probabilius vero eosdem non esse computandos inter illos de quibus Jo. 7, 3 sq., hos porro ultimos fuisse alios Jesu cognatos, eorumque forte Jose (vel Joseph) unum fuisse. — De identitate Simeonis Jerosolymitani cum homonymo apostolo nihil audemus opinari.

EXPOSITIO TEXTUS

V. 3. Hortantur Jesum ut occasione festi eat in Judaeam, UT ET DISCIPULI TUI, aiunt, quos in Judaea reliquisti (Jo. 2, 23), VIDEANT OPERA TUA portentosa QUAE FACIS hic in Galilaea (ubi per annum fere cum dimidio degerat Christus, et multa fecerat miracula, de quibus agunt Synoptici).

V. 4. NEMO QUIPPE IN OCCULTO QUID FACIT, ET simul QUAERIT IPSE IN PALAM ESSE. Id est, qui praeclare a se facta vult innotescere, ea non facit in occulto; tu autem per miracula quae facis, quaeris ut Messias innotescere, et nihilominus ea facis in Galilaea, loco occulto. Ergo tibi contradicis. SI igitur HAEC FACIS, MANIFESTA TEIPSUM MUNDO, ut sic tamquam Messias toti genti innotescas et honorem accipias. Principium est vanae industriae humanae.

V. 5. NON CREDEBANT, juxta alios, Jesum esse Messiam : unde cuperent eum in civitate principe coram primoribus portenta edere, ut viderent an tale experimentum ejus opera valerent sustinere. Confirmatur haec expositio ex Marc. 3, 21, ubi fratres Jesu volunt eum apprehendere, dicentes, *quoniam in furorem versus est*, quod sane, aiunt, de Messia non dixissent.

Juxta alios, rectius ut videtur, NON CREDEBANT fide perfecta : Messiam eum credebant ob miracula quae jam viderant, at regnum ejus cogitabant temporale, humana industria promo-

Digitized by Google

vendum. Ita exponendum censemus, ut sua sit ratio particulae ENIM. — Difficultas quidem est apud Marc. 3, 21; at utcumque solvenda, ne et ipsa Jesu mater incredula fuisse impio blasphemio dicatur. Haec igitur verba, *in furorem versus est,* vel non serio dicta fuere, vel certe non ab omnibus cognatis tunc ad Jesum venientibus, de quibus Marc. 3, 31, inter quos erat B. Virgo.

Nec dicas, non potuisse fratres Jesu ei consilium dare vel ejus agendi rationem improbare si eum Filium Dei credidissent.

Nam respondeo : Vide Matth. 16, 22; Jo. 13, 8, in quibus locis narratur ipse Petrus improbare Jesum.

V. 6. TEMPUS MEUM NONDUM ADVENIT, TEMPUS AUTEM VESTRUM SEMPER EST PARATUM.

Quaeritur quo sensu Christus dicat : TEMPUS MEUM.

R. ***1ª sententia.*** *Tempus passionis meae,* quo me Judaeis manifestem et me furori eorum objiciam. Ita S. Chrysost., Patrizi.

Rationes. 1) Usus loquendi Christi de *hora sua* et *tempore suo*, ut de tempore passionis. — 2) Contexta oratio in praecedentibus.

2ª sententia. *Tempus quo ego possim tendere in Judaeam* nondum advenit. Subaudi in mente Christi : Si enim nunc irem cum popularium meorum turmis, nimio me exponerem periculo. TEMPUS AUTEM VESTRUM SEMPER EST PARATUM : quando et quomodo vultis, eo ire potestis.

Rationes. 1) Contexta oratio vers. 8. 9. 10. — 2) Parallelismus dictionis in versu 6 et in 8. In utroque se fratribus suis opponit. Ergo et idem utrobique censendus est conceptus.

3ª sententia. *Tempus manifestandi meipsum mundo* nondum advenit, tempus autem quo vos palam coram mundo prodeatis semper est paratum. Ita Christi enuntiatio est generalior, et melior nexus in contextu. Ita Beelen, cui et nos assentimur.

V. 7. NON POTEST MUNDUS ODISSE VOS. En ratio cur tempus vestrum semper sit paratum : nihil habetis timendum a mundo : vos enim odisse non potest, morali potentia; mundus enim quod

Digitized by Google

suum est diligit (Jo. 15. 19), vos autem, utpote in me non credentes, aliquousque de mundo estis, vel saltem ei minime adversamini. — Agitur hic de mundo perverso, de quo Jo. 1, 10; et 1 Jo. 5, 19.

Qui exponunt v. 5 de incredulitate omnimoda in Christum, admittunt v. 7° designari veram cum mundo necessitudinem fratrum Jesu, quos proinde e numero duodecim apostolorum excludunt; qui vero de incredulitate relativa tantum, hic potius admittunt fratres Jesu tunc nihil mundo contrarium egisse : eorum enim nimis imperfecta fides in Messiam eos nondum provocaverat ad agendum pro Christo contra mundum. S. Chrysostomus longius procedit : vult enim eos ideo mundo consensisse, quia et ipsi necem Jesu machinarentur. At talem eorum fuisse intentionem non demonstratur. — ME AUTEM ODIT, QUIA... Cf. Jo. 3, 20; 5, 40-47; Matth. 23, 13 sq.

V. 8. Conclusio practica est : VOS ASCENDITE... EGO AUTEM NON ASCENDO... Ad quae nota

1) Iter a Galilaea *ascensio* passim dicitur ob civitatis altiorem situm. — 2) Ex hoc textu Porphyrius et alii Jesum mendacii vel certe inconstantis voluntatis arguebant : dicit enim, *non ascendo* et tamen *ascendit* (v. 10). — At *a)* Christus non dicit : *non ascendam*, sed *non ascendo*, id est *nunc* vobiscum, οὐκ ἀναβαίνω, quae enuntiatio vera est. sed ambigua, et merito : volebat enim Jesus futurum iter, quod habebat in animo, fratres suos latere. — *b)* Objectionem ipse praeoccupat : *quia tempus meum nondum impletum est.* Ergo quando impletum erit, poterit ascendere nec sibi contradicet. — Lectio οὐκ ἀναβαίνω in dubium vocatur.

Quaeritur igitur de ***vera lectione :*** utrum οὐκ an οὔπω.

R. ***A) Pro lectione*** οὐκ. 1) Codices : ℵ (sinaiticus), D (cantabrig.), K, M, et minusculi pauci. — 2) Versiones : Vulgata lat., syriaca curetoniana, coptica. — 3) Porphyrius, ethnicus sec. IV, apud

Digitized by Google

Hieron. (adv. Pel. 2, 17), Epiphan., Cyr. Alex., August., Hieron., Chrysost. (qui legit οὐκ ἀναβαίνω, sed exponit οὐκ ἀναβαίνω νῦν).

*B) **Pro lectione*** οὔπω. 1) Codices : B. (vaticanus), E, F, G, H, L, S, T, U, V, X, Γ, Δ, Λ, et alii plerique. — 2) Versiones : Vulgata in aliquot codicibus, gothica, sahidica, syriaca peschito. — Patres qui ita legant non inveni.

Conclusio. Licet codices lectioni οὔπω faveant, et versiones fere litem in medio relinquant, tamen, ob Patrum de ea lectione silentium, censenda est introducta, uti facilius difficultatem ab ethnicis motam solvens. Unde ut veram habemus lectionem οὐκ ἀναβαίνω, alteram ut interpolatam.

TEMPUS illud SUUM est tempus a Patre caelesti praefinitum. Cur postea tempus eundi opportunius fuerit, infra quaeremus.

V. 9. HAEC CUM DIXISSET, IPSE MANSIT IN GALILAEA, ubi erat a mensibus circiter 18, ut videtur. Mansit ibi aliquamdiu post.

V. 10. UT (id est *postquam*) ERGO ASCENDERUNT FRATRES EIUS, TUNC, non dicitur quamdiu post discessum fratrum, ET IPSE ASCENDIT AD DIEM FESTUM. Graece εἰς τὴν ἑορτήν, ad festivitatem quae septem dies durabat. — NON MANIFESTE, puta cum turma discipulorum et cognatorum suorum *(avec les caravanes)*, docendo per viam; SED QUASI IN OCCULTO, solus vel paucis comitantibus apostolis et mulieribus; neque ivit recta per Samariam. sed per Peraeam. Cf. Matth. 19, 1. 2; Marc. 9, 29; 10, 1; Luc. 9, 51-53, ubi videntur illud iter describere.

At quare Jesus exspectavit, et nihilominus Judaeam petit occulte, ibidem se brevi manifestaturus? Respondet Toletus : *a)* Ut aliquantulum crederet furori Judaeorum, qui maximus erat quando exspectabatur venturus. — *b)* Ut sui apud discipulos excitaret desiderium. — *c)* Ut postea divinam suam ostenderet potentiam, cum Judaeis sibi insidiantibus apparuit, et ipsi nihil ei nocere valuerunt. — Adderem *d)* exspectavit donec turba multa adesset Jerosolymis, a qua contra Judaeos protegeretur; et ivit

Digitized by Google

occulte, ut lateat Judaeos donec, circumstante turba, sibi addicta, Galilaeorum, in templo tutius manifestaretur. Tunc tamen sua eum servavit divinitas.

V. 11. IUDAEI ERGO, primores nationis, pontifices, scribae, pharisaei etc. QUAEREBANT EUM IN DIE FESTO (ἐν τῇ ἑορτῇ), ad quem eum venisse putabant, ET DICEBANT : UBI EST ILLE? ποῦ ἐστιν ἐκεῖνος; Ex contemptu eum non nominant. Ea intentione eum quaerebant, ut apprehensum statim morti traderent.

V. 12. TURBA, vulgus populi, distinguitur a Judaeis. In hac variae erant de Christo sententiae. Jam turbae huic innotuerat consilium perversum Judaeorum.

V. 13. NEMO TAMEN PALAM, παῤῥησίᾳ, libere, confidenter DE ILLO, in ejus favorem, LOQUEBATUR, PROPTER METUM IUDAEORUM principum.

Christus docens festivitate mediante

14. ***Iam autem die festo mediante, ascendit in templum, et docebat.*** **15.** ***Et mirabantur Iudaei, dicentes : Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?*** **16.** ***Respondit eis Iesus, et dixit : Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.*** **17.** ***Si quis voluerit voluntatem eius facere : cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar.*** **18.** ***Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit : qui autem quaerit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est, et injustitia in illo non est.*** **19.** ***Nonne Moyses dedit vobis legem : et nemo ex vobis facit legem?*** **20.** ***Quid me quaeritis interficere? Respondit turba, et dixit : Daemonium habes : quis te quaerit interficere?*** **21.** ***Respondit Iesus, et dixit eis : Unum opus feci, et omnes miramini.*** **22.** ***Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem : (non quia ex Moyse est, sed ex patribus) et in sabbato circumciditis hominem.*** **23.** ***Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi : mihi indignamini quia***

Digitized by Google

totum hominem sanum feci in sabbato? 24. *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.* 25. *Dicebant ego quidam ex Ierosolymis : Nonne hic est, quem quaerunt interficere?* 26. *Et ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt. Numquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus?* 27. *Sed hunc scimus unde sit : Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit.* 28. *Clamabat ergo Iesus in templo docens, et dicens : Et me scitis, et unde sim scitis : et a meipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis.* 29. *Ego scio eum : quia ab ipso sum, et ipse me misit.* 30. *Quaerebant ergo eum apprehendere : et nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius.* 31. *De turba autem multi crediderunt in eum, et dicebant : Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quae hic facit?* 32. *Audierunt Pharisaei turbam murmurantem de illo haec : et miserunt principes et Pharisaei ministros, ut apprehenderent eum.* 33. *Dixit ergo eis Iesus : Adhuc modicum tempus vobiscum sum : et vado ad eum, qui me misit.* 34. *Quaeretis me, et non invenietis : et ubi ego sum, vos non potestis venire.* 35. *Dixerunt ergo Iudaei ad semetipsos : Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? numquid in dispersionem Gentium iturus est, et docturus Gentes?* 36. *Quis est hic sermo, quem dixit : Quaeretis me, et non invenietis : et ubi sum ego, vos non potestis venire.*

V. 14. Nunc publice apparet Jesus DIE FESTO MEDIANTE, τῆς ἑορτῆς μεσούσης, die quarta festivitatis. An tunc tantum advenerit, an primum diebus tribus Jerosolymis latuerit, non liquet. Tunc autem ASCENDIT IN TEMPLUM, ET DOCEBAT, sacras Scripturas exponens, ut constat ex sequente versiculo.

V. 15. ET MIRABANTUR IUDAEI, legisperiti, audientes Jesum recte arcana Scripturarum exponentem, DICENTES : QUOMODO HIC LITTERAS, γράμματα, Scripturas sacras et alia quae in scholis rabbinorum tradebantur, SCIT, CUM (quamvis) NON DIDICERIT in

Digitized by Google

ulla schola doctorum nostrorum. Scientiam fatentur, modum quo fuerit acquisita ignorant. Interim tamen ironice haec dixisse putandi sunt, Jesum reprehendentes quod juxta sua placita exponeret doctrinam a nullo doctore acceptam. Nam

V. 16. RESPONDIT IESUS, ET DIXIT: MEA DOCTRINA NON EST MEA, in hac voce emphasim faciens, non est *a me* excogitata, SED EIUS, QUI MISIT ME, a quo ego eam didici. — Optime noverant Judaei Jesum se dicere missum a Deo adeoque eum sibi divinam doctrinam adscribere. — Haec intellegi possunt de Christo etiam qua Filius Dei est, 2ª SS. Trinitatis Persona : nam qua talis divinam scientiam in ipsa divinitate a Patre communicatam habet.

V. 17. SI QUIS VOLUERIT VOLUNTATEM EIUS FACERE, talis homo obices non ponet gratiae, et ideo per lumen fidei COGNOSCET DE DOCTRINA, περὶ τῆς διδαχῆς, illa mea, UTRUM EX DEO SIT, AN EGO A MEIPSO LOQUAR doctrinam humanam a me homine excogitatam. — Veritas momentosa satis et simul tacita reprehensio Judaeorum. Haec enim causa erat cur doctrinam Christi non ut divinam haberent. Voluntas vero bene in Deum disposita mentem ad vocem divinam agnoscendam filiali quodam instinctu ducet.

V. 18. Interim alterum idque certum eis tradit doctrinae suae discernendae indicium, quod in seipso patere tacite sed perspicue innuit. Cf. Jer. 23, 25 sq.; Ez. 13, 2 sq.; Jo. 8, 50 : *Ego autem non quaero gloriam meam.*

V. 19-24. NONNE MOYSES DEDIT VOBIS LEGEM...

Tota haec pericopa difficilis est et varie exponitur.

Quaeritur 1° de *nexu* versiculi 19 cum praecedentibus et sequentibus.

R. ***Alii*** eum nectunt versiculo 17 (Beelen, Maier, Tholuck etc.). *Divinitatem meae doctrinae dignoscere vos non potestis, quia legem Dei non servatis.* Sed hic nexus nonnihil violentus est, nec facile recipiendus, nisi omnino aptior nullus inveniatur.

Alii eum nectunt versiculo 20. Judaei accusabant Jesum vio-

Digitized by Google

latae legis; at ipsi legem se violare probabant, hominis innocentis necem moliendo. Ita Chrysost., Cyrill. Alex., Theophylact., Euthym., Tolet. etc.

Alii (Maldon., Lucas Brug., Klee) tenent hoc versiculo Christum incipere justificationem suam de crimine violati sabbati, ob quod volebant eum occidere. Defendit autem se argumento *ad hominem*. Huic sententiae assentimur, quia est multo facilior et contextui aptior.

Quaeritur 2° de ***expositione*** totius loci.

R. Ita nos cum Maldon., Luca Brug. et Klee : *Nonne Moyses est qui dedit vobis legem decalogi? et tamen nemo ex vobis eam legem observat.* Intendit hic Christus legem sabbati, ob cujus violationem Judaei ipsum interficere volebant, et utitur ad se defendendum retorsione ad hominem; *nemo ex vobis facit legem, quia in sabbato circumciditis pueros*, ut infra dicet v. 22°, nunc autem reticet. *Quid igitur*, quo jure, *quaeritis me interficere tamquam hujus legis* (sabbatinae) *violatorem*, quam nemo vestrum, vestro saltem sensu interpretatam, observat? — RESPONDIT TURBA, aliqui de turba qui insidias Judaeorum ignorabant, Galilaei forte, ET DIXIT : DAEMONIUM HABES, maligno, insano agitaris spiritu : QUIS TE QUAERIT INTERFICERE? — Cui insolenti turbae nihil respondit Dominus; sed interruptum sermonem resumpsit (ἀπεκρίθη), ET DIXIT EIS, Judaeis nempe : UNUM (unicum) OPUS FECI die sabbato (intendit sanationem infirmi 38 annorum, de quo Jo. 5, 5-16), ET ideo OMNES MIRAMINI stupore indignationis, violatam legem inclamantes. — Vide Jo. 5, 10. 16. 17. — Jam versu 22 Christus praeoccupat objectionem ad ratiocinium suum, nempe etiam circumcisionem a Moyse praecipi. PROPTEREA, ait, seu ideo MOYSES DEDIT VOBIS CIRCUMCISIONEM, NON QUIA EX MOYSE EST, non ut pertinentem ad legem a se latam, SED quia EX PATRIBUS, a patriarchis acceptam et traditam eam habebat; ET nihilominus IN SABBATO CIRCUMCIDITIS HOMINEM, paternas quidem traditiones servantes, legem tamen

Digitized by Google

Moysi de sabbato violantes. — Et versu 23 concludit rursus ad hominem : At dicetis mihi : Tali circumcisione non solvitur lex Moysi. Unde iterum retorqueo : SI CIRCUMCISIONEM ACCIPIT HOMO IN SABBATO, UT (ita ut tamen) NON SOLVATUR LEX MOYSI, quo jure MIHI INDIGNAMINI QUIA TOTUM HOMINEM et non unum dumtaxat hominis membrum SANUM FECI IN SABBATO? NOLITE igitur IUDICARE SECUNDUM FACIEM, per personarum acceptionem, eamdem causam varie in variis personis judicantes, SED IUSTUM IUDICIUM IUDICATE, secundum opera uniuscujusque. Ita non poteritis me condemnare quin vosmetipsos eodem crimine condemnetis, vel vos ipsos absolvere quin eodem jure me absolvatis. (A versu 21 eodem modo ac nos exponunt Tolet. et a Lap.)

Alii (Maier, Beelen, Schanz etc.) longe aliter. *Legem quam dedit vobis Moyses non servatis :* me enim innocentum vultis occidere contra praescripta legis (vel : ideo divinitatem doctrinae meae discernere non valetis. Beelen). — Post interruptionem turbae : — UNUM hoc OPUS mihi objectum FECI, ET OMNES indignabundi MIRAMINI PROPTEREA, διὰ τοῦτο, *propter hoc opus.* In lege autem sua MOYSES DEDIT VOBIS CIRCUMCISIONEM (quae tamen non a Moyse invecta est sed a patriarchis accepta adeoque praeceptis mosaicis praestantior), ET secundum illam legem IN SABBATO, si hic sit dies octavus, CIRCUMCIDITIS HOMINEM, sabbatinam ita quietem omittentes. Si autem circumcidere potestis pueros IN SABBATO, NE SOLVATUR LEX MOYSI de circumcisione die octavo : MIHI immerito INDIGNAMINI QUIA TOTUM HOMINEM SANUM FECI IN SABBATO, et sic ob rationem multo altiorem quietem sabbatinam non servavi!

Contra est *a)* Unitatem in hac pericopa non bene servat avulsio v. 19 a sequentibus. — *b)* Expositio v. 19 nonnihil contorta est. — *c)* Parenthesis quae supponitur in v. 22, et habetur in Vulgata, ad scopum Christi non facit, unde non est probabilis. — *d)* Expositio v. 23 videtur falsa : ratiocinium enim ad hominem,

Digitized by Google

quod Jesus adhibet, supponit circumcisionem fieri sabbato *contra* litteram legis Moysis, nullo vero modo eo fine ut haec lex non violetur. — Non admittimus igitur hanc expositionem, quamvis hodiedum satis communem.

Quaeritur 3° utrum ***propterea,*** διὰ τοῦτο, jungendum sit versiculo 21 an versiculo 22.

R. *1ª sententia,* quam propugnat Beelen quamque tenent Maldon., Theophyl. Maier, Klee, Schanz etc. Jungendum ***praecedentibus:*** καὶ πάντες θαυμάζετε διὰ τοῦτο.

Rationes. 1) Marc. 6, 6 et Apoc. 17, 7, ubi θαυμάζω construitur cum διὰ et accusativo. — 2) Secus versus 22 congruo sensu caret: nam tunc tollenda parenthesis et legendum: *Ratio cur Moyses dederit vobis circumcisionem est, non quia a Moyse venit sed quia ex patribus,* quod, aiunt, difficile intellegitur, et sequentibus non aptatur, siquidem (v. 23) *circumciditis in sabbato* UT NON SOLVATUR LEX MOYSI. — 3) Vel, si relinquatur parenthesis, sensus erit: *quia miramini, ideo dedit vobis Moyses circumcisionem,* quod absonum est. — 4) Est autem, aiunt, haec parentheseos ratio, ut indicetur quo sensu circumcisio possit dici lex Moysi, uti vocatur v. 23°. — 5) Secus v. 23° ἵνα exponendum est ἐκβατικῶς, quod dicunt ab usu loquendi novi testamenti adhorrere.

2ª sententia (Cyrill. Alex., Euthym., Tolet., Luc. Brug., a Lap., Fillion). διὰ τοῦτο jungendum ***sequentibus.***

Rationes. 1) Usus loquendi S. Joannis. Vide Jo. 5, 16. 18; 8, 47; 10, 17; 12, 18. 39, ubi διὰ τοῦτο sententiam incipit et nectitur cum ὅτι sequente, sensu: *ideo... quia.* Aliis in locis (1, 31; 6, 65; 9, 23; 13, 11; 15, 19; 16, 15; 19, 11) διὰ τοῦτο enuntiationis membrum incohat, nec sequitur ὅτι; nusquam verso sententiam claudit. — 2) Secus procul dubio posuisset: καὶ.... διὰ τοῦτο θαυμάζετε. — 3) Sensus omnino planus fit secundum datam supra expositionem, rejecta parenthesi: *Moyses quidem dedit vobis circumcisionem, at non quia lex est a se lata, sed quia ex patribus accepta:* unde

Digitized by Google

circumcisio non sit proprie lex Moysi; *et tamen circumciditis in sabbato*. — 4) ἵνα saepius quidem sumitur τελικῶς, at etiam quandoque ἐκβατικῶς, sive in veteri sivo in novo testamento. Ita Gen. 22, 14 : ἵνα εἴπωσι σήμερον. Jo. 10, 17 : ἐγὼ τίθημι τὴν ψυχήν μου ἵνα πάλιν λάβω αὐτήν. Apoc. 13, 13 : καὶ ποιεῖ σημεῖα μεγάλα, ἵνα καὶ πῦρ ποιῇ καταβαίνειν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Unde et hic ita sumere non prohibemur.

Haec est nostra sententia.

V. 25. QUIDAM EX IEROSOLYMIS, τινὲς ἐκ τῶν Ἱεροσολυμιτῶν, de turba, sed alii ab iis de quibus v. 20°. Isti Jerosolymitae noverant synedristarum prava in Jesum consilia. Inde admiratio eorum.

V. 26. PALAM (παῤῥησία, libere, audacter) LOQUITUR, Judaeos accusat, ET NIHIL EI DICUNT! Cujus rei quaerunt causam probabilem : NUMQUID VERE, facto examine, COGNOVERUNT PRINCIPES illi QUIA HIC EST CHRISTUS?

V. 27. At explicationem hanc statim objectione refutant : SED, aiunt, ita esse nequit, nam HUNC Jesum SCIMUS UNDE SIT, a Nazareth nempe (ut ipsi putant), filius Joseph et Mariae; CHRISTUS, Messias AUTEM CUM VENERIT, NEMO SCIT (sciet, scire poterit) UNDE SIT oriundus. Erronea haec eorum de Messia opinio orta procul dubio erat ex male intellectis vaticiniis de divina natura Christi, v. g. Mich. 5, 2 : *Et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis;* Mal. 3, 2 : *Et quis poterit cogitare diem adventus eius*.

V. 28. CLAMABAT ERGO IESUS, vocem extollens ut ab hac parte turbae audiretur, DOCENS (dogma enim proponit), ET DICENS : ET ME hominem SCITIS, cognoscitis, ET UNDE SIM SCITIS. — Concessio est. — ET nihilominus A MEIPSO NON VENI, non propria auctoritate; SED EST VERUS QUI MISIT ME, Deus nempe, qui mittendo me Messiam se ostendit veracem, seu fidelem promissis suis quae per prophetas enuntiavit. Cf. Deut. 18, 18 etc. — QUEM VOS NESCITIS tamquam Patrem meum me mittentem. Ergo falsa vestra conclusio, me non esse Messiam.

Digitized by Google

V. 29. EGO SCIO EUM : QUIA AB IPSO SUM... Revelat suam divinam a Patre originem et, propter hanc, Patris sui quam habet plenissimam cognitionem.

V. 30. QUAEREBANT ERGO, ob haec verba, Jerosolymitani isti EUM APPREHENDERE. Cf. Jo. 5, 18. Hanc intentionem manifestabant; sed tamen NEMO MISIT IN ILLUM MANUS, QUIA NONDUM VENERAT HORA EIUS, hora passionis, qua se sponte inimicis suis captivum traderet. Cf. Jo. 7, 44; 8, 20; 10, 39; 18, 4 sq. — Haec Christi occulta potentia divinitatis ejus indicium erat, quod Joannes pro more suo sedulo notat.

V. 31. Effectus in turbam. DE TURBA AUTEM MULTI CREDIDERUNT IN EUM, ut in Messiam, ET DICEBANT : CHRISTUS CUM VENERIT... : quem venisse non dubitant, sed suum credibilitatis motivum proponunt sub forma interrogationis negativum responsum exspectantis. Credunt igitur, quia ille qui se Messiam dicit, talem se esse miraculis confirmavit plurimis, secundum Is. 35, 5. 6; 53, 4. — Homines scilicet simplices et bona fide veritatem quaerentes, ad eam legitimo ratiocinio perveniunt.

V. 32. Non ita pharisaei superbi et hypocritae. Sed AUDIERUNT... HÆC et, nedum crederent, MISERUNT MINISTROS, ὑπηρέτας, satellites. — Synedrium conveniebat quotidie in aliqua parte templi, adeoque prope locum ubi Jesus erat. Constabat autem ex principibus sacerdotum, aliquot scribis, seu legisperitis, et aliquot populi senioribus. Proprios habebat satellites qui ordini publico in templo consulerent.

V. 33. DIXIT ERGO EIS IESUS, satellitibus istis, audientibus ceteris circumstantibus. Quae autem dixit Christus, nobis nunc sunt perspicua, at tunc cum enuntiarentur aenigmatica erant; satis tamen clara ad scopum a Christo intentum. Christus enim innuit, nihil eos in se potestatis habere. — ADHUC MODICUM TEMPUS VOBISCUM SUM (sex fere menses intellegit), et postea VADO (vadam) AD EUM QUI MISIT ME : mortem praenuntiat et ascensionem. Post id autem tempus

Digitized by Google

V. 34. QUAERETIS ME adjutorem in extrema obsidionis tribulatione, ET NON INVENIETIS : immo UBI EGO SUM semper et ubi tunc ero, in caelesti gloria, eo VOS NON POTESTIS VENIRE, neque quamdiu vitam temporalem agetis, neque etiam post mortem in altera vita, si in incredulitate perseverabitis. — Haec omnia esse intellegenda sensu physico, non vero morali, patet ex loco parallelo Jo. 13, 33, ubi idem dicit apostolis suis, addens : *et sicut dixi Iudaeis*. Ita et S. Chrysost. (in h. l.) : « Si autem in morte man » surus erat, ire sane potuissent : eo namque omnes migramus... » Et ubinam eum quaesierunt Judaei? Narrat Lucas, mulieres eum » planxisse; et, ut verisimile est, multi alii luxerunt eum, ac in » urbis excidio ejus praesentiam optarunt, recordati nempe Christi » et miraculorum ejus. »

V. 35. DISPERSIO GENTIUM, juxta multos, designat Israelitas in variis orbis partibus inter gentiles dispersos. Ita Beelen, secundum 1 Pet. 1, 1 et Jac. 1, 1. — At cum hic habeatur διασπορὰ τῶν Ἑλλήνων, non vero τῶν Ἑλληνιστῶν, opinantur alii, cum Hengstenberg, Joannem ipsos gentiles hic designare. Rem optime componit Schanz hoc modo : Numquid ad Israelitas inter gentiles dispersos iturus est et gentiles ipsos docturus?

V. 36. Patet sensus.

Christus docens die festivo ultimo

37. ***In novissimo autem die magno festivitatis stabat Iesus, et clamabat, dicens : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.*** **38.** ***Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae.*** **39.** ***Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum : nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.*** **40.** ***Ex illa ergo turba cum audissent hos sermones eius, dicebant : Hic est vere propheta.*** **41.** ***Alii dicebant : Hic est Christus. Quidam autem dicebant : Numquid a***

15

Digitized by Google

Galilaea venit Christus? 42. Nonne Scriptura dicit : Quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus? 43. Dissensio itaque facta est in turba propter eum. 44. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum : sed nemo misit super eum manus.

V. 37. IN NOVISSIMO AUTEM DIE MAGNO FESTIVITATIS. Clarius in graeco : ἐν δὲ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς. Erat hic dies octavus, additus septem diebus quibus proprie id festum absolvebatur. Octavo illo, sicut et primo die, ab opere cessandum erat. Cf. Lev. 23, 36. 39. Erat igitur hic dies octavus ἡ μεγάλη τῆς ἑορτῆς. — CLAMABAT IESUS, vocem elevans et emphasim in dictis suis faciens : SI QUIS SITIT, VENIAT AD ME, ET BIBAT. Qua praecise occasione Christus haec dixerit scitu difficile est. Forte occasione libaminum, quae singulis diebus festi tabernaculorum in templo a laetabundo populo celebrata fuerant. Vide supra, p. 204 et 205. Sermo Christi metaphoricus est. Sensus : Si quis vehementer dona superna desiderat, veniat ad me eaque a me accipiat. Hic autem sensus plerosque auditores Jesu tunc latuisse putandus est. — VENIAT AD ME, intellege, in me credendo. Cf. Jo. 7, 38; 6, 35.

V. 38. SICUT DICIT SCRIPTURA. Verba a Christo allata nusquam in Scriptura inveniuntur; sed saepe sermo est de abundantia gratiarum in oeconomia messianica a Spiritu sancto conferenda, quae non raro sub metaphora *aquae* promittitur. Cf. Is. 41, 18; 44, 3; 55, 1; 58, 11; Ez. 36, 25; 39, 29; Joel 2, 28. Talia simul cogitans Christus omnium sensum expressit. — FLUMINA FLUENT gratiarum DE VENTRE EIUS, de intimo animi ejus in quo Spiritus sanctus habitabit, AQUAE VIVAE, perpetuo salientis in vitam aeternam. Cf. Jo. 4, 14; Rom. 8, 11. 15. 26; Gal. 4, 5; 2 Tim. 1, 7; Act. 2, 17, ubi de inhabitante Spiritu sancto in justis. Spiritus sanctus in justis κατ' οὐσίαν habitans, praebet se

Digitized by Google

in ipsis fontem perpetuo salientem omnium gratiarum sive ipsos sive alios sanctificantium (lege Toletum).

Sollemnis effusio aquarum Siloe, secundum rabbinicam aliquam expositionem, figurabat effusionem Spiritus sancti ab Isaia (12, 3) praedictam : ***Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris.*** Vide Lightfoot : Minist. templi, 16, 4.

V. 39. Interpretatio authentica verborum Jesu. Intendebat igitur descensum Spiritus sancti, die Pentecostes primum in discipulos congregatos, et postea in ceteros novi testamenti fideles ac justos. — NONDUM ENIM ERAT SPIRITUS DATUS, QUIA IESUS NONDUM ERAT GLORIFICATUS. Secundum divinae Sapientiae decreta, tunc tantum Spiritus sanctus mittendus erat credentibus, quando Jesus futurus erat in gloria Patris etiam per humanitatem suam. Cf. Jo. 16, 7. At

Quaeritur an ergo justi, tunc et ante Christum in vetere testamento viventes, Spiritum sanctum non habuerint.

R. Spiritum sanctum omnibus justis etiam veteris testamenti inhabitasse *κατ' ἐνεργείαν*, seu per dona gratiae sanctificantis, habituum etc., ab omnibus theologis admittitur. Sed praeterea alia commemoratur a Patribus Spiritus sancti inhabitatio *κατ' οὐσίαν*, seu substantialis Spiritus sancti praesentia, qua Deus justis praesens sit, non modo secundum suam immensitatem, sed sicut amatus in amante et amans in amato, adeoque ex novo unionis titulo : atque ita est nova Dei in justis praesentia secundum *essentiam;* est et novus quidam modus praesentiae secundum *potentiam* seu operationem, ut patet; est et tertius, quem dicunt secundum *praesentiam* seu tutelam. Praesentiam hanc Spiritus sancti *substantialem* in justis quibuscumque, etiam novi testamenti, aliqui negant (ut Luc. Brug. in h. l.); at immerito, contra nimis claram Scripturae et constantem Patrum doctrinam. — Petavius (De Trin. 8, 4 sq.) eam concessam fuisse dicit justis novi testamenti, non vero veteris testamenti. At testimonia Pa-

Digitized by Google

trum quae ad id probandum affert, sunt partim spuria, partim non demonstrantia (1). Nihilominus Patres discrimen ponunt inter donationem S. Spiritus in utroque foedere. In vetere testamento erat *privata*, *restricta*, *occulta*; in novo autem *publica*, *larga*, *patens*. Jam haec ultima donatio in textu nostro dicitur nondum facta, perficienda autem a Redemptore, post ascensionem glorificato, die Pentecostes et deinceps in Ecclesia. Cf. Tolet. in Jo. 1, 12, annot. 35.

Nota. Graecus receptus habet : οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον, ὅτι Ἰησοῦς.... Lectio emendatior omittit ἅγιον. — Vox δοθέν vel δεδομένον, in aliquot codicibus, glossema est, recte tamen sensum Christi exprimens.

V. 40. EX ILLA ERGO TURBA multi, πολλοί, CUM AUDISSENT HOS SERMONES, τὸν λόγον, cujus, ut videtur, evangelista non nisi thema retulit, DICEBANT : HIC EST VERE PROPHETA, ὁ προφήτης ille eximius, Moysi similis, de quo Deut. 18, 18. In quo vaticinio Spiritus sanctus ipsum Messiam intendebat; illi autem homines erronee τὸν προφήτην alium a Messia putabant.

(1) Spuria sunt : August. sermo 185 de tempore idem ac sermo 1 in fer. II Pentec.; item sermones de tempore 126 et 182 (vide Migne, Patr. lat., t. 39). Inter locos autem genuinos a Petavio citatos praecipue pro eo facere videtur S. Cyrill. Alex. (in Jo. 7, 39). En ejus verba (in h. l.) : « Consideremus ergo » (repetam enim propositum sermonis finem) in sanctis quidem prophetis » velut uberem quamdam illuminationem et praelustrationem fuisse Spiritus, » quae dirigere posset ad futurorum comprehensionem et occultorum noti- » tiam; in iis vero qui credunt in Christum, non simpliciter illustrationem » Spiritus esse censemus, sed ipsum Spiritum inhabitare penitus et hospitari » confidimus. Unde jure quoque templa Dei dicimus, cum nullus sanctorum » prophetarum Dei templum appellatus sit unquam... Cum ergo divinus » evangelista nobis ait : *Nondum enim erat Spiritus, quia Jesus nondum glo-* » *rificatus erat,* integram perfectamque in hominibus sancti Spiritus habita- » tionem eum significare colligamus. » Responderi tamen potest, sanctum doctorem sic loqui de prophetis veteris legis, qua praecise prophetae erant, non quatenus credebant in Christum futurum.

Digitized by Google

Cf. Jo. 1, 20. 21, ubi etiam distinguunt inter τὸν προφήτην et τὸν χριστόν.

V. 41. ALII DICEBANT : HIC EST CHRISTUS, ὁ χριστός (מָשִׁיחַ, *Messias*). En secunda de Christo opinantium categoria, sola veritatem assecuta. — QUIDAM AUTEM... NUMQUID A GALILAEA, in qua Jesum natum putabant, VENIT CHRISTUS?

V. 42. NONNE SCRIPTURA DICIT : QUIA EX SEMINE DAVID (Is. 11, 1; 2 Sam. 7, 12) ET DE BETHLEHEM CASTELLO (Mich. 5, 2), UBI ERAT DAVID (1 Sam. 16, 4; 17, 12), VENIT CHRISTUS. Nativitas Jesu in Bethlehem passim a populo ignorabatur. Hinc eorum objectio, cujus solutionem quaerere debuissent et invenire sane potuissent. Haec igitur tertia est categoria opinantium de Jesu, negantium eum Messiam et seductorem esse contendentium.

V. 43. DISSENSIO ITAQUE FACTA EST inter tres illas categorias, circa Jesu personam.

V. 44. QUIDAM ex tertia categoria, ut videtur, VOLEBANT APPREHENDERE EUM; SED NEMO MISIT IN EUM MANUS, quia nondum venerat hora ejus, qua ipse sponte sua se inimicis suis apprehendendum permitteret.

Ministri et Nicodemus reprehensi

45. ***Venerunt ergo ministri ad Pontifices, et Pharisaeos. Et dixerunt eis illi : Quare non adduxistis illum?*** **46.** ***Responderunt ministri : Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo.*** **47.** ***Responderunt ergo eis Pharisaei : Numquid et vos seducti estis?*** **48.** ***Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisaeis?*** **49.** ***Sed turba haec, quae non novit legem, maledicti sunt.*** **50.** ***Dixit Nicodemus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis :*** **51.** ***Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, et cognoverit quid faciat?***

Digitized by Google

52. ***Responderunt, et dixerunt ei : Numquid et tu Galilaeus es? Scrutare Scripturas, et vide quia a Galilaea propheta non surgit.***
53. ***Et reversi sunt unusquisque in domum suam.***

V. 45. VENERUNT ERGO MINISTRI, satellites missi a synedrio ad Jesum apprehendendum : VENERUNT, terminata festivitate, rationem officii sui reddituri. Hi autem, auctoritate et sublimitate sermonum Christi, Deo animos eorum disponente, nimium perculsi, cum vellent ei manus injicere, prae admiratione et reverentia prohibiti sunt. Ideo

V. 46. RESPONDERUNT... : NUMQUAM SIC LOCUTUS EST HOMO, SICUT HIC HOMO.

V. 47. RESPONDERUNT ERGO EIS PHARISAEI : NUMQUID ET VOS SEDUCTI ESTIS? Praeclarum Christi encomium a viris simplicibus et candidis sponte elicitum!

V. 48. Seductos eos esse pharisaei probare volunt ex auctoritate principum et legisperitorum, quorum nullus in Jesum credat.

V. 49. Quod si de turba multi credant, hoc, aiunt, ignorantiae eorum tribuendum est. Ideo MALEDICTI SUNT. Quae affirmatio imprecationis vim habet.

V. 50. NICODEMUS... QUI VENIT AD Jesum NOCTE, ante annos duos et dimidium (Jo. 3, 2), et ab eo tempore procul dubio in Jesum crediderat, UNUS EX IPSIS, pharisaeus (3, 1) et membrum synedrii. Ipse, ut erat vir sincerus et justitiae amans, DIXIT EIS :

V. 51. NUMQUID LEX NOSTRA... Interrogatio fortiter affirmativa injustitiae Judaeorum, qui contra legis praescriptum Jesum ut legis transgressorem condemnabant, cum nullam de ejus causa juridicam inquisitionem instituissent. Unde et ipsi legem transgrederentur.

V. 52. NUMQUID ET TU GALILAEUS ES? ἐκ τῆς Γαλιλαίας εἶ, et qua talis faves isti Galilaeo?... Patet te nescire Scripturas, quarum testimonium nobis sufficit ut condemnemus hunc Gali-

Digitized by Google

laeum qui se prophetam dicit : nam, teste Scriptura, A GALILAEA PROPHETA NON SURGIT. Graece : ὅτι προφήτης ἐκ τῆς Γαλιλαίας οὐκ ἐγήγερται. Sensus ergo : *quia a Galilaea nullus prodiit propheta.* — Haec omnia falsa erant, nam : *a)* Jesus non erat ortus ex Galilaea, sed ex Judaea; — *b)* nusquam Scriptura negat prophetam e Galilaea proditurum; — *c)* Jonas erat Galilaeus (4 Reg. 14, 25).

V. 53. REVERSI SUNT... IN DOMUM SUAM. Ergo nihil tunc actum fuit contra Jesum.

De authentia hujus versiculi vide ad caput VIII.

APPENDIX

Paraphrasis exegetica Jo. VII, 1-43

Post haec Jesus conversatus est in Galilaea : nolebat enim in Judaea versari, quia principes nationis quaerebant ipsum interficere.

Proxima autem erat Judaeorum festivitas tabernaculorum, Scenopegia dicta. Qua occasione dixerunt ei cognati ipsius : Transi hinc e Galilaea et vade in Judaeam, ut et discipuli tui, quos ibi habes, videant opera mirabilia quae facere soles. Qui enim per praeclare facta quaerit innotescere, ea non facit in occulto (tu autem per mirabilia quae operaris quaeris tamquam Messias agnosci) : ergo, si tibi vis constare, cum talia opera tu facias, manifesta teipsum mundo (Jerosolymis haec exhibendo, non in ignota Galilaeae regione ea continendo). Ita loquebantur cognati ejus, quia neque ipsi in eum tamquam in Messiam plenam et rectam fidem habebant. Quibus respondit Jesus : Tempus meum quo me mundo manifestem nondum advenit; tempus autem vestrum quo palam prodeatis semper est paratum : quandocumque volueritis patet vobis vos exhibendi opportunitas. Nulla est ratio ob quam vos odio habere possit mundus perversus; sed me odio habet, quia ego opera ejus palam malitiae ar-

Digitized by Google

guo (magna ergo mihi opus est prudentia ut me huic mundo manifestem). Vos igitur, si lubet, ite Jerosolymam ad celebrandam festivitatem illam : ego autem nondum ad eam proficisci volo, quia tempus quo id opportune facere possim nondum impletum est. Haec cum dixisset (cognatis se ad iter accingentibus), ipse mansit in Galilaea. Profectis autem cognatis suis, tunc et ipse ivit ad festivitatem, non manifeste (docendo et miracula patrando), sed quasi in occulto (solus vel cum exiguo comitatu).

Judaei interim quaerebant eum dum agebatur festivitas (ad quam putabant eum advenisse), et dicebant : Ubi est iste? Et in turba murmur multum de eo erat. Quidam enim dicebant : Vir bonus est. Alii autem dicebant : Minime, sed impostor est seducens vulgus populi. Nemo tamen palam causam ejus defendebat, propter metum Judaeorum (in populo primatum tenentium).

Cum autem festivitas jam mediaret (die quarto), ascendit Jesus in templum et docebat (sacras Scripturas exponens). Et qui eum audiebant Judaei (legisperiti) mirabantur, dicentes : Quomodo iste novit litteras (adeoque Scripturas exponere) cum tamen hujusmodi scientiam nunquam dididerit? Respondit eis Jesus : Doctrina quam ego trado non est mea, a me excogitata, sed doctrina est ejus qui misit me. Si quis voluerit ejus voluntatem facere, ipse (filiali quodam instinctu actus et per lumen fidei quod consequetur) cognoscet qualis sit illa doctrina quam trado : utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar (doctrinam humanam a me homine excogitatam). Qui a semetipso loquitur a se excogitata, gloriam propriam sollicite quaerit; ille vero qui (omissa propria gloria) quaerit dumtaxat gloriam ejus qui se misit, eo ipso veracem se probat, neque in eo est injustitia (qua sibi arroget bonum alienum).

(Sed jam videamus quo jure me violatae legis accusetis.) Nonne Moyses est qui dedit vobis legem Decalogi? Et tamen nemo ex vobis istam legem observat. Quid ergo me quaeritis interficere tamquam ejusdem legis violatorem? Respondit turba (Judaeorum insidias nesciens) : Daemonio insaniae agitaris : quis te quaerit

Digitized by Google

interficere? Respondit eis Jesus : Unicum coram vobis feci prodigium (sanationem paralytici sabbato peractam), et omnes miramini stupore indignationis, violatam legem inclamantes. (Vos autem ipsos eamdem legem violare ilico ostendo.) Moyses quidem tradidit vobis circumcisionem servandam, non tamen tamquam legem a se latam, sed ut praxim a patriarchis acceptam; et nihilominus diebus sabbatinis circumciditis homines (qui sabbato nati sunt, paternam quidem traditionem servantes, sed legem Moysi de sabbato violantes. Quod si reponitis, tali circumcisione non violari legem Moysi, et ipse repono) : Si circumcidere quis potest hominem sabbato, ita ut tamen non violetur lex Moysi : quo ergo jure mihi indignamini, quia integrum hominem sanitati restitui die sabbato? (Quasi caritas erga proximum non aequo jure a violatione legis sabbatinae excusaret ac paternae traditionis reverentia!) Nolite igitur judicare secundum faciem, eamdem causam varie de variis personis decernentes, sed justum proferte et aequale de omnibus judicium.

Dicebant ergo quidam ex civibus Jerosolymitanis (ipsi Judaeorum insidiarum conscii) : Nonne hic est quem quaerunt interficere? Et ecce palam, libere et audacter loquitur, et nihil ei dicunt! Numquid vere jam principibus nostris persuasum est hunc esse Christum? Sed (talis esse nequit : nam) hunc Jesum scimus unde sit oriundus; Christi vero, ubi apparuerit, nemo cognoscet natalia et patriam. His auditis, clamabat Jesus in templo, docens et dicens : Esto! Cognoscitis me, et unde sim oriundus; sed (nihil inde contra auctoritatem doctrinae meae jure concludere potestis : nam) non prodii tamquam propria auctoritate docens, sed ut missus ab alio : ille autem qui me misit, verax est, hunc vero vos non cognoscitis (rectam de eo notitiam non habetis). Ego cognosco eum, quia ab ipso sum genitus, et ipse me misit in terram.

Ob haec verba quaerebant isti Jerosolymitani eum apprehendere; nemo tamen misit in illum manus, quia nondum venerat

Digitized by Google

hora ejus (praedefinita, qua se inimicis suis permitteret). De vulgo autem plebis multi crediderunt in eum, et dicebant : Christus, cum venerit, plurane faciet prodigia in signum missionis suae, quam quae homo iste fecit? Pharisaei vero, audientes turbam talia in favorem Jesu mussitantem, miserunt apparitores templi ut comprehenderent eum.

Ad quos dixit Jesus : Adhuc modicum tempus vobiscum conversabor; post quod revertar ad eum qui me misit. Postea quaeretis me (in summa rerum vestrarum angustia adjutorem), et non invenietis; sed neque eo ubi ego sum, vos venire potestis (sive in praesenti vita sive in futura). His auditis, dixerunt Judaei inter se : Quo hic iturus est, ubi eum non inveniamus? Numquid iturus est ad Judaeos ubique terrarum inter gentiles dispersos et ipsos gentiles docturus? Quid sibi vult quod dixit : Quaeretis me et non invenietis; et eo ubi ego sum vos non potestis venire?

Die autem novissimo festivitatis (octavo), qui sollemnissimus erat, stabat Jesus (in templo) et clamabat, vocem cum fervore attollens : Si quis sitit, veniat ad me et bibat! Qui credit in me, sicut pluribus in locis dicit Scriptura, e medio sui prosilire faciet flumina aquae vivae (gratiarum supernaturalium abundantiam). Hoc autem dicebat Jesus de donis Spiritus sancti, quem (specialissimo modo) accepturi erant credentes in se : tunc enim nondum (eo modo et ea plenitudine) fuerat datus Spiritus sanctus, quia Jesus nondum erat per suam ad caelos ascensionem glorificatus.

Ex illa ergo turba, aliqui, auditis hisce Jesu verbis, dicebant : Hic est vere ille propheta praedictus a Moyse. Alii dicebant : Hic est Messias noster. Quidam autem dicebant : Estne e Galilaea proditurus Messias? Nonne Scriptura dicit (apud Michaeam, Nathanem etc.), Messiam nasciturum e progenie Davidis, et quidem in oppido Bethlehem, quae patria fuit Davidis?

Dissensio itaque facta est in turba circa eum.

Digitized by Google

CAPUT VIII

—

Argumentum. Jesus postridie docet in templo, et adducitur ei mulier adultera, quam, recedentibus accusatoribus, indemnatam dimittit (1-11). — Cum pharisaeis habet prolixum colloquium, quo plura eos de divina sua auctoritate et origine docet (12-20); — ipsis acriter perversitatem eorum exprobrat (21-29); — non Abrahae eos sed diaboli filios pronuntiat (30-50); — se autem Abrahamo majorem et priorem proclamat (51-58). — Judaei volunt eum lapidare, sed Jesus evadit e manibus eorum (59).

DISSERTATIO PRÆVIA

De authentia Jo. VII, 53 — VIII, 11

Quaestio difficilis movetur de hujus partis authentia. Est autem duplex : altera dogmatica, altera critica (1).

Quaestio 1a. *Num liceat catholicis de hujus pericopae authentia ob rationes criticas serio dubitare.*

R. Solutio pendet a sensu decreti concilii tridentini de canonicis Scripturis (Sess. IV) : ***Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, ... anathema sit.*** Dubitatur scilicet an

(1) De duplici quaestione multo fusius egi in periodico *Études religieuses*. Nov. 1876, Januar. et Febr. 1877. In ultimo articulo delenda est conjectura quam ex Le Hir desumpsi : « pericopam de *adultera* probabilius adfuisse in versione syriaca Curetonii. » Constat enim ex istius versionis recentius reperto fragmento, Jo. VII, 53 — VIII, 11 ipsam in ea versione desiderari. Impressa fuere hujus fragmenti 100 exemplaria *for private circulation*, cura cl. G. Wright, anno 1873.

Digitized by Google

nostra haec pericopa ibi veniat sub nomine *partis* libri canonici. Jam de hac re

1ª sententia, Vercellonii (1), **negat.** Nam, ait, Tridentinum intendebat tantum eas partes quas tunc protestantes rejiciebant, puta fragmenta libri Esther, canticum trium puerorum etc. Solos enim protestantes suo hoc anathemate percellere volebat. — Ergo quaestio proposita integra foret catholicis.

2ª sententia, Franzelin (De S. Script., Thesi 19, p. 466 sq.) ***affirmat.*** Ratio est, Tridentinum non restringere suum decretum ad illas tantum partes : unde anathemate vult percellere, primario quidem protestantes, propter quorum audaciam decretum condiderat, sed et secundario eos omnes qui in posterum simile quid attentarent. Est autem haec historia pericopa sat notabilis, ut *pars* evangelii S. Joannis dici debeat, ita ut si abesset, liber iste mutilus ab omnibus censeretur.

Quibus argumentis addere jam possumus aliud multo validius. Constat enim ex Actis concilii tridentini a Theiner nuper editis, Patres per illa verba : *cum omnibus suis partibus*, ante omnia intendisse « *fragmenta* : *particulas evangeliorum*, » et voluisse 17 Patres eas in decreto specificari, 34 autem censuisse ab enumeratione, utpote superflua, abstinendum. De fragmentis autem deuterocanonicis veteris testamenti, quae sola intendisse Patres opinatus est Vercellone, nulla reperitur in Actis concilii specialis mentio. Vide Acta, t. 1, p. 71-77. 84. 85.

Conclusio. Quamvis Ecclesia priori sententiae nullam notam censurae imposuerit, et licuerit Vercellonio eam Romae publica dissertatione propugnare, altera tamen sententia videtur nobis longe probabilior. Igitur admittimus hanc historiam decreto tridentino comprehendi, et ideo nobis integrum non esse ut eam tamquam spuriam rejiciamus, etiamsi rationes criticae hoc suaderent.

(1) In dissertatione speciali, quam vide in *Revue catholique de Louvain*, anno 1866, Nov., Dec., et 1867, Jan.

Digitized by Google

Quaestio 2ª. *An et quomodo possit haec conclusio critice statui.*

N. B. Haec quaestio *a)* necessaria est ut possit de authentia hujus loci cum acatholicis agi (vel cum iis catholicis qui putant hanc pericopam sub decreto tridentino non comprehendi); *b)* utilis est catholicis authentiam a priori admittentibus : ipsos enim juvat investigare quousque de ea documentis etiam criticis constare possit.

A) **Contra authentiam :**

1° ***Codices.*** Deest in uncialibus antiquissimis et praestantissimis : ℵ (sinaitico), B (vaticano), C (nation. paris.), A (alexandrino), qui 4 codices sunt saeculi IV vel V. — In A deesse concluditur ex deficiente spatio sufficiente pro parte mutila codicis a Jo. 6, 50 ad 8. 52. Idem dic de C mutilo a 7, 3 ad 8, 24 (1). — Deest etiam in uncialibus L, T, X, Δ (L, Δ spatium vacuum relinquunt). — Deest in minusculis plus 60 et in multis evangelistariis (saltem 30). — Qui eam habent, exhibent eam cum mira lectionum varietate.

2° ***Versiones.*** Deest in optimis codicibus Italae; in syriaca curetoniana, peschito et philoxeniana; in plerisque codicibus copticae; in sahidica; in aliquot codicibus armenae; in gothica Ulfilae.

3° ***Patres.*** Omnes Patres graeci qui de evangelio S. Joannis scripserunt omittunt hujus loci commentarium : Origenes, Apollinarius, Theodorus Mops., Cyrillus Alex., Chrysostomus, Basilius, Cosmas, Nonnus poeta, Theophylactus. Inter Patres latinos, Tertullianus et Cyprianus. — Eusebius eam noverat, ut nonnullis videtur ex Papia, sed eam ad apocrypha refert. Ita enim (H. E., 3, 19) : *Ponit etiam ibi (Papias) historiam mulieris quae multis peccatis accusata est apud Dominum, quam etiam historiam habet evangelium secundum Hebraeos.* — At ista

(1) In indice codd. A et C omittitur capitulum : περὶ τῆς μοιχαλίδος : unde dubium non est historiam istam in A et C defuisse. Index A est ejusdem manus ac codex ipse.

Digitized by Google

mulier non est adultera de qua Jo. VIII : haec enim *unico* tantum peccato accusata est apud Dominum. — Euthymius pericopam exponit, sed vix dubitat interpolatam et propterea a Patribus omissam censet.

4° ***Argumenta interna.*** *a)* Stylus saepe manum alienam a Joanne prodit. Ita (v. 2) ὄρθρου pro πρωΐ; πᾶς ὁ λαὸς pro ὁ ὄχλος; (v. 5) ἐνετείλατο pro ἔγραψεν; (v. 7) ἀναμάρτητος pro ἁμαρτίαν οὐκ ἔχων; (v. 10 et 11) κατακρίνειν pro κρίνειν. Particula δὲ saepe pro οὖν quae Joanni familiaris est. — *b)* Nonnulla adjuncta minime sunt verisimilia.

B) **Pro et contra afferuntur :**

1° ***Codices.*** Habent obelis vel asteriscis notatam E, S, Λ, M, et minusculi 45. — Habent eam in fine evangelii S. Joannis minusculi 11 et unum evangelistarium. — Habent post cap. 21 Lucae 4 minusculi (1); minusculus unus post Jo. 7, 36; unus post Jo. 8, 12. — In aliquot codicibus additur in margine eam historiam in plerisque codicibus non reperiri; sed simul nonnulli monent eam tamen in ***antiquioribus*** reperiri (ἐν τοῖς ἀρχαίοις).

2° ***Versiones.*** Philoxenianae codices recentiores eam habent, sed in margine notant in Peschito non inveniri. — Armenae codices aliquot eam ad calcem evangelii rejiciunt. — In multis codicibus Italae reperitur.

3° ***Patres.*** S. Hieronymus (Adv. Pelag., 2, 17) : ***In evangelio secundum Joannem in multis et graecis et latinis codicibus invenitur de adultera muliere quae accusata est apud Dominum.*** Deinde argumentatur ex voce ἀναμάρτητος. — Euthymius, auctor saec. XI, eam explicat quia utilem, sed dicit : φαίνονται παρέγγραπτα καὶ προσθηκή.

C) **Pro authentia.**

1° ***Codices.*** Habent unciales : D. F, G, H, K, U, Γ (D, can-

(1) Cujus erroris ratio fuerit procul dubio parallelismus verbalis inter Luc. 21, 37. 38 et Jo. 8, 1.

tabrigiensis, est saeculi VI, sed antiquissima exemplaria repraesentat : habet quidem hinc inde quosdam locos apocryphos, sed minutos tantum ; et fere referre videtur τὴν κοινὴν ἔκδοσιν saeculi II). — Minusculi plus 300. — Evangelistaria 6 et alia permulta quae legendam indicant in festo S. Pelagiae, vel S. Theodorae, S. Eudociae, S. Mariae aegyptiacae. — Multi codices graeci et latini, teste S. Hieronymo, et ἀρχαῖα ἀντίγραφα in scholiis ad plures codices.

2° ***Versiones.*** Vulgata latina, arabica, persica, aethiopica, syriaca hierosol. (quae cum prope accedat ad D et ad curetonianam versionem, remotam antiquitatem referre censenda est); slavica, anglosaxonica. Inter has versiones sola Vulgata magni est momenti. — Armenae plerique codices eam habent; cur autem in ceteris desit, rationem reddit S. Nicon monachus : hanc historiam Armenos ex evangelio abstulisse, dicentes eam « noxiam esse plerisque eam audientibus. » (Vide Migne., P. G., t. 1, p. 655.)

3° ***Patres.*** Citatur in *Constitutionibus apostolorum* (2, 24, 4), quod opus est probabilius saeculi III ; in Synopsi Athanasii nomine insignita, n° 50 ; a S. Paciano, saeculo IV, (Ep. ad Sympr. 3ª, n° 20) : « Nolite in evangelio legere quod pepercerit Dominus » etiam adulterae confitenti quam nemo damnarat ; quod peccatricem quae lacrymis pedes ejus lavabat absolverit..! » ; a S. Ambrosio (Apol. David 2ª, 1), ubi addit : « Profecto si quis ea auribus » otiosis accipiat, erroris incentivum incurrit. » ; a S. Augustino (De conj. adult., 2, 7), ubi addit : « Quis non intellegat debere » ignoscere maritum quod videt ignovisse Dominum... Sed hoc » videlicet infidelium sensus exhorret, ita ut nonnulli modicae » fidei, vel potius inimici verae fidei, credo metuentes peccandi » impunitatem dari mulieribus suis, illud quod de adulterae in» dulgentia Dominus fecit, abstulerunt de codicibus suis, quasi » permissionem peccandi tribuerit qui dixit : *Jam deinceps noli* » *peccare.* » ; a S. Leone M. (Sermo 62 (60), 4) : « dicens et oblatae » sibi adulterae : Nec ego te condemnabo : vade et amplius noli » peccare » ; a S. Chrysologo, a Sedulio et Cassiodoro. — In

Digitized by Google

Harmonia evangelica edita saeculo VI a Vict. Capuano (cap. 120), quae putatur esse Tatiani vel Ammonii (saec. III). De qua vide Migne, P. L., t. 68, p. 316. — Notat Dionysius Barsalibi se pericopam de *adultera* reperisse in codice quodam Alexandriae. Legebatur apud Syros in festo S. Pelagiae et feria secunda hebdomadae quartae Quadragesimae. Jacobus Sarugensis (saec. V vel VI ineunte) exposuit eam in prolixo sermone. Demum vetus codex eam affirmat fuisse syriace translatam a Paulo abbate e codice quodam alexandrino (vide cl. Th. Lamy, in *Revue catholique*, Octob. 1878, p. 397 et 398).

N. B. Qui, ut Maldonatus, dicunt Chrysostomum (Hom. 60 in Jo.) de *adultera* loqui, versione latina veteri decepti fuerunt.

4° ***Argumenta interna.*** *a*) Si historia haec non esset genuina, additi versiculi 7, 53 et 8, 1. 2 non nisi a falsario potuissent interpolari, quippe qui transitionem faciunt a textu evangelico indubitato ad pericopam de adultera. Quomodo hujusmodi interpolationem voluntarie introductam ignorasset vel tolerasset Ecclesia? — *b)* Egregie concordant dictum Jesu (v. 15) : *Ego non iudico quemquam* et ratio ejus agendi cum adultera. — *c)* Usque ad 7, 52 narratio versatur in ultimo die festi Scenopegiae, et, si spuria est nostra pericopa, nulla facta mutatione loci et temporis pergit pronuntiare Christus verba 8, 12 sq. At modus loquendi evangelistae 8, 20 contrarium supponit. Secus cur moneret, verba illa dixisse Jesum *in templo*, quod de sermonibus in Scenopegia habitis probe noverant lectores (vide 7, 14 et comment. in 7, 37). Cf. Hilgenfeld : *Einleitung in das* N. T., p. 707-708 (1).

(1) En ejus verba : « Aber in dem Zusammenhange ist sie (diese Erzählung) » unentbehrlich. Streicht man dieselbe, so hat man nicht bloss für den » Ausspruch 8, 15 ἐγὼ οὐ κρίνω οὐδένα keine rechte Veranlassung, für das » Auftreten Jesu im Tempel 8, 20 keine rechte Vermittlung, sondern man » kommt auch aus dem letzten Festtage (7, 37) gar nicht heraus, wie doch das » Folgende verlangt. »

Placet etiam hic exscribere quae habet E. Renan (*Vie de Jésus,* 13e édit., *Appendice*, p. 500. 501) : « Le récit de la femme adultère laisse place à de

Digitized by Google

5° ***Respondent*** ad argumenta contra authentiam :

Ad argumenta ***externa :*** Non omnes allegati Patres contra authentiam urgendi sunt. Nam Origenis tomus 18 periit, in quo deberet locus noster adesse. — Chrysostomus non dat commentarium Joannis continuum, et sic omittit a 7, 46—8, 21. — Theodori mops. et Apollinarii commentariorum fragmenta tantum ad nos pervenerunt. — Nullus Pater graecus nostram pericopam positive rejicit; Euthymius solus in hoc inclinat. — Basilius, Tertullianus et Cyprianus scripserunt quidem de paenitentia, sed non probatur eos historiam istam citare omnino debuisse. — Si Eusebius eam intendisset, monuisset eam et in codicibus evangelii Joannis reperiri, quod ignorare profecto non poterat.

Ad argumenta ***interna :*** ad 1) Textum S. Joannis in tanta hujus loci lectionum varietate vix accurate discerni posse. — ad 2) Joannem quasdam hic peculiares adhibere voces ob specialem tractandam materiam; eumque etiam in locis non controversis nonnunquam adhibere ἅπαξ λεγόμενα, v. g. 9, 21 : ἡλικίαν ἔχειν; 9, 22 : συντίθεσθαι; 9, 28 : λοιδορεῖν; etc. — Particulam δὲ adhibet etiam alibi. Ita v. g. 7, 37-44, δὲ venit quater, οὖν bis; 8, 12-20, utrumque quater; et in ipsa pericopa nostra, si variantium lectionum ratio habetur, particula δὲ non undecies sed quater tantum occurrit. — πρωΐ bis tantum habet Joan-

» grands doutes critiques. Ce passage manque dans les meilleurs manuscrits; » je crois cependant qu'il faisait partie du texte primitif. Les données topogra» phiques des versets 1 et 2 ont de la justesse. Rien dans le morceau ne fait » disparate avec le style du quatrième évangile. Je pense que c'est par un » scrupule déplacé, venu à l'esprit de quelques faux rigoristes sur la morale » en apparence relâchée de l'épisode, qu'on aura coupé ces lignes qui pourtant, » vu leur beauté, se seront sauvées, en s'attachant à d'autres parties des textes » évangéliques... On comprend, en tout cas, beaucoup mieux qu'un tel passage » ait été retranché qu'ajouté. » Haec exscribendo nolim aliquam miseri apostatae opinationibus auctoritatem tribuere : ostendere tantum volui etiam apud rationalistas hypercriticos pericopae nostrae causam minime ut perditam haberi.

Digitized by Google

nes; contra in Apocalypsi (22, 16) occurrit ὀρθρινός. — ἐντέλλομαι habet 14, 31; 15, 14. 17,

D) **Epicrisis et conclusio.**

Pericopam 7, 53—8, 11 saeculo IV in multis graecis codicibus tunc exaratis et in nonnullis latinis defuisse negari non potest. Sed notatur adfuisse *in antiquioribus*, quales merito supponere possumus codices saec. III et II; quod confirmatur ex eo quod reperitur in D, qui antiquissimum exemplar repraesentat. Si autem res ita se habet, quomodo e multis codicibus evanuit? Ob timorem scandali, uti quoad aliquos certo novimus ex S. Augustino. Tale autem motivum seculis III et IV frequens adfuisse, probabile fit ex tanto istius temporis disciplinae rigore in Ecclesia, ac praesertim in sectis novatianorum ac montanistarum, et ex magna conjugum licentia tunc grassante (1). Neque aliter factum apud Armenos ex Nicone accepimus. Igitur et ob scandali pusillorum metum fuerit haec historia in publicis lectionibus omissa, et ut omitteretur signo aliquo notata, ob quod eam imperiti librarii tamquam spuriam forte rejecerint. Omissio in evangelistariis inde plana fit. Silentium Patrum graecorum ex statu codicum sui temporis satis explicatur. — Postea, cessante ratione scandali, pericopa fuerit passim recepta : hinc ejus frequentia in codicibus minusculis et in uncialibus recentioribus. Theophylactus et Euthymius censendi sunt eam ob auctoritatem magistri sui Chrysostomi non recepisse. — Tandem argumentum ex stilo desumptum incertius est quam ut externa haec argumenta labefactet. — In hac probabili explicatione una seria remanet difficultas : quomodo syriaca versio, facta saeculo II, pericopam non habeat. Documenta antiqua nihil suppeditant ad hujus difficultatis solutionem.

Ex altera parte, ii qui pericopam ut spuriam habent, volunt eam ex aliquo apocrypho in evangelium irrepsisse. Sed haec mera

(1) Vide Salvian., *De gubernat. Dei*, 4, 5. 6.

Digitized by Google

conjectura est, ad quam immerito testimonium Eusebii de Papia invocatur, et quae cum Augustini, Ambrosii et Niconis testimoniis non concordat. Nec videtur quomodo potuerit haec pericopa inseri, ut ostensum est supra.

Igitur totius loci disputati authentia nobis videtur etiam ***critice probabilior.***

EXPOSITIO TEXTUS

Absolutio mulieris adulterae

1. *Iesus autem perrexit in montem Oliveti :* 2. *Et diluculo iterum venit in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos.* 3. *Adducunt autem Scribae, et Pharisaei mulierem in adulterio deprehensam : et statuerunt eam in medio.* 4. *Et dixerunt ei : Magister, haec mulier modo deprehensa est in adulterio.* 5. *In lege autem Moyses mandavit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?* 6. *Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.* 7. *Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis : Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* 8. *Et iterum se inclinans, scribebat in terra.* 9. *Audientes autem unus post unum exibant, incipientes a senioribus : et remansit solus Iesus, et mulier in medio stans.* 10. *Erigens autem se Iesus, dixit ei : Mulier, ubi sunt, qui te accusabant? nemo te condemnavit?* 11. *Quae dixit : Nemo, Domine. Dixit autem Iesus : Nec ego te condemnabo : Vade, et iam amplius noli peccare.*

V. 1. Jungendus potius capiti praecedenti. IN MONTEM OLIVETI, ita vocatum ob frequentes in eo plantatas olivas. Ibi solebat Jesus usque ad multam noctem orationi vacare (Luc. 21, 37; 6, 12). — Mons Oliveti a Jerusalem distabat leucae fere quadrante

Digitized by Google

ad orientem. Inter montem istum et civitatem erat vallis Cedron, in cujus imo torrens Cedron.

V. 2. ET DILUCULO..., id est, postridie festivitatis Tabernaculorum, mane,... SEDENS DOCEBAT EOS : doctoris enim proprium erat sedendo docere.

V. 3. Dum autem ibi sedet docens, ADDUCUNT.. SCRIBAE ET PHARISAEI MULIEREM IN ADULTERIO DEPREHENSAM...

SCRIBAE ET PHARISAEI, illi legisperiti, hi legis strictam observantiam jactantes. Non judicum partes agunt, sed sive accusatorum sive testium. Atque haec ratio videtur cur Joannes non scripserit : ἀρχιερεῖς καὶ φαρισαῖοι. Eos putat Kuinoel fuisse *zelotas* qui, non exspectata sententia judicis, ex lege puniebant homines in delicto deprehensos, juxta exemplum Phinees (Num. 25, 6-8). — IN ADULTERIO DEPREHENSAM, gallice : *prise en flagrant délit*... — STATUERUNT EAM IN MEDIO turbae Jesum circumstantis.

V. 4. ET DIXERUNT EI, reverentiam maligne affectantes : MAGISTER ... DEPREHENSA EST..., ἐπαυτοφώρῳ μοιχευομένη. Ἐπαυτοφώρῳ terminus est juridicus, alienus, aiunt, a Joannis simplici sermone. At responsio in promptu est. Si scribae hoc termino usi sunt, quid prohibet quominus eum Joannes referat?

V. 5. IN LEGE AUTEM... TU ERGO QUID DICIS? Ubi haec notanda : *a)* Jesum malitiose opponunt Moysi, ad factum sanationis sabbatinae tacite alludentes, unde exspectant responsum praescripto legis contrarium. — *b)* Id autem se obtenturos aestimant quia norunt Jesum in peccatores misericordem (Luc. 7, 34). — *c)* Et sic novam aucupantur occasionem eum praevaricationis in legem accusandi (v. 6). — *d)* Lex Moysi (Lev. 20, 10) poenam mortis decernebat in adulteros, eam autem lapidatione perficiendam esse ibi non dicit; sed idipsum non obscure insinuatur Ezech. 16, 38. 40. Cf. etiam Deut. 22, 24.

V. 6. ... TENTANTES EUM, laqueum ei nectentes, non doceri

Digitized by Google

cupientes, UT POSSENT ACCUSARE EUM tamquam legis contemptorem et flagitiorum fautorem.

Sunt qui velint, pharisaeos ansam quaesiisse accusandi Jesum, qualiscumque demum ejus responsio fuisset. Si non lapidandam adulteram pronuntiasset, praevaricationis in legem; si vero lapidandam, seditionis in Romanos, qui potestatem reos necandi Judaeis abstulerant, et lapidationis poenam non admittebant (Beelen). — Alii : ut possent eum accusare, sive violatae legis apud magistratus, sive crudelitatis apud plebem. At nostra expositio magis videtur praecedenti narrationi ac menti pharisaeorum congruere.

IESUS AUTEM INCLINANS SE DEORSUM, ut erat sedens (v. 2), DIGITO SCRIBEBAT IN TERRA, id est in pavimento lapideo templi. Quid scripserit frustra quaeritur : de hoc enim hic nihil insinuatur. — Sunt qui ob v. 7 putent Jesum accusantium peccata descripsisse. Sed, si ita, cur ad recedendum *verba* Christi exspectarunt? — Sunt qui putent eum eorum nomina scripsisse, secundum illud Jer. 17, 13 : *Recedentes a te in terra scribentur*, ita tacite eorum perversitatem arguens. — Rectius forte et simplicius admittitur, Jesum nulla verba scripsisse sed solum ductus quosdam in pulvere delineasse, hoc gestu significans se ad captiosam eorum quaestionem nolle attendere.

V. 7. CUM ERGO PERSEVERARENT... Instant, quia putant Jesum haesitare et responsum anxie quaerere. — EREXIT SE a scribendo, ET DIXIT EIS : QUI SINE PECCATO EST VESTRUM, PRIMUS IN ILLAM LAPIDEM MITTAT, prout erat officium testium (Deut. 17, 7). Divinae sapientiae plena responsio! Non dicit, non lapidandam, et sic nihil contra legem pronuntiat; accusatores autem insinuat non minorum scelerum reos, ipsos tamen ad propriae conscientiae dictamen remittens. Neque ideo, ut quidam volunt, falsum emittit principium, facinorosos non posse nisi ab innocentibus et probis puniri vel judicari; sed id tantum, minime congruere ut qui alios traducunt, iisdem vel majoribus quam illos flagitiis se reos cognoscant, quod sane verum est.

Digitized by Google

V. 8. His verbis quasi fulminis ictu perculsos relinquit hypocritas, nihil eos curans sed spatium eis recedendi suppeditans, ITERUM SCRIBEBAT IN TERRA.

V. 9. AUDIENTES AUTEM (ἀκούσαντες, *cum audiissent)* UNUS POST UNUM EXIBANT, timentes ne coram turba ipsorum scelera revelaret Jesus, quem hominum intima scrutari multiplici experimento didicerant. — INCIPIENTES A SENIORIBUS, ut magis honori suo prospicere curantibus et forte majorum noxarum reis, — ET REMANSIT SOLUS IESUS, id est, solus ab accusatoribus, ET MULIER IN MEDIO turbae STANS.

V. 10. ERIGENS AUTEM SE IESUS a scribendo, et tunc circumspiciens, DIXIT EI : ... NEMO TE CONDEMNAVIT?

V. 11. ... NEMO DOMINE... NEC EGO TE CONDEMNABO, quippe qui *non veni ut iudicem mundum* (Jo. 3, 17). — Christus hic officium judicis exercere non tenebatur; at officium salvatoris suavissime exercet, secundum Jo. 3, 17; Luc. 19, 10. — VADE IN PACE, culpa et poena per me absoluta, ET IAM AMPLIUS NOLI PECCARE. Hinc peccatricem, non peccatum, Jesus absolvit. Nil dubitandum quin Christus simul animo adulterae gratiam debitae contritionis indiderit. Admirabile sane exemplum misericordiae cordis Jesu in peccatores paenitentes. Nulla increpatio, nullum durum verbum, nulla imposita poena! Unum postulat : *iam amplius noli peccare!*

Nota. Christus dimittendo adulteram, palam utitur divina plane potestate : propria scilicet auctoritate peccata remittendi (Luc. 5, 24). Unde et haec historia speciale praebet divinitatis Christi argumentum. Ideo procul dubio S. Joannes hanc narrationem evangelio suo inseruit. — Accedit quod absolvendo adulteram facto probavit id quod v. 15° de se asserit : *Ego non iudico quemquam.*

Christi de seipso testimonium

12. ***Iterum ergo locutus est eis Iesus, dicens : Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit***

Digitized by Google

lumen vitae.* 13. *Dixerunt ergo ei Pharisaei : Tu de te ipso testimonium perhibes : testimonium tuum non est verum.* 14. *Respondit Iesus, et dixit eis : Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum : quia scio unde veni, et quo vado : vos autem nescitis unde venio, aut quo vado.* 15. *Vos secundum carnem iudicatis : ego non iudico quemquam :* 16. *Et si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum : sed ego, et qui misit me, Pater.* 17. *Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.* 18. *Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso : et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.* 19. *Dicebant ergo ei : Ubi est Pater tuus? Respondit Iesus : Neque me scitis, neque Patrem meum : si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis.* 20. *Haec verba locutus est Iesus in gazophylacio, docens in templo : et nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius.

V. 12. ITERUM ERGO LOCUTUS EST EIS IESUS. Dubium utrum sit continuatio sermonis per adductionem adulterae interrupti, an novus plane sermo, sive eadem sive alia die habitus. Hoc probabilius : prior enim sermo directus erat ad populum (v. 2); hic autem ad pharisaeos, Judaeos. Sed et particula πάλιν novum esse sermonem satis insinuat. Habitus est in gazophylacio templi (v. 20). — EGO SUM LUX MUNDI, mundum (homines) gratia supernaturalis revelationis per lumen fidei illustrans. QUI SEQUITUR ME in me credendo, lumen fidei a me suscipiendo, NON AMBULAT IN TENEBRIS lapsae suae naturae, tenebris igno rantiae et peccati; SED HABEBIT LUMEN VITAE, id est, *habet* lumen illud cujus fons sum ego; estque hoc lumen *vitae* aeternae, vitae supernaturalis fons et exordium. Cf. comm. in Jo. 1, 4-9; Trid. VI, c. 6. 8. — Talia certe, praeter Deum, nemo de se dicere potest, nisi inaudita laboret insania. Unde et his verbis Christus iterum divinitatem suam proclamat.

Digitized by Google

Adverte *qui sequitur me* hic proprie sonare *qui credit in me.* Recte tamen accommodatur ad *imitationem* virtutum Christi : haec enim imitatio est fructus fidei in Christum, sponte ex ea nascens.

V. 13. Fidem quam verba haec Christi merentur statim elevant PHARISAEI (alii certe ab iis qui adulteram adduxerant) : TU DE TE IPSO TESTIMONIUM PERHIBES : TESTIMONIUM TUUM NON EST VERUM juridice, id est non debet recipi, nullam fidem meretur, quia unicum est et a te de te ipso latum. Propria quippe laus sordet. Talem esse sensum probat v. 17.

V. 14. ETSI (scribendum una dictione) : etiamsi EGO..., VERUM EST TESTIMONIUM MEUM, et ut verum recipi debet; et ratio est, QUIA SCIO UNDE VENI, ET QUO VADO (cf. Jo. 13, 3). Quorsum haec ratio? « Quia scio me esse Filium Dei a quo exivi per incarnationem et ad quem vadam per ascensionem. » Hinc infallibiliter scio divina me in hoc testimonio veracitate pollere. — Apposite in haec Lucas Brug : « His paucis verbis, *unde veni et quo vado*, comprehenduntur omnia quae Jesus de se testificari posset et quae nobis de eo credenda sunt : principium et finis humanae salutis, mysterium inquam incarnationis et ejus fructus : principio enim et fine reliqua comprehenduntur. » — Et Toletus : « Principium et finem mei adventus scio; et quia haec scio, propterea dico me lucem esse mundi. » — VOS AUTEM NESCITIS UNDE VENIO, AUT QUO VADO : mysterium divinae missionis meae ex culpa vestra ignoratis, et ideo testimonium illud meum rejicitis. Haec omnia, licet obscure, in verbis Christi implicantur.

V. 15. VOS SECUNDUM CARNEM IUDICATIS me, id est, secundum id quod vestrae naturae corruptae oculis apparet, me ut impostorem *condemnatis* (id enim apud Joannem sonat κρίνειν. Vide ad 3, 17); EGO NON IUDICO QUEMQUAM : neminem condemno : non enim ad id missus sum, sed ut salvem mundum (Jo. 3, 17). — Tacite interim his verbis incredulitatem eorum increpat, ob quam condemnari mereantur. — Supplendum esse, *non judico* SECUNDUM CARNEM, contextui adversatur.

Digitized by Google

V. 16. ET SI (ἐὰν, *etiamsi*) IUDICO EGO, etiamsi aliquem condemnarem, IUDICIUM MEUM VERUM EST, seu justum esset, QUIA SOLUS NON SUM, merus homo, ut vos aestimatis, SED EGO, ET QUI MISIT ME, PATER, adeoque in tali judicio Pater mecum est, identicam mihi divinam naturam communicans : unde et judicium illud meum essentialiter verum est. Cf. Jo. 10, 30; 14, 10.

Nota. Nonnulli interpretes, non perspicientes transitum idearum a versu 16 ad 17, volunt versiculos 16 et 18 esse plane synonymos quoad sensum; inde mira confusio : ipsis enim versu 16 *judicium* idem est ac versu 18 *testimonium*. Nam, ait a Lap., *judicium* recte dicitur omnis actus ad judicium spectans, quale est *testimonium*. Hinc versu 15 *non judico quemquam*, contra usum loquendi Joannis et contra parallelismum, exponunt de *judicio discussionis*. Praeterea, si vellent sibi constare, deberent exponere versum 15 hoc sensu : *ego de nullo perhibeo testimonium*, quod patet esse falsum. — Omnia haec absona evasit Beelen, quem in commentario secuti sumus. — Confirmatur nostra interpretatio ex constructione graeca v. 17 : καὶ ἐν τῷ νόμῳ δὲ, ubi καὶ... δὲ transitum aliquem fieri indicat.

V. 17. Hactenus prima Christi responsio ad objectionem Judaeorum : « Testimonium meum verum est quia divinum est, mihi cum Patre commune; tale foret et judicium meum. » Nunc ex iis quae dixit de sua cum Patre unione sumpto transitu, alteram addit responsionem : ET IN LEGE VESTRA SCRIPTUM EST, QUIA DUORUM HOMINUM TESTIMONIUM VERUM EST, in judicio pro vero suscipitur (Deut. 17, 6).

V. 18. Atqui EGO SUM... ET... PATER. Duo itaque testes sunt qui testimonium perhibent de Christo. Cum tamen id nequeat intellegi in lege de testimonio alicujus in propria causa adjecto testimonio alterius, enuntiatio Christi sensum non haberet, nisi per altissima Trinitatis et incarnationis mysteria exponeretur. Igitur id quod Christus in humanitate testatus modo fuerat, idipsum de Christo Deo homine testantur duae

Digitized by Google

divinae Personae, Pater nempe et Filius! — Conclusio syllogismi auditoribus relinquitur : « Ergo etiam secundum normam legis testimonium meum deberetis ut juridice verum accipere. »

Si quaeratur quomodo Pater et Filius de Christo testati sint, responderi potest : Pater, cum per Scripturae vaticinia tum per miracula quae *dedit ei ut faceret* (Jo. 5, 36. 37); Filius, multis argumentis in Christo divinam naturam manifestando : miraculis propria virtute patratis, prophetiis, cordium scrutatione etc. — Hujus vim ratiocinii Judaei capere tunc utique non poterant, sed ob eorum culpam : ipsa mysterii propositio debuisset eos ad veritatem quaerendam incitare.

V. 19. ... UBI EST PATER TUUS? Malitiosa interrogatio ut accusationem blasphemiae iterum in Jesum proferre possint. Cf. 5, 18. — NEQUE ME SCITIS Dei Filium, NEQUE PATREM MEUM Deum, qua Pater est Messiae. — SI ME SCIRETIS, FORSITAN ET PATREM MEUM SCIRETIS. Graece τὸν πατέρα μου ᾔδειτε ἄν, ubi ἄν non est particula dubitantis sed fortiter affirmantis. Hinc pro *forsitan* Vulgata accuratius posuisset *utique*. Conclusio Christi patet : est enim Patris et Filii relatio mutua, et praeterea naturae divinae identitas (10, 30 et 14, 7. 9. 10). Hanc, si voluissent, fide praelucente cognovissent.

V. 20. Hic sermo Christi terminatur. — ... IN GAZOPHYLACIO, seu aerario sacro, quod erat in « atrio mulierum » (Gazophylacium vox est partim persica : *gaza, divitiae, nummi;* partim graeca : φυλάσσω, *conservo).* — Nemo APPREHENDIT EUM, quamquam multi volebant, QUIA NECDUM VENERAT HORA EIUS, a Patre passioni ejus praedestinata.

Pharisaeorum exprobrata perversitas

21. ***Dixit ergo iterum eis Iesus : Ego vado, et quaeretis me, et in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire.*** **22.** ***Dicebant ergo Iudaei : Numquid interficiet semeti-***

Digitized by Google

psum, quia dixit : Quo ego vado, vos non potestis venire? 23. *Et dicebat eis : Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo :* 24. *Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris : si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* 25. *Dicebant ergo ei : Tu quis es? Dixit eis Iesus : Principium, qui et loquor vobis.* 26. *Multa habeo de vobis loqui, et iudicare : sed qui me misit, verax est : et ego quae audivi ab eo, haec loquor in mundo.* 27. *Et non cognoverunt quia Patrem eius dicebat Deum.* 28. *Dixit ergo eis Iesus : Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, et a meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, haec loquor.* 29. *Et qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum : quia ego, quae placita sunt ei, facio semper.*

V. 21. Novus hic refertur sermo Jesu cum pharisaeis, etiam in templo habitus (v. 59), sed quandonam incertum est. EGO VADO. ὑπάγω, *abeo,* ad Patrem scilicet post breve tempus, ET QUAERETIS ME, quaeretis Messiam vestrum in extrema angustia obsessae civitatis vestrae, ET IN PECCATO VESTRO incredulitatis MORIEMINI morte temporali simul et aeterna. QUO EGO VADO, in caelum, VOS NON POTESTIS VENIRE, neque in hac vita neque in futura : *vos enim de hoc mundo estis* (v. 23). Cf. comment. ad 7, 33. 34, locum parallelum.

V. 22. ... NUMQUID INTERFICIET SEMETIPSUM... Ad intellegentiam sciendum est id quod refert Josephus (De Bello jud., 3, 8, 5), Judaeorum opinione sui interfectores in locum gehennae maxime caliginosum detrudendos esse. — Ergo ironice haec secum pharisaei de Christo. Subaudi, si lubet : « Eo ipsum profecto non sequemur. » — Vel forte simplicius ita : verbum ὑπάγω, *vado,* liberum dicit discessum; ex alia parte *quo...*, *vos*

Digitized by Google

non potestis venire locum insinuat extramundanum. Inde sic : Numquid per sui occisionem voluntarie ex hac terra discedet?

V. 23. ET DICEBAT EIS, non praecise Judaeis inter se mussitantibus respondens, sed in sermone versiculi 21 pergens, ubi dixerat : *quo ego vado, vos non potestis venire :* VOS DE DEORSUM ESTIS, homines nempe, et qua tales, terrenae originis; EGO DE SUPERNIS SUM, Filius Dei, et qua talis, caelestis originis. — VOS DE MUNDO HOC ESTIS improbo et perverso : EGO NON SUM DE HOC MUNDO, quippe cui undequaque adversor. — Duo igitur Jesus assignat inter se et Judaeos discrimina : unde duae rationes ob quas eum in caelum ascensurum sequi minime possint. Duo haec non esse synonyma patet ex sermone in cena, in quo Christus alterum de apostolis affirmat (13, 33) : *Quaeretis me : et sicut dixi Iudaeis : Quo ego vado, vos non potestis venire : et vobis dico modo*; alterum de eis negat (15, 19) : *de mundo non estis.* — Ad prius Christi assertum intellegendum, notandum est ipsum loqui de re quae est ex una parte sibi ex altera hominibus propria. Hominum locus proprius terra est, quia terrenae sunt originis; Christi locus proprius caelum est, quia de caelo ortus est. — Hinc homo, ut caelum adeat, indiget super naturam suam « in imaginem Filii Dei » transformari.

V. 24. DIXI ERGO VOBIS, utpote talibus, impio mundo addictis, QUIA (id est gallice *que)* MORIEMINI IN PECCATIS VESTRIS. Id tamen dico, non absolute, sed conditionate ex parte vestra : SI ENIM NON CREDIDERITIS QUIA EGO SUM, ὅτι ἐγώ εἰμί, *que c'est moi,* MORIEMINI IN PECCATO VESTRO. — Christus dedita opera ita loquitur, attributum verbi εἰμὶ tacens, ut quod a Judaeis facile suppleri poterat, puta *Messias, Filius Dei...* Ceterum modus hic loquendi multo melius explicatur ex proprietate linguae aramaicae, qua Jesus utebatur. Dixerit procul dubio : כִּי אֲנָא הוּא, *quod ego ille,* cui formulae respondet in versione

Digitized by Google

syriaca ܐܢܐ ܐܢܐ. Deinde eo sensu dictum Christi intellegi debuisse patet ex locis parallelis, Marc. 13, 6; Luc. 21, 8; Jo. 13, 19.

V. 25. DICEBANT ERGO EI, malitiose fingentes se non intellexisse : TU QUIS ES? in pronomine *quis* emphasim facientes. — Interrogantibus respondens

DIXIT EIS IESUS : PRINCIPIUM, QUI ET LOQUOR VOBIS, τὴν ἀρχὴν ὅ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Haec responsio crux est interpretum!

Quaeritur 1° de ***vera lectione,*** utrum ὅ τι an ὅτι.

R. De hac re codices unciales nihil decernere valent, cum interpunctionem et vocum separationem non habeant. Inter codices minusculos multi habent ὅτι, plerique tamen ὅ τι. Itala probabilius habebat *initium quod*, ut apud Idacium, Ambrosium, Vigilium. Augustinus legit, modo *principium quod*, modo *principium quia*. — Vulgatae optimi et antiquissimi codices, uti et S. Hieronymi operum manuscripta, legunt *quia*, ideo putarem istud *qui et loquor* oscitantia librariorum irrepsisse pro *quia*. ὅτι videtur legisse S. Chrysostomus et ita legunt Theophylactus et Euthymius. — ὅ τι habet Nonnus.

Haec omnia rem in dubio relinquunt. Contexta oratio etiam nihil valet decernere. Aliis enim exponendi modis convenit lectio ὅτι, aliis lectio ὅ τι.

Quaeritur 2° de ***genuino sensu*** hujus loci.

R. 1ª sententia. *Ego sum principium, id quod et loquor vobis.* Cf. Jo. 1, 1. 2; Apoc. 22, 13.

Contra est *principium*, τὴν ἀρχήν, esse in accusativo.

Respondent accusativum illum esse inductum per attractionem ad ὅ τι. At certe talis constructio apud Joannem esset omnino insolita.

2ª sententia. *Ego sum a principio : quod etiam dico vobis.*

Contra est *a)* Nusquam in Scriptura τὴν ἀρχὴν venit hoc

Digitized by Google

sensu, sed ἐξ ἀρχῆς. Inter profanos pro eo citatur solus Herodotus. — *b)* Sic Jesus non responderet quaestioni Judaeorum petentium *quis* esset, non vero *a quo tempore* esset. — *c)* λαλῶ sic foret improprie dictum pro λέγω.

3ª sententia. *Id sum quod a principio vobis dico.* Ita Tholuck.

Contra est constructionem huic sensui non quadrare. Debuisset scribi : ὅ, τι τὴν ἀρχὴν λαλῶ ὑμῖν. — Sed et λαλῶ pro λέγω poni etiam immerito supponitur.

4ª sententia. *Primum quidem, id sum quod et loquor vobis.* Ita enim τὴν ἀρχὴν adhibent Herodotus (1, 86. 140. 203); Thucydides (2, 74); S. Athanasius (De incarn. Verbi, nº 20) : τὴν ἀρχὴν ἐξ οὐκ ὄντων πεποιηκότος τὰ ὅλα.

Contra est hunc sensum non quadrare contextui. Quid sibi vult illud *primum quidem* quod *alterum* non habet neque in sequentibus ullo modo evolvitur.

5ª sententia. Christus nihil respondet malignae Judaeorum interrogationi sed, illa penitus omissa, pergit eos admonere; ita ut τήν ἀρχὴν immediate referatur ad v. 26, et ὅ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν sit mera parenthesis. Igitur sic : *Primum quidem (id quod et vobis loquor) multa habeo de vobis loqui.*

Contra est *a)* Parenthesis haec foret otiosa. — *b)* Nihil innuit Christum eis non respondere quidquam ad quaestionem eorum.

6ª sententia. *Indigni estis ut vos primo loco docens alloquar* (debuissem me prius ad gentiles convertere) : *sed*... Est expositio S. Cyrilli Alex., multo longius quaesita.

7ª sententia. *Omnino id sum quod et loquor vobis.* Ita Beelen, Haneberg, Schanz, Fillion et alii multi (vide Beelen in dissert. de sensu mult., p. 52 sq. et in opusculo : *Grondregels*..., p. 70 sq.)

Rationes. 1) Sensum hunc quoad τὴν ἀρχὴν commendant : Xenophon (Cyr., 1, 6, 16), Sophocles (Antig., 92), Plato (Apol., 29), Fl. Josephus (Ant., 1, 3, 8; 3, 15, 3), Chrysost. (in h. l.), qui exponit ὅλως; item Theophylact. et Euthym. — 2) Satisfit con-

Digitized by Google

textae orationi. — 3) Bene explicatur particula καὶ, ostendens concordiam esse in Christo inter *esse* et *loqui*.

Contra est a) λαλῶ improprie exponi ac si esset λέγω, et sic non salvari parallelismum verbalem cum λαλεῖν v. 26. — *b)* in allatis exemplis τὴν ἀρχὴν venire tantum in enuntiationibus negantibus.

8ª sententia quae est S. Chrysost. cum schola sua. Fere sic : *Omnino, quid est quod adhuc etiam alloquar vos,* qui me nec audire nec intellegere vultis? Ita Lücke. Chrysostomus vero : καὶ τοῦ ὅλως ἀκούειν τῶν λόγων τῶν περὶ ἐμου ἀνάξιοί ἐστε, μήτι γε καὶ μαθεῖν ὅστις ἐγώ εἰμι. Euthymius : ὅλως, ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν, περιττόν ἐστι.

Rationes. 1) Sola haec expositio servat genuinum sensum verbi λαλῶ et supradictum parallelismum cum versu 26. — 2) Optime rationem reddit particulae καί. — 3) Et a graecitate non dissonat : nam non desunt exempla in quibus ὅ τι est pro τι interrogativo. v. g. Plato (Men., p. 74) : ὅ τι ἔστι τοῦτο, ὃ οὐδὲν ἧττον κατέχει τὸ στρογγύλον ἢ τὸ εὐθύ, ὃ δὴ ὀνομάζεις σχῆμα; — Codex B apud Marc. 2, 7 legit : ὅτι οὗτος οὕτως λαλεῖ; βλασφημεῖ. — Marc. 9, 11 : ὅτι λέγουσιν οἱ γραμματεῖς ὅτι Ἠλίαν δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον; — Marc. 9, 28 in fere omnibus codicibus : ὅτι ἡμεῖς οὐκ ἠδυνήθημεν ἐκβαλεῖν αὐτό; (Tribus his locis potest legi ὅτι vel ὅ τι, hoc probabilius).

Conclusio. Omissis, ut minus probabilibus, sententiis sex prioribus, septimam et octavam ut probabiliores accipimus, ita ut ad octavam magis inclinemur.

De hac quaestione vide Lücke, qui eam plenissime pertractat et etiam alias sententias quasdam discutit.

V. 26. Patrizi : « Vos quidem velletis ut plura de *me* dicerem; ast ipse e contrario MULTA HABEO DE VOBIS LOQUI » ET IUDICARE, condemnare; SED abstineo, unum adverto, vos esse reos incredulitatis : siquidem QUI ME MISIT VERAX EST, ET EGO QUAE AUDIVI AB EO, HAEC, et non alia LOQUOR IN MUNDO,

Digitized by Google

ad mundum, εἰς τὸν κόσμον. — Mundus hoc loco sumitur, non malo sensu, sed pro hominum universitate. Christus, qua homo, loquitur mundo quae audivit qua Deus de Deo.

V. 27. ET NON COGNOVERUNT QUIA PATREM EIUS DICEBAT DEUM. Aliter in graeco : ὅτι τὸν πατέρα αὐτοῖς ἔλεγεν, quod de Patre ipsis loquebatur. Etiam antiquissimi et praestantissimi codices Vulgatae omittunt vocem DEUM. — Qui ignorabant Jesum de Patre suo loqui tamquam a quo missus esset, alii profecto erant ab iis de quibus in praecedenti sermone, versiculis 16. 18. 19.

V. 28..... CUM EXALTAVERITIS FILIUM HOMINIS, id est cum in crucem erexeritis. Graece ὑψώσητε hunc sensum non videtur innuere; sed Jesus aramaice loquens dixerit תִּזְקְפוּן, a verbo זקף, *erexit*, *sustulit*, et in specie, *crucifixit*. Hinc זְקִיפָא *(zekipha)*, ***crux***. Igitur ambigue loquens Christus mortem suam cruentam hoc loco praedixit. — Confirmatur et certus fit iste sensus ex Jo. 3, 14 : *Sicut Moyses exaltavit serpentem ... ita exaltari oportet Filium hominis*; et 12, 32. 33 : *Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.* — Aliqui interpretes putant Christum his verbis simul voluisse crucis suae gloriam praedicere; at sine solido fundamento. — TUNC COGNOSCETIS QUIA EGO SUM Messias, Filius Dei. Vaticinium impletum vide Luc. 23, 48; Act. 2, 37; Matth. 28, 12-15; et deinceps, praedicantibus apostolis, coeperunt multi Judaeorum in Christum credere. — ET A MEIPSO FACIO NIHIL ... Ad explicationem vide comment. in Jo. 5, 19 sq.

V. 29. ET QUI MISIT ME, MECUM EST, me hominem assidua tutela protegens, ET NON RELIQUIT ME SOLUM (idem aliis verbis). — QUIA QUAE PLACITA SUNT EI FACIO SEMPER : en ratio cur Pater semper mecum sit. — Nota hunc versiculum non pendere a *cognoscetis quia* (v. 28), sed absolutam enuntiationem exprimere.

Digitized by Google

Pharisaei filii diaboli

30. *Haec illo loquente, multi crediderunt in eum.* 31. *Dicebat ergo Iesus ad eos, qui crediderunt ei, Iudaeos : Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis :* 32. *Et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* 33. *Responderunt ei : Semen Abrahae sumus, et nemini servivimus unquam : quomodo tu dicis : Liberi eritis?* 34. *Respondit eis Iesus : Amen, amen dico vobis : quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* 35. *Servus autem non manet in domo in aeternum : filius autem manet in aeternum.* 36. *Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis.* 37. *Scio quia filii Abrahae estis : sed quaeritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.* 38. *Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor : et vos quae vidistis apud patrem vestrum, facitis.* 39. *Responderunt, et dixerunt ei : Pater noster Abraham est. Dicit eis Iesus : Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite.* 40. *Nunc autem quaeritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo, hoc Abraham non fecit.* 41. *Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei : Nos ex fornicatione non sumus nati : unum patrem habemus Deum.* 42. *Dixit ergo eis Iesus : Si Deus pater vester esset : diligeretis utique me. Ego enim ex Deo processi, et veni : neque enim a meipso veni, sed ille me misit.* 43. *Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.* 44. *Vos ex patre diabolo estis : et desideria patris vestri vultis facere ; ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit : quia non est veritas in eo : cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater eius.* 45. *Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi.* 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* 47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non*

Digitized by Google

estis. 48. Responderunt ergo Iudaei, et dixerunt ei : Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et daemonium habes? 49. Respondit Iesus : Ego daemonium non habeo : sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me. 50. Ego autem non quaero gloriam meam : est qui quaerat, et iudicet.

V. 30. HAEC ILLO LOQUENTE, et evolvente, MULTI, etiam inter Judaeos (v. 31) CREDIDERUNT IN EUM, aliis incredulis remanentibus. Hinc duae classes.

V. 31. SI VOS MANSERITIS IN SERMONE MEO, constantes remanseritis in fide quam nunc verbis meis habetis, VERE, non specie tantum, DISCIPULI MEI ERITIS. Intellege fidem vivam, operosam, ut satis elucet ex aliis locis, v. g. Jo. 3, 19-21 etc.

V. 32. ET COGNOSCETIS VERITATEM revelationis supernaturalis : haec enim per fidem Christi cognoscitur. — ET VERITAS LIBERABIT VOS a servitute peccati (v. 34), et liberatos transferet in statum filiorum Dei. Fides radix est justificationis, quam is qui credit consequitur per infusam gratiam sanctificantem.

V. 33. RESPONDERUNT EI ex iis qui increduli remanserant : SEMEN ABRAHAE SUMUS, ac proinde genere ingenui et liberi, ET NEMINI SERVIVIMUS UNQUAM, adeoque nunquam fuimus in servitutem redacti...

V. 34. Explicat Jesus se loqui de servitute peccati (cf. Rom. 6, 16-18; 5, 21) et tacite eos servos dicit.

V. 35. Pergit Christus in allegorico sermone. SERVUS AUTEM NON MANET IN DOMO heri sui IN AETERNUM, seu perpetuo, quippe quem herus pro libitu expellere potest; FILIUS AUTEM MANET IN AETERNUM, perpetuo jure manet in domo patris, atque adeo paternae domus heres est. — At quorsum haec? Videtur sermo iste Christi comminatorius et, quamvis ut generale principium enuntiatus, alludere tamen ad *Ismaelem servum*, qui in domo heri sui Abrahae non mansit perpetuo sed cum matre Agar expulsus fuit, et ad *Isaac filium*, qui remansit per-

Digitized by Google

petuo. « Similis ergo sors vestra futura quae fuit Ismaelis. » — Hinc Jesus transit ad sermonem exhortatorium :

V. 36. SI ERGO VOS FILIUS (Dei, utique, cum agatur de mansione in domo Dei) LIBERAVERIT a peccati servitute, VERE, perfecte LIBERI ERITIS. Filius *veritas* est : hinc concordia inter v. 32 et 36. — Cf. Gal. 4, 22. 30. 31, qui locus videtur loci nostri quasi commentarius.

V. 37. Resumit Christus responsum Judaeorum v. 33, illudque ad trutinam revocat. SCIO QUIA FILII ABRAHAE ESTIS, carne scilicet; sed num etiam spiritu? Sub hoc respectu ostendit eos germanos Abrahae filios non esse, quia, homicidium injuste in Jesum molientes, Abrahae mores non imitantur, sed potius mores diaboli, qui ab initio mendax et homicida fuit (in paradiso scilicet). Mendacium diaboli imitantur, quia Jesum annuntiantem ipsis veritatem quam à Deo Patre accepit, audire et credere pertinaciter renuunt. — QUIA SERMO MEUS NON CAPIT IN VOBIS, οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν, *locum non invenit in vobis* (χωρέω, *capio*, *capax sum*). Gallice ad literam omnino : *ma parole ne prend pas en vous.*

V. 38. QUOD VIDI, quod accepi. — APUD PATREM VESTRUM : *diabolum* intendit, de quo v. 44°. Cf. comment. ad Jo. 5, 19. 20.

V. 39. Ita graece : *Si filii Abrahae essetis, opera Abrahae faceretis*, ἐποιεῖτε ἄν.

V. 40 patet.

V. 41. Intellegunt Judaei Jesum sermonem facere de ipsorum filiatione in ordine morali, et cogitant Jesum ipsos idololatriae forte accusare : nam idololatria israelitica saepe in prophetis fornicatio dicitur. Ita intellegendos esse ostendit quod addunt : UNUM PATREM HABEMUS DEUM. Cf. Jer. 3, 1-14; Ezech. 16, 15 sq.; Os. 2, 4. 5.

V. 42. Id tamen facto probant non ita se habere. Nam SI DEUS, inquit, PATER VESTER ESSET, DILIGERETIS UTIQUE ME, Filium ejusdem Patris vestri.

Digitized by Google

V. 43. ... NON COGNOSCITIS : non agnoscitis ut loquelam legati et Filii Dei, QUIA NON POTESTIS AUDIRE SERMONEM MEUM : ob mores vestros corruptos et falsam, quam habetis, de Messia opinionem, aures vestrae refugiunt doctrinam meam.

V. 44. Jam Christus suam mentem planam facit : VOS EX PATRE DIABOLO ESTIS, et statim probat : similes enim ei estis, homicidae, mendaces. — IN VERITATE NON STETIT, οὐχ ἕστηκεν, quod statum permanentem sonat; nam tempus perfectum ἕστηκα in graecitate cum sacra tum profana (cf. Matthiae, § 211) sensum habet praesentis, *consisto*. Exempla sint ex N. T. : Matth. 16, 28; 20, 6; Luc. 1, 11; 8, 20; Jo. 1, 26; 3, 29; Act. 1, 11; 7, 33. Semel tantum, Apoc. 12, 4, venit sensu imperfecti, nusquam sensu praeteriti. Igitur hoc loco vertendum foret : et in veritate non versatur (actibus suis). Et ratio est QUIA NON EST VERITAS IN EO, nullus in ejus mente veritati locus est : corrupta natura sua a veritate abhorret. Sed, e contrario, CUM LOQUITUR MENDACIUM, EX PROPRIIS mentis suæ conceptibus LOQUITUR, nam insita indole sua MENDAX EST, ET PATER EIUS, id est, et pater *mendacii* (vel mendacis). αὐτοῦ alii referunt ad τὸ ψεῦδος, alii ad ψεύστης. Hoc suadetur ex eo quod ψεύστης est nomen propinquius, et quod sic redit ad conceptum suum Christus, Judaeos, utpote *mendaces*, patrem habere diabolum. Priori tamen modo intellegunt omnes versiones antiquae. Difficile dictu est quid in hac re intenderit evangelista (1). — Evidens allusio ad lapsum protoparentum, quos serpens mendacio decepit et occidit. Cf. Apoc. 20, 2; Rom. 5, 12; Apoc. 12, 9. — Hinc probatur serpentem paradisi fuisse diabolum.

Nota. Totum hunc versiculum longe alio modo exponit Hilgenfeld *(Einleit. in das N. T.*, p. 725) : *Vos ex patre diaboli estis*, ὑμεῖς ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διάβόλου ἐστὲ... *ex propriis loqui-*

(1) Vide Beelen, Gramm. graec. N. T., p. 142, 2.

Digitized by Google

tur, quoniam etiam pater ejus mendax est, ὅτι ψεύστης ἐστὶ καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ. Patrem autem diaboli contendit ab auctore quarti evangeli cogitatum fuisse Jaldabaoth, demiurgum et deum Judaeorum, quem utique gnostici ophitae faciebant patrem serpentis (Iren., Haer., 1, 30, 8; 1, 5, 4 et Epiphan., Haer., 38, 4). Sed et Valentiniani diabolum dicunt esse κτίσμα τοῦ δημιουργοῦ. Unde confirmat Hilgenfeld auctorem quarti evangelii gnosticis doctrinis fuisse imbutum.

Ad hanc expositionem defendendam afferri possunt sequentes ***Rationes.*** 1) Duplex articulus, ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου, qui contra auctoritatem textus recepti (ἐκ πατρὸς τοῦ διαβόλου) hic procul dubio legendus est, obvium sensum praebet : *ex patre diaboli.* — 2) Ultimum membrum, ὅτι ψεύστης ἐστὶ καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ, nisi exponatur sicut ab Hilgenfeld, constructionem praeferret obscuram et violentam, cum pronomen *αὐτοῦ* ad nullum nomen determinatum congrue valeat referri : ψεύστης enim indeterminatum est, et τὸ ψεῦδος nimis est remotum. — 3) Comparatio cum placitis gnosticorum talem conceptum in mente evangelistae bene explicat.

***Contra est** a)* Contextus : tota enim ratiocinatio Christi eo tendit, ut ostendat Judaeos non Deum sed diabolum habere patrem : adeoque alter ille genitivus, τοῦ διαβόλου, interpretandus est non ut ab altero, τοῦ πατρὸς, dependens, sed ut ei appositus. Secus sequeretur tantum Judaeos esse *fratres* diaboli. Item parum ad rem facit qualis sit pater diaboli, sed qualis ipse : *mendax, et pater mendacis* (vel *mendacii*). — *b)* Testimonium antiquarum versionum : Vulgatae; syriacae Peschito, quae sic habet : ܐܢܬܘܢ ܡܢ ܐܒܐ ܐܟܠܩܪܨܐ ܐܢܬܘܢ, *Vos ex patre diabolo estis*, absque signo regiminis ܕ ante ܐܟܠܩܪܨܐ, et in fine versiculi : *quoniam mendax ipse, etiam pater ejus* ܐܦ ܐܒܘܗ̇, cum suffixo feminino ܗ̇ (masculinum foret ܘܗܝ),

adeoque sensu, *etiam pater mendacii (mendacium*, ܕܓܠܘܬܐ, nomen femininum); item aethiopica : *Vos ex patre diabolo, ... mendax est et pater ejus (mendacii)*. — *c)* persuasio Judaeorum, diabolum spiritualis esse naturae, cujus proinde nullus possit pater cogitari. Cf. Matth. 8, 16; 10, 1; Act. 10, 38; Eph. 6, 12.

Respondetur ad argumenta : ad 1) Contextus magis obvium facit alterum sensum : quis enim hic exspectet commemorari patrem diaboli? Duplex articulus per hebraismum potest explicari (מִן הָאָב הַשָּׂטָן). — ad 2) Etiam alibi Joannes adhibet pronomen αὐτοῦ, sine relatione perspicua ad nomen determinatum in superiori phrasis membro enuntiatum : v. g. 1 Jo. 2, 12; 2, 27. Ergo et hoc loco similis relatio rejici non debet. — ad 3) Apud Joannem Deus Judaeorum est ipse Pater Christi (2, 16; 8, 54), quomodo eum faceret patrem diaboli?

V. 45. EGO AUTEM SI (ὅτι, *quia)* VERITATEM DICO, NON CREDITIS MIHI, et ita probatis vos filios patris mendacii.

V. 46. Ad veritatem doctrinae suae vindicandam provocat nunc Jesus ad suam *impeccantiam* : QUIS EX VOBIS ARGUET ME DE PECCATO? Mira sane provocatio, quam sola sanctitas infinita absque blasphemia (plenissimo saltem sensu) efferre potest? Conclusio in promptu est : si me noveritis omni peccato immunem, ergo mendacem me esse non potestis suspicari. — Potuissent quidem Judaei ei objicere peccatum violati sabbati et blasphemiae; sed utrumque crimen evanescebat si Jesus erat Filius Dei : sermo igitur Jesu procedebat de actionibus quae absolute peccaminosae fuissent et ideo qualitati Filii Dei repugnassent. — Ergo, ait, QUARE NON CREDITIS MIHI? Et statim

V. 47. ipse respondet : QUIA EX DEO NON ESTIS, cum opera Dei non faciatis, ut v. 41. 42, et quia QUI EX DEO EST, VERBA DEI AUDIT corde docili; qui autem ex Deo non est, ut vos, verba Dei, adeoque verba mea, non audit. Inde incredulitas vestra.

V. 48. Judaei, non habentes quod respondeant, in opprobria

Digitized by Google

prorumpunt : SAMARITANUS ES TU, ET DAEMONIUM HABES. Samaritanum vocant gratuito convicio, quia Judaei Samaritanos summo tunc odio prosequebantur. Cf. Jo. 4. 9; Eccli. 50, 28. Ad hoc convicium igitur Jesus respondere dedignatur; sed

V. 49. ad alterum respondet simplici negatione. Daemonium eum habere dixerant ob Christi dicendi fervorem et emphasim, cujus jam reddit rationem : HONORIFICO PATREM MEUM : hinc tantus ardor meus, ET VOS INHORASTIS, graece ἀτιμάζετε, *inhonoratis me*, *vous m'injuriez*. Haec dixisse contentus :

V. 50. EGO AUTEM NON QUAERO GLORIAM MEAM. Id est : Meum non est de hac injuria mihi illata vindictam sumere, juxta hebraismum in verbo *quaero*, דרש, *vindico*, (utrumque enim significat). Ita ob statim sequentia : EST QUI QUAERAT (vindicet) ET IUDICET, condemnet inhonorantes me. Allusio ad Deut. 18, 19, ubi adhibetur verbum אֶדְרֹשׁ, *ultor existam*.

Jesus Abrahamo major

51. ***Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.*** **52.** ***Dixerunt ergo Iudaei : Nunc cognovimus quia daemonium habes. Abraham mortuus est, et prophetae : et tu dicis : Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in aeternum.*** **53.** ***Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? et prophetae mortui sunt. Quem teipsum facis?*** **54.** ***Respondit Iesus : Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est : est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est.*** **55.** ***Et non cognovistis eum : ego autem novi eum : et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, et sermonem eius servo.*** **56.** ***Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum : vidit, et gavisus est.*** **57.** ***Dixerunt ergo Iudaei ad eum : Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?*** **58.** ***Dixit eis Iesus :***

Digitized by Google

Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.* 59. *Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum : Iesus autem abscondit se, et exivit de templo.

V. 51. Jesus rursus sermonem dirigit ad credentes, de quibus v. 31. 32, quem sermonem increduli v. 33° interruperant. Duo bona v. 31. 32 in se credentibus jam promiserat : perfectum discipulatum et libertatem a servitute peccati; tertium, omnium culmen, nunc addit : SI QUIS SERMONEM MEUM SERVAVERIT, eum fide credendo et opere exsequendo (idem ac supra : *si vos manseritis in sermone meo)* MORTEM NON VIDEBIT IN AETERNUM, sed in aeternum beata vita fruetur.

V. 52. Rursus interrumpunt Judaei increduli, malitiose fingentes se intellegere de morte corporali : ... DAEMONIUM HABES, insano agitaris spiritu (cf. 10, 20). Discipulis tuis majora promittis quam quae Abrahae et prophetis contigerunt!... QUEM TE IPSUM FACIS? « Quanta jactantia! »

V. 54. Responsio Jesu indirecta primum. SI EGO CLORIFICO ME IPSUM, GLORIA MEA NIHIL EST : ita per figuram concessionis. — EST PATER QUI GLORIFICAT ME, QUEM VOS DICITIS QUIA DEUS VESTER EST, et putatis hunc Deum vestrum probe cognoscere, at

V. 55. NON COGNOVISTIS EUM qua Patrem unigeniti Filii etc...; vel melius, non novistis scientia practica. Haec expositio fit valde probabilis ex contextu : ET SERMONEM EIUS SERVO, et praecipue ex 1 Jo. 2, 3. 4 : *Et in hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata eius observemus. Qui dicit se nosse eum, et mandata eius non servat, mendax est...* Ibi ipse Joannes nostrum locum explicare videtur.

V. 56. Incipit responsio directa : Abrahamo se esse majorem. ABRAHAM ... EXULTAVIT UT VIDERET DIEM MEUM : VIDIT ET GAVISUS EST.

Ad haec nota 1) DIES CHRISTI est tempus quo peragitur my-

Digitized by Google

sterium incarnationis (non passionis, ut vult Chrysost.). — 2) EXULTAVIT gaudio (ita enim semper ἀγαλλιάω), ubi per vaticinia sibi facta novit hoc mysterium futurum, id est Messiam ex semine suo oriturum seque hoc tempus visurum. — 3) VIDIT, quando? ubi? Juxta Hengstenberg, dum viveret in terra vidit Verbum in Mambre externa specie sibi apparens (Gen. 18). Confirmatur ex eo quod SS. Patres veteres constanter docent, *Filium* in theophaniis veteris testamenti apparuisse, idque aliquo saltem modo ipsa vetus Synagoga tenebat (vide comm. in Jo. 1. 1); et ex modo quo Christus v. 58 respondet. — Alii, ut Lucas Brug., exponunt de revelatione facta Abrahae in limbis tempore Christi degenti. Hoc probabilius : nam apparitio, de qua Gen. 18, non erat *dies Christi*, neque haec Abrahae promissa fuerat. — 4) Dicit se Jesus objectum summae laetitiae Abrahae : ergo se Abrahamo majorem, digniorem.

V. 57. Iterum perperam contorquent verba Jesu, quasi se Abrahamo coaetaneum pronuntiasset : QUINQUAGINTA ANNOS NONDUM habes (1)...

V. 58. Sollemni modo, cum formula assertoria respondet eis Jesus.., πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, non ἐγὼ ἐγενόμην, sed ἐγὼ εἰμί Quibus verbis luce clarius revelat, sibi praeter naturam humanam aliam competere, qua Abrahamo anterior sit. Talis autem exsistendi modus uni Deo de facto proprius fuisse constat. Accedit quod Jesus, dicendo EGO SUM, aeternitatis immobilem exsistentiam sibi non obscure adjudicat. Eximium sane divinitatis Christi argumentum.

V. 59. Ita omnino intellexerunt Judaei : ideo, ut alias, Jesum ut blasphematorem lapidare parant. TULERUNT ERGO LAPIDES... — IESUS AUTEM ABSCONDIT SE, turbae se commiscendo forte, ET EXIVIT DE TEMPLO. Jesum se per miraculum invisibilem

(1) Ex his verbis S. Irenaeus opinatus est Jesum circiter 50 annos vixisse (Haer., 2, 39, 40).

Digitized by Google

fecisse non adeo videtur probabile, quia exivisse de templo dicitur.

APPENDIX

Paraphrasis exegetica Jo. VIII, 12-58

Iterum ergo locutus est Judaeis Jesus, dicens : Ego sum lux mundi (homines gratia supernaturali fidei illustrans). Qui sequitur me credendo, non ambulat in tenebris (ignorantiae et peccati), sed habebit lumen ad vitam aeternam conducens. Dixerunt ei pharisaei : Tu jam de teipso testimonium praebes : testimonium ergo tuum nullam fidem jure meretur. Respondit eis Jesus : Quamvis ego testimonium perhibeam de meipso, verum est testimonium meum (et ut tale recipi debet), quia scio unde venerim et quo vadam (scio me Filium Dei, adeoque venisse a Deo et ad eum reversurum per ascensionem : adeoque me scio a Deo omnis veritatis fonte ea quae loquor haurire) : vos autem (divinam meam generationem non credentes) nescitis unde veniam aut quo vadam. Vos secundum carnem (secundum id quod naturae vestrae corruptae oculis apparet, me ut impostorem) condemnatis : ego autem neminem condemno (in hoc priori meo adventu, qui non est nisi ad salutem mundi ordinatus). Et etiamsi ego aliquem condemnarem, justum in hoc proferrem judicium, quia in eo proferendo non solus agerem, sed ego et qui misit me Pater.

(Sed ut jam ad valorem testimonii mei redeam), in ipsa lege vestra scriptum est, duorum hominum testimonium pro vero haberi. Tale autem ego vobis propono : Ego sum qui (ut Deus) testimonium perhibeo de meipso (ut de homine), et testimonium perhibet de me qui misit me Pater. Dicebant ergo ei : Ubi est Pater tuus (quem dicis tecum esse testem)? Respondit Jesus : Neque me nostis (qua Filium Dei) neque Patrem meum (qua talem). Si me cognosceretis, procul dubio etiam cognosceretis Patrem meum.

Digitized by Google

Haec verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo : et nemo (quantumvis multi cuperent) apprehendit eum, quia nondum venerat hora ejus (a Patre praedefinita, qua se sponte inimicis permitteret).

Dixit ergo iterum eis Jesus (alia occasione) : Ego vado (mundum per mortem meam relinquens), et quaeretis me (in excidii nationis vestrae angustiis adjutorem), et in peccato vestro incredulitatis moriemini (morte animae simul et corporis). Quo ego vado, in caelum, vos non potestis venire. Dicebant ergo Judaei : Numquid interficiet semetipsum (et ita sponte ex hoc mundo discedet), quia dixit : Quo ego vado vos non potestis venire? Dixit eis Jesus : Vos de deorsum, de terra, estis, ego de supernis, de caelo, sum; vos de mundo hoc perverso estis, ego non sum de illo mundo. Dixi utique vobis, morituros vos in peccato vestro : si enim non credideritis esse ME (Messiam), moriemini in peccato vestro incredulitatis. Dixerunt ergo ei : Tu quis es? Dixit eis Jesus : Omnino, quid est quod adhuc etiam vos alloquar?! Multa habeo dicenda de vobis (qui me de meipso, quis sim, interrogatis) et condemnanda (sed abstineo : satis sit mihi haec dixisse) : Ille qui me misit verax est : et ego quae audivi ab eo, haec loquor ad mundum. Et non intellexerunt Jesum haec dicere de Patre suo. Dixit ergo eis Jesus : Cum in crucem exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis esse ME (Messiam), et me a meipso nihil facere (sed omnia a Patre operari), et sicut docuit me Pater ita me loqui. Pater namque, qui misit me, mecum est, et non relinquit me solum (sed in omnibus mecum agit), quia ego quae placita sunt ei facio semper.

Haec illo loquente multi crediderunt in eum. Dixit ergo Jesus ad eos qui crediderunt ei Judaeos : Si vos manseritis in illa fide quam habetis sermoni meo, vere et perfecte discipuli mei eritis; et cognoscetis veritatem et veritas liberabit vos (a servitute). Responderunt ei aliqui ex iis qui increduli remanserant : Nos Abrahae sumus libera progenies, et nemini servivimus unquam :

Digitized by Google

quomodo tu dicis : Liberi eritis? Respondit eis Jesus : Vere dico vobis : omnis qui facit peccatum servus est peccati. Servus autem non manet perpetuo in domo heri sui (sed ab eo pro libitu potest expelli); filius autem manet perpetuo in domo patris. (Ergo servitus maxime formidanda vobis, libertas filialis valde optanda). Si ergo, ut modo insinuabam, Filius vos liberaverit, vere liberi eritis. Scio vos esse filios Abrahae (secundum carnem); sed quaeritis me interficere, quia sermo meus non invenit locum in vobis. Ego quod vidi (et didici) apud Patrem meum, loquor; et vos quae vidistis (et didicistis) apud patrem vestrum (cujus filios per mores vestros vos probatis), ea facitis. Responderunt ei : Pater noster Abraham est. Dixit eis Jesus : Si filii Abrahae essetis (non carne modo, sed et spiritu), opera Abrahae faceretis. Nunc autem quaeritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo : hoc Abraham non fecit. (Ergo immerito vos dicitis ejus filios). Vos facitis opera veri patris vestri. Dixerunt itaque ei : Nos idololatriae fornicatio non genuit falsorum numinum filios; unum patrem habemus, Deum. Dixit ergo eis Jesus : Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me : ego enim ex Deo processi et veni : neque enim a me ipso veni, sed ille me misit (unde neque Deum patrem habetis). Quare doctrinam meam non agnoscitis (uti divini legati)? Quia non (nisi aegre) potestis audire sermonem meum. Vox ex patre diabolo estis et desideria patris illius vestri vultis opere exsequi. Ille homicida erat ab initio (in paradiso generi humano mortem inferens) et in veritate non versatur (qui mendacio seduxit Evam), quia non est veritas in eo : cum scilicet loquitur mendacium, ex proprio fonte loquitur, quia mendax est et pater mendacii. Talem vos auditis. Ego autem si veritatem dico vobis, non creditis mihi. Quis ex vobis arguet me de peccato? (Sane id nemo vestrum audeat; adeoque neque arguere me potestis mendacii). Si ergo veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei (qualia mea sunt) audit; vos autem ideo non

Digitized by Google

auditis (verba mea, quae sunt verba Dei), quia ex Deo non estis.

Responderunt ergo ei Judaei : Nonne bene dicimus Samaritanum (hominem vilissimum) te esse, et a daemonio agitari insano spiritu? Respondit Jesus : Ego daemonium non habeo, sed, ea loquendo, honoro patrem meum, vos autem contumelia me (gratis) afficitis. Ego autem non inquiro ultionem violati honoris mei : est qui eam ultionem sumat et conviciatores condemnet (Pater meus).

Vere dico vobis : Si quis sermonem meum (fide et opere) servaverit, non morietur unquam. Dixerunt ergo ei Judaei : Nunc manifestum nobis est te a daemonio insania agitari : Abraham mortuus est, et prophetae mortui sunt; et tu dicis : Si quis sermonem meum servaverit, non morietur unquam! Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est? Sed etiam prophetae mortui sunt. Quem teipsum facis? Respondit Jesus : Si EGO gloriam meam quaero et proclamo, gloria mea nihil est : est PATER meus, qui gloriam meam proclamat, quem vos ipsi dicitis esse Deum vestrum (adeoque dignum qui credatur). At non novistis eum. Ego autem novi eum : et si dicerem me eum nescire, forem similis vobis, mendax. Sed scio eum, et sermonem ejus (mandatum quod dedit mihi) servo. — Abraham pater vester gaudio exsultavit, spe videndi diem meum (tempus quo perageretur mysterium incarnationis meae) : vidit eum (in limbis accepta revelatione), et gavisus est. Dixerunt ergo Judaei ad eum : Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? Dixit eis Jesus : Vere dico vobis : antequam Abraham fieret, ego sum.

Digitized by Google

SCHOLION DOGMATICUM

A) Hoc caput plura suppeditat argumenta pro ***divinitate*** Christi : 1) v. 18°, testimonium ***duorum***, ad quod Christus pro sua veracitate provocat, duas in eo naturas supponit. — 2) v. 14° Christus omnimodam veracitatem suam deducit ex origine sua : exercite ergo asserit se esse Deum de Deo. — 3) v. 28° identica supponitur Christi et Patris ejus Dei esse operatio : a *meipso facio nihil*. Ergo et identica natura divina. — 4) v. 58° Christus, dum sibi tribuit exsistendi aeternitatem, eo ipso se Deum proclamat : est enim in Scriptura exsistendi aeternitas attributum soli Deo proprium.

B) De actione ***diaboli.*** 1) Versus 44 clare ostendit, serpentem, qui capite III Geneseos Evam tentasse legitur, fuisse a diabolo actum. — 2) Ex versibus 48 et 52, collatis cum Jo. 10, 20 : *Daemonium habet, et insanit*, aliisque similibus locis, insinuat Jahn (Archaeologia biblica, § 192 sq.) sibi placere opinionem quae tenet, omnes daemoniacos, ita in evangeliis, Actis apostolorum etc. vocatos, non fuisse revera a daemonibus possessos, sed fatuos fuisse furiosos, quorum phrenesis actioni diabolicae vulgo tribueretur. — At, quamvis haec explicatio posset tribus supra indicatis versiculis aptari, aliis certe Scripturae locis nimis aperte repugnat, v. g. Marc. 5, 2 sq. et Luc. 8, 27 sq., ubi leguntur daemones, egressi ex homine, invadere gregem porcorum. Item modus quo Christus energumenos alloquitur prodit ejus intimam persuasionem, miserorum illorum corpora fuisse vere a daemonibus possessa. Cf. Marc. 5, 8-12.

C) Non pauci interpretes ex versiculo 44 : *et in veritate non stetit* argumentum desumunt ad probandum lapsum angelorum rebellium. Ita S. Augustinus : « Ergo in veritate fuit, sed non stando cecidit, et de veritate lapsus est. » Verum textus graecus ostendit hujusmodi argumentum nullum esse, quum ἕστηκε sen-

Digitized by Google

sum temporis praesentis habeat, adeoque indicet tantum statum praesentem diaboli, nihil insinuando statum pristinum meliorem In vulgata porro *stetit* exponendum est *stat*, *consistit*, sicut Jo. 1, 26.

SCHOLION ASCETICUM

1) V. 47 praebet optimum argumentum quo fideles ad audiendum verbum Dei stimulentur.

2) V. 34 : *Omnis qui facit peccatum servus est peccati.* Ex quo Christi effato optime exordietur contionator ad miseram peccatoris sortem describendam.

3) Totus dialogus de *filiis Abrahae et diaboli* congrue peccatoribus applicabitur. Illius quippe sumus cujus opera facimus.

4) Ex verbis et actis Judaeorum, qualia toto hoc capite referuntur, apparet quanta sit hominum prava superbia occupatorum animi obduratio.

Digitized by Google

CAPUT IX

Argumentum. Jesus sanat caecum natum, et quidem sabbato (1-7). — Hinc in turba admiratio (8-12). — Altercatio pharisaeos inter et eum qui caecus fuerat hujusque parentes; ejicitur e synagoga (13-34). — Jesus caeco a se illuminato se Filium Dei revelat (35-38). — Et pharisaeis duritiam cordis exprobat (39-41).

Sanatio caeci nati

1. *Et praeteriens Iesus vidit hominem caecum a nativitate.*
2. *Et interrogaverunt eum discipuli eius : Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes eius, ut caecus nasceretur?* 3. *Respondit Iesus : Neque hic peccavit, neque parentes eius : sed ut manifestentur opera Dei in illo.* 4. *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est : venit nox, quando nemo potest operari.* 5. *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* 6. *Haec cum dixisset, exspuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos eius.* 7. *Et dixit ei : Vade, lava in natatoria Siloe (quod interpretatur Missus). Abiit ergo, et lavit, et venit videns.*

Praedictum fuerat de Messia eum fore *lucem* illuminantem homines sedentes in tenebris (ignorantiae et peccati). Cf. Num. 24, 17; Ps. 96 (97), 11; Is. 9, 2; 49, 6; 60, 1-3; Hab. 3, 4; Luc. 2, 32. Nil mirum igitur quod Joannes cum omni sollicitudine idipsum in Jesu adimpletum fuisse ostenderit. Cf. Jo. 1, 4. 5. 8. 9; 8, 12; 9, 5. 39. His in locis tum ipse evangelista Jesum, tum Jesus semetipsum asserit esse lucem mundi. Cujus asserti veritatem, ceu pignus sensibile, egregie demonstavit sanatio caeci nati, quam ideo Joannes minutatim describit et omnibus lectoribus suis evidentem efficit.

Digitized by Google

V. 2. 3. Erronea discipulorum opinio duplex, quam corrigit Jesus, asserens caecitatem istam neque in peccatorum ipsius neque in parentum peccati poenam ei obvenisse, SED UT MANIFESTENTUR OPERA DEI IN ILLO : ideo caecus natus est ut (per sanationem ejus divinitus factam) Deus in eo gloriose manifestetur.

V. 4. Secundum Dei Patris voluntatem debeo praedicando et miracula patrando OPERARI OPERA EIUS, DONEC DIES EST vitae meae mortalis; VENIT, mox aderit NOX mortis meae, QUANDO NEMO POTEST OPERARI, opera hominis intellege.

V. 5. QUAMDIU (graece ὅταν, *quando)* SUM IN MUNDO, ibi ut homo agens, LUX SUM MUNDI per doctrinam et miracula. Ideo vocavit *diem* tempus vitae suae mortalis, *noctem* tempus quo terram per mortem relinquet. His verbis apte praeludit Jesus ad illuminationem caeci nati, quam mox, ceu symbolum vel pignus spiritualis hominum illuminationis, operaturus est.

V. 6. Miraculum certo fuit, probabilius quoad substantiam, et saltem quoad modum : instantanea enim fuit curatio nullo adhibito proportionato remedio. — Delirant profecto rationalistae aliqui qui factum ibi mere psychologicum vident, vividam scilicet fiduciam visum huic caeco tribuisse. Nam *a)* de simili fiducia nihil refert evangelista. — *b)* fiducia quantacumque simile quid nunquam subito produxit. — *c)* unde certe ipsa talis ac tanta fiducia miraculo tribuenda esset.

V. 7. SILOE, nomen hebraicum שִׁילוֹחַ vel שִׁלוֹחַ, forma adjectivi participialis a שלח, *misit.* Cur haec interpretatio addita? Sunt qui putent his voluisse Joannem innuere, Jesum *misisse* eo caecum intentione symbolica, ut doceret se *missum* a Deo ad mundum illuminandum??

Prodigii effectus in turbam

8. ***Itaque vicini, et qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant : Nonne hic est, qui sedebat, et mendicabat? Alii dicebant : Quia hic est.*** **9.** ***Alii autem : Nequaquam, sed similis***

Digitized by Google

est ei. Ille vero dicebat : Quia ego sum. 10. *Dicebant ergo ei : Quomodo aperti sunt tibi oculi?* 11. *Respondit : Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit : et unxit oculos meos, et dixit mihi : Vade ad natatoria Siloe, et lava. Et abii, et lavi, et video.* 12. *Et dixerunt ei : Ubi est ille? Ait : Nescio.*

Interpretatione non indigent.

Prodigii effectus in pharisaeos

13. *Adducunt eum ad Pharisaeos, qui caecus fuerat.* 14. *Erat autem sabbatum quando lutum fecit Iesus, et aperuit oculos eius.* 15. *Iterum ergo interrogabant eum Pharisaei quomodo vidisset. Ille autem dixit eis : Lutum mihi posuit super oculos, et lavi, et video.* 16. *Dicebant ergo ex Pharisaeis quidam : Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Alii autem dicebant : Quomodo potest homo peccator haec signa facere? Et schisma erat inter eos.* 17. *Dicunt ergo caeco iterum : Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit : Quia propheta est.* 18. *Non crediderunt ergo Iudaei de illo, quia caecus fuisset et vidisset, donec vocaverunt parentes eius, qui viderat :* 19. *Et interrogaverunt eos, dicentes : Hic est Filius vester, quem vos dicitis quia caecus natus est? Quomodo ergo nunc videt?* 20. *Responderunt eis parentes eius, et dixerunt : Scimus quia hic est filius noster, et quia caecus natus est :* 21. *Quomodo autem nunc videat, nescimus : aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus : ipsum interrogate : aetatem habet, ipse de se loquatur.* 22. *Haec dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudaeos : iam enim conspiraverant Iudaei, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.* 23. *Propterea parentes eius dixerunt : Quia aetatem habet, ipsum interrogate.* 24. *Vocaverunt ergo rursum hominem, qui fuerat caecus, et dixerunt ei : Da gloriam Deo : nos scimus quia hic homo peccator est.* 25. *Dixit ergo eis*

Digitized by Google

ille : Si peccator est, nescio : unum scio, quia caecus cum essem, modo video. 26. *Dixerunt ergo illi : Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?* 27. *Respondit eis : Dixi vobis iam, et audistis : quid iterum vultis audire? numquid et vos vultis discipuli eius fieri?* 28. *Maledixerunt ergo ei, et dixerunt : Tu discipulus illius sis : nos autem Moysi discipuli sumus.* 29. *Nos scimus quia Moysi locutus est Deus : hunc autem nescimus unde sit.* 30. *Respondit ille homo, et dixit eis : In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, et aperuit meos oculos.* 31. *Scimus autem quia peccatores Deus non audit : sed si quis Dei cultor est, et voluntatem eius facit, hunc exaudit.* 32. *A saeculo non est auditum quia quis aperuit oculos caeci nati.* 33. *Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.* 34. *Responderunt, et dixerunt ei : In peccatis natus es totus, et tu doces nos! Et eiecerunt eum foras.*

V. 13. 14. ADDUCUNT AD PHARISAEOS... ob ortum eis dubium de violata ab hoc homine lege sabbati, et hinc ortam de ipso miraculo suspicionem. — Patrizi : « Salivas palpebris die » sabbati illinere vetitum nominatim erat, non quidem lege mo- » saica, sed juris peritorum judicio. »

V. 16. Miraculi factum edocti, in causam ejus inquirunt, utrum a Deo necne processerit, et post discussionem

V. 18. ipsum factum in dubium vocant.

V. 22. EXTRA SYNAGOGAM FIERET, aliquali excommunicatione.

V. 28. MALEDIXERUNT. Graece ἐλοιδόρησαν, conviciati sunt.

V. 30. Emphasis facienda in VOS, tanti doctores!

V. 31. Si homo iste hoc tamquam omnino generale principium enuntiavit, erroneum quid dixit. Verum hoc supponi non debet : dicere voluerit, Deum precibus peccatorum miracula concedere non solere ita ut per ipsos fiant qui se legatos Dei mentiantur.

V. 33. NON POTERAT FACERE QUIDQUAM hujusmodi.

Digitized by Google

Jesus caeco sanato se revelat

35. ***Audivit Iesus quia eiecerunt eum foras : et cum invenisset eum, dixit ei : Tu credis in Filium Dei?*** **36.** ***Respondit ille, et dixit : Quis est, Domine, ut credam in eum?*** **37.** ***Et dixit ei Iesus : Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est.*** **38.** ***At ille ait : Credo, Domine. Et procidens adoravit eum.***

V. 35. TU CREDIS IN FILIUM DEI? τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ legunt codices A, L, X, Γ, Δ, Λ, versiones itala, copt., armen. Ita et Tertullianus (Prax., 22). Codices ℵ, B, D et versiones sahid. et aethop. legunt *in Filium hominis.* Prior lectio est praeferenda praecipue ob contextam orationem. Jesus enim interrogans caecum a se illuminatum, debebat ei Messiam termino minime ambiguo indicare, qualis non fuisset terminus *Filius hominis.*

V. 38. ADORAVIT EUM, divinum Filio Dei honorem tribuens. Ita ob substratam materiam. Nam προσεκύνησε (הִשְׁתַּחֲוָה), *incurvavit se,* per se non dicit exhibitionem honoris divini.

Pharisaeorum exprobata duritia

39. ***Et dixit Iesus : In iudicium ego in hunc mundum veni : ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant.*** **40.** ***Et audierunt quidam ex Pharisaeis, qui cum ipso erant, et dixerunt ei : Numquid et nos caeci sumus?*** **41.** ***Dixit eis Iesus : Si caeci essetis, non haberetis peccatum : nunc vero dicitis : Quia videmus. Peccatum vestrum manet.***

V. 39. Haec Jesus dicit ad omnes ibi adstantes, inter quos aliqui pharisaei erant. IN IUDICIUM IN HUNC MUNDI VENI. Graece εἰς κρίμα, id est in judicium *discretionis.* Quando *judicium* sonat *condemnatio,* Joannes ponit κρίσις. Unde nulla contradictio

Digitized by Google

cum 3, 17 et 8, 15. Christus illuminandos ***non videntes*** salvat, ceteros, qui se existimant ***videntes***, caecos per ipsorum culpam fieri sinit. — Non ita ad rem Chrysostomus : τὸ δὲ εἰς κρίμα, εἰς μείζονα κόλασιν ἔλεγε. Ita etiam Euthymius et Schanz. — UT QUI NON VIDENT, in tenebris ignorantiae et peccati versantes, sed qui ad lucem per gratiam vocati veniunt (3, 21), VIDEANT fide illuminati a Christo, ET QUI VIDENT, putant se videre, cognoscere quae ad salutem sunt et de scientia sua superbiunt, CAECI FIANT, incredulitatis tenebris penitus involvantur. Haec ita exponenda esse ostendit v. 41.

V. 40. Pharisaei intellegunt Jesum sensu morali loqui et putant se ab eo contumeliose inter *caecos* collocari. Ideo : NUMQUID ET NOS CAECI SUMUS? Nos legis scientia pollentes et alios luce ejus illuminantes?

V. 41. Acuta Christi aequivocatio, quam varii varie exponunt. Alii : Utinam *corporaliter* CAECI ESSETIS : ***in hoc*** NON HABERETIS PECCATUM; NUNC VERO DICITIS : QUIA VIDEMUS; ob superbiam vestram PECCATUM VESTRUM MANET. — Alii : Si caeci essetis in propria aestimatione, et ideo ad lucem veniretis, non haberetis peccatum; nunc vero superbia elati dicitis, quia videmus, scientia et sapientia pollentes; ideo peccatum vestrum incredulitatis et superbiae manet. — Alii : Si caeci essetis invincibili veritatis ignorantia, non haberetis peccatum; nunc vero superbia elati dicitis : Quia videmus veritatem, et ideo doceri refugitis; ideo peccatum vestrum manet, peccatum incredulitatis, quod ob repudiatum Messiam desinet in obstinatam et incurabilem mentis caecitatem.

Tres istae expositiones probabiles sunt. Praeplacet tertia, ob conformitatem ad conceptum versiculi 39.

Digitized by Google

SCHOLION ASCETICUM

SS. August., Beda etc. in hoc caeco nato merito viderunt typum generis humani lapsi. Ita Augustinus : « Genus humanum est iste caecus; haec enim caecitas contigit in primo homine per peccatum, de quo omnes originem duximus non solum mortis sed etiam iniquitatis. » et paulo infra : « Lavit ergo oculos in ea piscina quae interpretatur missus, baptizatus est in Christo. » In luto ex sputo videt typum Verbi in incarnatione humiliati. — Lege integram S. Augustini expositionem (Tract. in Jo., 44). — Cyrill. Alex. et Rupert. per caecum volunt gentilitatem a Christo illuminandam typice figurari.

Digitized by Google

CAPUT X

—

Argumentum. Similitudo boni pastoris : Jesus ostium ovium et bonus pastor, vitam sponte et libere profundens pro ovibus suis (1-18). — Variae Judaeorum de eo opiniones (19-21). — In festo Encaeniorum Jesus in templo palam sciscitatus an Messias sit, ad opera sua primum provocat, Judaeis incredulitatem exprobrat et tandem se unum esse cum Patre suo profitetur. Judaeis ob id volentibus ipsum tamquam blasphemum lapidare probat se merito dixisse seipsum Filium Dei (22-38). — Volunt eum apprehendere, ipse autem evadit et abit trans Jordanem. Ibi multi in eum credunt (39-42).

Christus bonus pastor

1. *Amen, amen dico vobis : qui non intrat per ostium in ovile*
ovium, sed ascendit aliunde : ille fur est, et latro. 2. *Qui autem*
intrat per ostium, pastor est ovium. 3. *Huic ostiarius aperit, et*
oves vocem eius audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et
educit eas. 4. *Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit : et*
oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. 5. *Alienum autem*
non sequuntur, sed fugiunt ab eo : quia non noverunt vocem alie-
norum. 6. *Hoc proverbium dixit eis Iesus. Illi autem non cogno-*
verunt quid loqueretur eis. 7. *Dixit ergo eis iterum Iesus : Amen,*
amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. 8. *Omnes quotquot*
venerunt, fures sunt, et latrones, et non audierunt eos oves.
9. *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur : et in-*
gredietur, et egredietur, et pascua inveniet. 10. *Fur non venit*
nisi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni ut vitam habeant,
et abundantius habeant. 11. *Ego sum pastor bonus. Bonus pastor*

Digitized by Google

animam suam dat pro ovibus suis. **12.** *Mercenarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit : et lupus rapit, et dispergit oves.* **13.** *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.* **14.** *Ego sum pastor bonus : et cognosco meas, et cognoscunt me meae.* **15.** *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem : et animam meam pono pro ovibus meis.* **16.** *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.* **17.** *Propterea me diligit Pater : quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* **18.** *Nemo tollit eam a me : sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam : et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo.*

In vetere testamento pluries Messias praedictus fuerat uti *pastor bonus* gregis fidelium, ejus vero adversarii exhibiti ut *pastores infideles* vel *mercenarii.* Idipsum jam verificari in se, bono pastore; in pharisaeis, pastoribus falsis, seu potius latronibus, ostensurus est Jesus. Cf. Ezech. 34, 15. 16. 23; 37, 24; 34, 2. 8-12; Zach. 11, 17; 13, 7; Is. 40, 11. Evangelista, cujus erat probare Jesum esse Messiam, omittere non poterat hunc Jesu sermonem quo egregiam notam messianicam in ipso impletam esse manifestaret.

V. 1. Est continuatio sermonis Christi quem incepit v. 39 capitis IX, scilicet ad eosdem pharisaeos, qui se superbe inter *videntes* collocabant et se populi doctores esse gloriabantur. Quorum supercilium, sub parabola sermonem velans, Jesus mirabili fortitudine et prudentia deflectit... QUI NON INTRAT PER OSTIUM IN OVILE OVIUM...

Ut rite intellegatur sermo Christi figuratus, quaedam ex archaeologia notanda sunt. In Palaestina primo verno tempore oves ducebantur ad pascua, ibique perpetuo remanebant usque

Digitized by Google

ad initium hiemis seu temporis pluviae. Nocte tamen congregabantur in septa a superiori parte aeri exposita, clausa tamen in circuitu et ostio munita, cui ostio praeerat *ostiarius*. Plures aliquando greges una in caula nocte concludebantur. Pastores per hoc ostium in septum seu ovile intrabant singulis diebus mane, oves suas ad se vocabant easque ad pascua ducebant. Oves evocatae, ad suum quaeque pastorem veniebant, sed ab aliis pastoribus fugiebant. Fures autem, si oves diripere vellent, non per ostium intrabant, ut patet, sed aliunde, scala v. g. septum conscendentes seseque intus demittentes.

Hinc jam patet sensus *grammaticalis* seu *proprius* parabolae. Applicationem non capiunt pharisaesi, at Jesus eam explicat.

V. 6. PROVERBIUM, hebraice מָשָׁל, sermo figuratus vel proverbialis qualiscumque.

V. 7. EGO SUM OSTIUM OVIUM, per quod oves intrant et per quod intrat pastor. Christus ostium est qua doctor et dator salutis per fidem et gratiam. Verus et genuinus pastor animarum non nisi per hoc ostium, id est per doctrinam Christi, tendit ad oves seu animas erudiendas.

V. 8. OMNES QUOTQUOT VENERUNT. (Antiquissimi codices addunt πρὸ ἐμοῦ, *ante me*, quod sensum nihil mutat), doctores populi seu pastores se esse simulantes, FURES SUNT, ET LATRONES, ut qui per me, ostium, non intrant ad oves. Pharisaeos, scribas etc. sui temporis hic Jesus intendit (quod ex praesenti SUNT satis patet), qui non nisi ut oves ex vero ovili raperent *aliunde ascenderant*. — (Istud *venerunt* videtur terminus quasi technicus : saepe enim apud talmudistas legere est : *Venit Rabbi N. N.*) — ET NON AUDIERUNT EOS OVES, quae me verum suum pastorem sequuntur. Ad Jesum veniebant et legisperitos hypocritas docentes jam non audiebant. Recordemur hic legisperitos illos corruptissimis moribus maximeque hypocrisi infames. Cf. Matth. 7, 15; 23, 13 sq.

Christum haec dicere de omnibus doctoribus veteris testamenti,

Digitized by Google

quasi legem Judaeorum absolute improbans, asserunt Tubingani sed non probant.

V. 9. EGO SUM OSTIUM. Dictum repetit ut conceptum suum evolvat; quid scilicet commodi conferat ingressus per verum ostium. PER ME SI QUIS INTROIERIT, SALVABITUR, vitam servabit incolumen, ET INGREDIETUR, ET EGREDIETUR pro lubitu et porro *tuto conversabitur semper*. Cf. Num. 27, 17; 1 Sam. 18. 16; 2 Par. 1, 10. Latro vero, aliunde ovile ingressus, nulla securitate fruitur. — ET PASCUA INVENIET, alimenta omnia ad supernaturalem vitam ovibus necessaria : quod Christus jam aliis verbis exponit.

Quaeritur de quonam dicatur : *Si quis introierit*, de *pastore*, an de *ove*.

R. 1a *sententia*. De *pastore*. Ita Schegg, Schanz, etc.

***Rationes*.** 1) V. 2. 8, ubi nonnisi de pastoribus intrantibus vel per ostium vel aliunde. — 2) Oves non possunt intrare nisi per ostium.

2a *sententia*. De *ove*. Ita Beelen, Fillion etc.

***Rationes*.** 1) τὸ *pascua inveniet* potius ovibus convenire videtur. — 2) Non apparet quomodo ingressus per ostium ovilis possit pastori bona pascua procurare.

Respondetur tamen ad 1) Boni et solliciti pastoris per ostium intrantis, non vero furis, est de bonis pascuis gregi suo providere. — ad 2) Pascua inveniet quia vere pastor est; se autem talem esse probat intrando per ostium.

Priori sententiae subscribimus.

V. 10. FUR NON VENIT... Quid sit Christus, per contrarii oppositionem elucet. EGO VENI ad oves, UT bona eis pascua praebeam, per quae VITAM HABEANT gratiae, ET ABUNDANTIUS HABEANT (graece περισσὸν, *abundanter)*. Haec abundantia tria complectitur : justificationem, ejus consummationem in caelesti gloria ejusque complementum in carnis resurrectione.

V. 11. EGO SUM PASTOR BONUS, ὁ ποιμὴν ὁ καλός, ille qui a

Digitized by Google

prophetis praedictus fuit... Transitus fit ad v. 12, ubi secundus comparationis modus evolvitur, inter *pastorem* et *mercenarium*. — Pastor est ille qui pascit oves proprias, mercenarius qui alienas. — ANIMAM, vitam SUAM DAT pro ovibus suis, id est ad eas servandas non dubitat vitae periculum adire. Contra

V. 12. de MERCENARIO de propria tantum salute sollicito.

V. 13. FUGIT, oves non defendit, QUIA MERCENARIUS EST, et qua talis est, NON PERTINET AD EUM DE OVIBUS, non suis : non enim bonum ovium quaerit, sed suum : eas pascit tantum mercedis consequendae intuitu.

V. 14. EGO SUM PASTOR BONUS : repetitio ad incrementum orationis, ET COGNOSCO (oves) MEAS, cognitione quae ex amore procedat et cum amore exerceatur. Ita hebraismus יָדַעְתִּי. Cf. Ps. 1, 6; Prov. 12, 10. Vide et Jo. 10, 3. — ET COGNOSCUNT ME MEAE, ut Is. 1, 3. Graece *et cognoscor a meis*. Est ergo inter Christum, pastorem et fideles, oves, mutua amoris communicatio, quae et mutua cognitione nitatur et vicissim ad intimiorem cognitionem impellat. Quod pretiosissimum est in re ascetica documentum. Amor ex cognitione, cognitio ex amore crescit.

V. 15. Idipsum sublimi comparatione illustrat, et quanti sit aestimandum indigitat, SICUT NOVIT ME PATER, ET EGO AGNOSCO PATREM. Nota tamen τὸ *sicut* similitudinem dicere, non aequalitatem. — Magna in hoc piae meditationis materia. — Haec verba novam sententiam non constituunt, sed interjecto commate jungenda sunt praecedentibus, secus ac in Vulgata. Ita : ... *et cognoscunt me meae, sicut novit me Pater et ego agnosco Patrem;* ET ANIMAM MEAM PONO... en alterum quo declarat se bonum esse pastorem. Sensus : et vitam meam depono, brevi deponam. Praedictio est mortis suae violentiae (juxta hebraismum : Is. 53, 10). PRO OVIBUS MEIS, ut eas a perditione servem. Docet hic boni pastoris vicariam oblationem pro ovibus suis.

V. 16. ET ALIAS OVES HABEO, QUAE NON SUNT EX HOC OVILI ... errantes inter gentes, oves tamen Christi : nam dederat

Digitized by Google

ei Pater *gentes in hereditatem et possessionem terminos terrae.* (Ps. 2, 8) — ALIAS vocat, nempe a populo israelitico ex quo priores oves elegerat. — HOC OVILE Synagogam notat. — Oves illae aliae saltem pleraeque in nullo tunc ovili erant. Licet quidem aliud ovile supponere, coetum justorum in gentilitate; minus tamen proprie, quia gentiles justi societatem certam non efformabant. — ET ILLAS OPORTET ME ADDUCERE : ad hoc enim missus sum a Patre *lumen ad revelationem gentium* (Luc. 2, 32), ET postquam adduxero, VOCEM MEAM pastoris AUDIENT docili aure, ET ex his et prioribus simul collectis FIET UNUM OVILE, novum illud quidem a me condendum, ET UNUS PASTOR, ego ipse. Cf. Gal. 3, 28; Ezech. 34, 13-16.

Praeclarum vaticinium Christi ipsius de salute messianica omnibus gentibus praedicanda, et quidem cum felici successu. Nec minus efficax testimonium pro *unitate in fide*, ecclesiae suae a Christo promissa.

Totus hic versiculus ceu parenthesis inter sermonem positus est. Alibi etiam, ubi de Christi morte vicaria agitur, commemorat Joannes electionem gentium ad fidem. Ita 11, 52. Idem apud Isaiam 53, 10-12; 52, 13-15. Cf. Is. 49, 6. — Christus v. 15° praedicens mortem suam salvificam, quam late pateat fructus ejus apposite commemorat : unde et plenitudinem officii sui pastoralis revelat. Ideo dubium est eum haec addidisse ut scirent Judaei Christum eis non egere.

V. 17. Arcte nectitur versui 15. Dat rationem cur *ponat animam suam* : nempe ob *mandatum* acceptum a Patre, quod quia perfectissima obedientia exsequitur, PROPTEREA eum DILIGIT PATER. Cf. Phil. 2, 8. 9 : *factus obediens usque ad mortem.* — Emphasim ponit Jesus in voce EGO, ut patet ex v. 18 : violenta quidem morte offerendus est, at erit *oblatus quia ipse voluit* (Is. 53, 7). — UT ITERUM SUMAM EAM, id est *ita ut*... (Maldon., Luc. Brug., post Euthym.) vel clarius : *ea conditione ut* (Patrizi). Sententia difficilis explicatu. Sensus quaerendus est in versu 18 :

Digitized by Google

scilicet, his verbis plenius declarari perfectam Christi libertatem in morte obeunda. Sicut quis pro libitu vestem deponit et reassumit, ita...; et quia *sic libere* morior ex obedientia, ideo me diligit Pater.

V. 18. NEMO TOLLIT EAM A ME, me invito; sed ***EGO*** PONO EAM A ME IPSO sponte : ET (nam) POTESTATEM HABEO... id est : unio vel separatio animae meae et corporis mei a divina mea virtute unice pendent, unde nemo nisi velim in id aliquid potest. — HOC MANDATUM ACCEPI A PATRE MEO. Accepi tamquam homo, exsequar tamquam Deus, per divinam potentiam.

Quaeritur quomodo Christus in hoc ***mandato*** exsequendo fuerit ***liber.*** Erat enim impeccabilis, et sic mandatum non poterat non exsequi.

R. Quaestio haec agitur in tractatu de incarnatione et varie solvitur.

Alii admittunt, Christum liberum fuisse non quoad mortem ipsam, quae erat a Patre imperata, sed quoad modum tantum, id est tempus, speciem, adjuncta mortis. S. Paulus tamen eum dicit obedientem usque ad mortem *crucis* (Phil. 2, 8), et nostro loco objectum praecepti est simpliciter ut *ponat animam suam.*

Alii, mandatum Patris non fuisse praeceptum rigorosum, sed beneplaciti manifestationem, cui sine peccato potuisset Christus se non conformare. Se autem ei conformando Patri placuit, et ideo speciali titulo meruit a Patre diligi. Haec est sententia nostra. Contra quam immerito urgetur difficultas ex Jo. 15, 10 : *Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in ejus dilectione.* Nam sufficit ut haec *praecepta* conveniant analogice. Ceteras sententias omittimus. Vide tractatum de incarnatione et Toletum.

Variae de Christo opiniones

19. *Dissensio iterum facta est inter Iudaeos propter sermones hos.* 20. *Dicebant autem multi ex ipsis : Daemonium habet, et*

Digitized by Google

insanit : quid eum auditis? 21. Alii dicebant : Haec verba non sunt daemonium habentis : numquid daemonium potest caecorum oculos asperire?

V. 19. DISSENSIO ITERUM, ut olim jam pluries, FACTA EST INTER IUDAEOS, de eo quod de persona Jesu esset tenendum, PROPTER SERMONES HOS, quibus sibi tribuerat plenum in vitam suam et mortem dominium.

V. 20. DAEMONIUM HABET, ET INSANIT. Insanum judicant, et quidem ob daemonis eum possidentis actionem. Et re quidem vera, Jesus haec verba serio pronuntians insanus fuisset, nisi fuisset Deus. Hinc isti, eum Deum culpabiliter negantes, ex falso principio logice falsam conclusionem eruebant. — QUID EUM AUDITIS, utpote insanientem?

V. 21. ALII ... ita fere ratiociantur : Sanatio caeci nati nequit tribui virtuti daemonis, sed Dei; ergo qui caecum sanavit Dei legatus est. Ergo ejusdem haec verba non daemonis actioni, sed divinae missioni tribuenda sunt. — De exitu istius dissensionis prorsus tacet evangelista.

Christus unum cum Patre

22. Facta sunt autem Encaenia in Ierosolymis : et hiems erat. 23. Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis. 24. Circumdederunt ergo eum Iudaei, et dicebant ei : Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. 25. Respondit eis Iesus : Loquor vobis, et non creditis : opera quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me. 26. Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. 27. Oves meae vocem meam audiunt : et ego cognosco eas, et sequuntur me : 28. Et ego vitam aeternam do eis : et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. 29. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est : et nemo potest rapere de manu

Digitized by Google

Patris mei. 30. *Ego, et Pater unum sumus.* 31. *Sustulerunt ergo lapides Iudaei, ut lapidarent eum.* 32. *Respondit eis Iesus : Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* 33. *Responderunt ei Iudaei : De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia : et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* 34. *Respondit eis Iesus : Nonne scriptum est in lege vestra : Quia Ego dixi, dii estis?* 35. *Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi scriptura :* 36. *Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis : Quia blasphemas : quia dixi, Filius Dei sum?* 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.* 38. *Si autem facio : et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.*

V. 22. FACTA SUNT AUTEM ENCAENIA IN IEROSOLYMIS, ET HIEMS ERAT. Hactenus a capite VIII narrata acta videntur paulo post festum Tabernaculorum, mense octobri; nunc autem transitus fit ad festum Encaeniorum (seu dedicationis templi), quod agebatur mense decembri, nempe 25° die mensis Casleu. Festum institutum fuerat sub Juda Machabaeo (1 Mac. 4, 52 et 2 Mac. 10, 5-8). Sed et 1 Mac. 4, 59, praecipitur ut quotannis agantur ἡμέραι ἐγκαινισμοῦ. — Post festum Tabernaculorum Jesus Judaeam reliquerat et Galilaeam petierat, unde ad festum Dedicationis in Judaeam rediit. Haec enim possunt ex S. Luca (9, 51 et 13, 22) erui : quae tamen subobscura sunt; nec probantur Patritio : hic enim tenet Christum interea temporis extra Jerosolymam quidem sed in Judaea fuisse versatum. Vide De Evangel., II, Adnot. C. CI. — ET HIEMS ERAT, additum ob lectores Joannis graecos. Juxta Cyrill. Alex., ut explicetur cur Jesus *ambularet* in porticu contecta, non vero *sederet* in atrio templi.

V. 23. ET AMBULABAT IESUS IN TEMPLO. Ambulabat palam

Digitized by Google

incedens, paratus ad docendum. — IN PORTICU SALOMONIS : *porticus, galerie couverte*. — SALOMONIS. Pars enim ista ex antiquo Salomonis templo servata erat. Vide Jos., Ant., 20, 9, 7.

V. 24. Ibi ambulantem CIRCUMDEDERUNT.... IUDAEI, urgentes eum et DICENTES : QUOUSQUE ANIMAM NOSTRAM TOLLIS? Hebraismus est : נָשָׂא נֶפֶשׁ, *animam attollere*, et vario sensu venit in veteri testamento. Cf. Exod. 35, 21; Deut. 24, 15; Os. 4, 8; Prov. 19, 23... Hic : Quousque animam nostram (in dubio) suspensam tenes, et nos vexas? — SI TU ES CHRISTUS, ὁ χριστὸς, Messias, DIC NOBIS PALAM, παῤῥησίᾳ. Hoc Judaeis nondum apertis verbis dixerat, sed multis argumentis clare significarat. Unde Judaeorum subdola quaestio : volunt jam Christi disertum responsum ut apud Romanos possint eum accusare tamquam qui regnum affectet. Messiam enim regem temporalem fore passim tunc tenebant Judaei.

V. 25. Non sincere petentibus Jesus directe non respondet; immo responsi rogati inutilitatem ostendit : tales enim sunt qui Jesu de se testanti credere nolint, ut 8, 13. LOQUOR VOBIS (graece accuratius εἶπον υμῖν, *dixi vobis)*; ET NON CREDITIS. Saepe enim se esse Christum aequivalenter ipsis dixerat : v. g. 8, 12. 18. 24. Ad quid ergo si denuo dicam? Ceterum idipsum nosse valetis *ex operibus meis* portentosis QUAE EGO FACIO IN NOMINE, ἐν τῷ ὀνόματι, *virtute divina* PATRIS. HAEC TESTIMONIUM PERHIBENT DE ME, quatenus per haec Pater me testatur Filium suum.

V. 26. SED, etiam ob opera VOS NON CREDITIS, QUIA NON ESTIS EX OVIBUS MEIS : quae me cognoscunt et amant (10, 14) adeoque verbis meis dociles sunt.

V. 27. Nam OVES MEAE VOCEM MEAM AUDIUNT, ET COGNOSCO EAS, ET SEQUUNTUR ME : vos autem tales non estis; ergo... Cf. Matth. 7, 23 : *Et tunc confitebar illis, quia nunquam novi vos*.

V. 28. ET EGO VITAM AETERNAM DO EIS, ET NON PERIBUNT

Digitized by Google

IN AETERNUM, quantum est ex me, dummodo libere mecum remaneant; ET NON RAPIET EAS QUISQUAM, homo vel creatura qualiscumque DE MANU MEA earum boni pastoris. Ipsae tamen, ut quae me sequuntur libere, me possent deserere. Ergo non traditur hic dogma inamissibilitatis justitiae, quae est Calvini haeresis, sed doctrina catholica, Trid. VI, cap. 2, juxta quam « Deus sua gratia semel justificatos non deserit nisi ab eis prius deseratur. » — His autem verbis Christus, sicut Judaeis incredulitatem eorum exprobrat, ita per proposita bona solis ovibus praeparata, eos terret simul et ut ad se veniant allicit.

V. 29. Quod modo asseruit jam in eo est ut probet Dominus. Sed ante expositionem notandam habemus variantem lectionem inter Vulgatam et textum graecum receptum, ubi Ὁ πατήρ μου ὅς δέδωκέ μοι, μείζων πάντων ἐστί.

Quaeritur de ***vera lectione :*** utrum genere neutro (ὅ), an masculino (ὅς), legendum sit pronomen relativum.

R. Cum Vulgata legunt codices B et L, evangelistaria 15, versiones coptica et gothica, et inter Patres, Tertull., Ambros., Hieron., Hilar., August.

Cum graeco recepto (ὅς... μείζων) A, ℵ, D, aliique unciales 11; minusculi, ut videtur, omnes. Versiones : syriaca utraque, sahidica, persica. Inter Patres, Basil., Chrysost. etc. Praeterea contextae orationis logicus nexus ita postulat. Sed et facile intellegitur quomodo lectio Vulgatae sit introducta. Nam aliqui codices habent ὁ, articulum masculinum pro ὅς, et postea μείζων : quod alii deinde librarii, putantes ὅ pronomen neutrum, in μεῖζον mutarint. Tandem syntaxis hunc sensum suadet.

Hinc vera lectio ὅς... μείζων et Vulgatae lectioni praeferenda.

Igitur Jesus ut probet neminem posse oves suas a sua potestate eripere, syllogismum instituit cujus Major est v. 29, Minor v. 30, Conclusio pro more deducenda relinquitur. Major : PATER MEUS QUI DEDIT MIHI oves major OMNIBUS (hominibus,

Digitized by Google

creaturis) EST, ET ideo NEMO POTEST RAPERE (oves vel aliud quidquam) DE MANU PATRIS MEI. Praedicatur de Patre Deo suprema potentia, quam habet quia omnibus major est.

V. 30. EGO, ET PATER UNUM SUMUS. Est haec Minor syllogismi, qua Jesus de se affirmat identitatem divinae naturae adeoque divinae potentiae cum Deo Patre suo (1).

Haec sententia Christi semper habita est ut dogmatis *consubstantialitatis* Verbi cum Patre ***formula scripturistica.*** Hinc Patribus contra arianos disputantibus semper ceu palladium fuit; quod ut evertere possent, frustra ariani textum exponebant de *unitate morali*, per mutuam caritatem, invocantes Jo. 17, 11-21. Nam hic apertissime asserit de se Christus talem cum Patre unitatem quae supponat identitatem *potentiae* adeoque *naturae ipsius divinae*. — Dicit autem Jesus : EGO, ET PATER, dualitatem personarum intendens; UNUM, et non UNUS, identitatem naturae declarans.

Juvat in hunc locum quasdam Patrum expositiones in medium proferre.

S. Basilius (Adv. Eunom., 4, 2) : « Cum igitur Salvator dixe-
» rit : *Ego et Pater unum sumus*, secundum aliquid eorum quae
» modo scripsimus dixit. Itaque si secundum operationem dicunt,
» necesse est secundum substantiam dicere; quorum enim diversa
» substantia est, eorum non est similis operatio... » — S. Chrysostomus (in h. l.) : « *Unum sumus* : hoc est, secundum poten-
» tiam : nam de hac loquitur : quae si eadem est, constat etiam

(1) Lectio Vulgatae ita foret exponenda : *Pater quod dedit mihi,* divinam naturam secum identicam, id *majus est* rebus *omnibus,* adeoque omnibus creaturis potentius : ideoque nemo potest oves rapere de manu mea, sicut nec de manu Patris, nam *Ego et Pater unum sumus*. Sensus difficilis et nonnihil contortus, imminuens efficaciam ratiocinii Christi quod exhibet vera lectio. — Ceterum si duo versiculi in Vulgata complexive sumuntur, exprimunt cum Patris omnipotentiam tum Filii cum Patre consubstantialitatem; quae duo dogmata etiam in originali textu habentur, licet alio modo. Ergo duae lectiones dogmatice concordant substantialiter.

Digitized by Google

» eamdem esse substantiam. » — S. Hilarius (De Trin., 8, 5) : « Id enim quod ait : *Ego et Pater unum sumus*, tentant (haeretici) » ad unanimitatis referre consensum; ut voluntatis in his unitas » sit, non naturae, id est, non per id quod idem sunt, sed per » id quod idem volunt, unum sunt. » — S. Hieronymus (in Is. 6, 8) : « *Unum* ad naturam referimus, *sumus*, ad personarum » diversitatem. » — S. Augustinus (Orat. de 5 haeres.) : « Pereant » vaniloqui et mentis seductores, arianus et sabellianus : nam » *Ego et Pater unum sumus*. Non dixit : *Ego et Pater unus* » *sum*, sed : *Ego et Pater unum sumus*. Quod dico, *unum*, » audiat arianus; quod dico, *sumus*, audiat sabellianus. Non » dividat arianus *unum*; non deleat sabellianus *sumus*. » — Vide etiam in Jo., tract. 78, 2. — S. Athanasius saltem 49 locis agit de textu nostro. Speciminis ergo sit orat. 4 adv. arian., n. 9 : « Quod si duo unum sint, necesse est illos duos quidem esse, » unum vero secundum divinitatem, et quatenus Filius Patri est » consubstantialis et ex ipso Patre Verbum est : ita ut duo qui» dem sint, quia Pater et Filius, quod est Verbum; unum autem, » quia Deus unus est. »

V. 31. Verba haec Christi culmen erant petitae a se declarationis : *Si tu es Christus*. Majus de se praedicat quam quod Judaei exspectabant. Se non Christum modo (qualem ipsi sibi fingebant), ut jam dixerat, sed Filium Dei unam habentem cum Deo Patre naturam adeoque Deum de Deo proclamat. Optime sensum Christi intellexerant Judaei, et propterea SUSTULERUNT (*iterum*, πάλιν) LAPIDES UT LAPIDARENT EUM... *de blasphemia*, quam in eo ponebant : quod *tu homo cum sis*, et merus homo, ut ipsi pertinaciter tenebant, *facis te ipsum Deum*, Dei naturam tibi adjudicans. (v. 33).

V. 32. Nota verba : EX PATRE MEO, ex Patre meo procedentia, a quo cum divina natura divinitatis opera pariter communicata habeo. Unde iterum hoc loco Jesus consubstantialem Patri se dicit implicite.

Digitized by Google

V. 33. DE BONO OPERE, si quod feceris : ob nullum jam ex portentosis quae operatus es, LAPIDAMUS TE, SED DE BLASPHEMIA... (vide supra ad v. 31).

V. 34. Si Christus de se divinae naturae cum Patre identitatem non praedicasset, facile se objecto crimine purgasset, dicendo verba sua improprie seu analogice esse accipienda. At non ita; sed probat se recte locutum, afferendo ex lege argumentum *a minori ad majus*. NONNE IN LEGE VESTRA (est enim argumentum ad hominem) SCRIPTUM EST : QUIA EGO DIXI, DII ESTIS? Verba ex Ps. 81, 6. — *Lex* ergo venit hic pro toto complexu Scripturae Judaeorum. — Loco allegato haec verba dicuntur ad judices potestate legitima adeoque a Deo accepta donatos. Qui sane *dii* vocabantur quatenus in judicando Dei erant vicarii, ut etiam probat v. 7 : *vos autem sicut homines moriemini*, quia officium vestrum male exercetis. — Cf. Exod. 22, 28. 8; 21, 6; 2 Par. 19, 6. Auditores textum et sensum hunc noverant : unde satis erat Christo eum ipsis citare.

V. 35... AD QUOS SERMO DEI FACTUS EST, sermo nempe ille, *Ego dixi, dii estis*, qui in psalmo refertur, ET (si) NON POTEST SOLVI SCRIPTURA quae istos DIXIT DEOS (nam Scriptura est subjectum verbi DIXIT). Sic intellege : si non potest dici Scriptura tribuere Deo sermonem illegitimum; si adeoque judices merito *dii* vocantur.

V. 36. QUEM PATER SANCTIFICAVIT ET MISIT IN MUNDUM legatum suum, Filium suum (quod implicite enuntiat Jesus, Deum dicendo Patrem), qui proinde ad Deum relationem habet multo arctiorem quam judices illi, VOS DICITIS plane immerito (id enim valet haec interrogatio) : QUIA BLASPHEMAS, QUIA DIXI, FILIUS DEI SUM? Ad haec insuper nota

1) Vox SANCTIFICAVIT hebraismus est : קדש, *consecravit*, sollemni modo ad aliquod officium religiosum deputavit. Cf. 1 Sam. 7, 1; Jer. 1, 5 (ubi habetur forma *Hiphil* eodem sensu); Exod. 13, 2 et alibi saepissime. Fere eodem sensu venit verbum

Digitized by Google

unxit, משח. Hinc est quod in vaticinio Danielis de 70 hebdomadibus, Messias dicitur *Unctus* et *Sanctum sanctorum*. Cf. Marc. 1, 24 (1).

2) Christus non dixerat *Filius Dei sum*, sed *Ego et Pater unum sumus*. Utriusque sententiae idem est sensus : nam unum est Christus cum Patre qua Filius est. Filiatio enim divina est naturae unitas per generationem aeternam communicata. Sed ex hac ipsa verborum Christi synonymia patet agi de filiatione naturali, non de analogica.

3) His verbis non negat se « FACERE SEIPSUM DEUM », quod ipsi Judaei ut lapidationis causam objecerant. Hoc enim negare non poterat : vere enim se Deum dicere intendebat. Sed respondet per argumentum *de minore ad majus* : Si homines legitime judicium nomine Dei exercentes merito dii vocantur, quanto magis ego, quem Deus misit in mundum tamquam filium suum, sine blasphemia possum me dicere Filium Dei. Ita plane diluit accusationem Judaeorum, etiam praescindendo a sensu quo se diceret Filium Dei. Qualis sit hic sensus quaerendum est, non in hoc Christi responso, sed in praecedentibus et sequentibus ejus verbis (v. 29. 30 et 38), ex quibus patet Christum intendere filiationem non analogicam sed propriam et naturalem.

Quod si ulterius quaeritur, quare potius fateatur se dixisse, *Filius Dei sum*, quam *Deus sum*, responderi potest : *a)* quia verba *Ego et Pater unum sumus* directe important relationem Filii ad Patrem Deum, indirecte tantum naturae divinae identitatem; — *b)* quia forte volebat Christus ita loquendo nonnihil indulgere infirmitati auditorum, quorum aures minus offenderet formula *Filius Dei sum*, quam *Deus sum*.

Hoc modo potest utcumque salvari orthodoxia expositionis

(1) Patres, ad hebraismum non attendentes, exponunt hoc, alii de Christi sanctitate secundum divinitatem, alii de ejus sanctitate secundum humanitatem.

Digitized by Google

Theodori mopsuesteni : « Si Scriptura judices potuit *deos* vocare, quanto magis ego, Dei promissus legatus, possum me dicere *Filium Dei*, quod minus est. » Quae expositio, nisi supponeret verba Christi esse *ad hominem*, vehementer arianismum saperet.

V. 37. Pergit Christus in ratiocinio suo. Hujus haec erat Major : Verus Dei Filius non blasphemat ubi talem se dicit. Atqui ego Filius Dei sum. Et id non affirmo gratis, sed operibus demonstro; opera enim mea opera sunt Patris. Ergo... — SI NON FACIO OPERA PATRIS MEI, NOLITE CREDERE MIHI. Figura concessionis est.

V. 38. SI AUTEM FACIO, ut omnibus patet me facere, et SI MIHI NON VULTIS CREDERE, OPERIBUS CREDITE, UT COGNOSCATIS, ET CREDATIS : cognoscatis per fidem; vel : ut opera divina esse cognoscentes credatis; vel : ut ex operibus cognoscatis quis sim, et tunc credatis, QUIA PATER IN ME EST, ET EGO IN PATRE : idem quod aliis verbis v. 32° dixerat : unde confirmatur asseri hic et v. 30° unitatem *physicam*, non *moralem* tantum.

Christi secessio trans Jordanem

39. ***Quaerebant ergo eum apprehendere : et exivit de manibus eorum.*** **40.** ***Et abiit iterum trans Iordanem, in eum locum ubi erat Ioannes baptizans primum : et mansit illic.*** **41.** ***Et multi venerunt ad eum, et dicebant : Quia Ioannes quidem signum fecit nullum.*** **42.** ***Omnia autem quaecumque dixit Ioannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.***

V. 39. QUAEREBANT ERGO EUM APPREHENDERE, ob haec ultima verba quibus suam cum Deo aequalitatem rursus affirmaverat atque adeo mysterium divinae περιχωρήσεως egregie enuntiarat. — Haec Judaeorum intentio probat Jesum nihil a versu 34 ad 38 dixisse unde concludere possent eum versu 33 fuisse de sua cum Patre unitate locutum figurate. — ET EXIVIT DE MANIBUS

Digitized by Google

EORUM : igitur, ut videtur, eum jam manibus tenebant; exivit autem miraculosa procul dubio operatione.

V. 40. ... ITERUM, πάλιν, TRANS IORDANEM, in Peraeam, ubi ante Encaenia fuerat (ut pluribus videtur), UBI ERAT IOANNES BAPTIZANS PRIMUM (1, 28), ET MANSIT ILLIC, donec rediret in Judaeam ad resuscitandum Lazarum.

V. 41. VENERUNT AD EUM tamquam discipuli, ET DICEBANT, motivum credibilitatis allegantes : IOANNES quidem, cum tantus esset, SIGNUM FECIT NULLUM, et tamen ei credidimus ut Dei legato. Subaudiunt sane : Jesus vero tot miracula fecit. Ergo... En primum eorum motivum. — Deinde secundum :

V. 42. OMNIA QUAECUMQUE DIXIT IOANNES DE HOC, VERA ERANT, eventu confirmata sunt. Ergo eum ut Messiam accipere debemus qualem eum nobis Joannes proposuit. — ET MULTI ob haec argumenta CREDIDERUNT ibi (gr. ἐκεῖ) IN EUM ut in Messiam.

APPENDIX

Paraphrasis exegetica Jo. X, 7-38

Dixit itaque iterum Jesus ad pharisaeos : Vere dico vobis : ego ipse sum ostium ovilis per quod intrandum est. Quicumque alii sub pastorum specie venerunt ad oves (quasi veritatis doctores), fures sunt et latrones (non ingressi per ostium doctrinae et gratiae meae), et ideo eis oves aures dociles non praebuerunt. Ego, inquam, sum ostium. Per me si quis, tamquam pastor, ovile introierit, vitam servabit incolumem, et ingredietur et egredietur, tuto semper conversabitur, et pascua ovibus congrua inveniet. Fur utique non venit ad ovile, nisi ut oves furetur, et furto acceptas mactet et in perditionem ducat : ego vero ad oves veni ut per me vitam (supernaturalem) habeant, eamque abundantissimam.

Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ad servandas oves suas non dubitat vitae periculum adire. Mercenarius autem, qui non

Digitized by Google

est verus pastor, cujus quippe non sunt oves propriae, videt lupum venientem ad gregem, et dimittit oves et fugit; et lupus rapit et dispergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est et, qua talis, nullam ovium non suarum sollicitudinem habet. Ego utique sum pastor bonus, et cognosco oves meas proprias mihique carissimas, et oves meae similiter me cognoscunt, non secus ac me cognoscit Pater meus caelestis et ego cognosco Patrem. Ideo etiam ego vitam meam trado ad salutem ovium mearum procurandam. Sed et alias praeterea oves habeo, quae non pertinent ad hoc ovile gentis israeliticae : et illas opportet me ad caulam adducere, et vocem meam tamquam pastoris sui docili aure percipient, et ex eis, et iis quae jam pridem meae erant, fiet unum ovile (ecclesiae meae) sub me uno omnium pastore. (Vitam meam, ut modo dicebam, trado ego ad salutem ovium mearum procurandam); ideoque me diligit Pater, quia vitam meam pro ovibus depono, ita tamen eam depono ut iterum resumam eam. Nemo scilicet me invitum vita privat, sed ego spontanea voluntate eam depono : est enim mihi potestas eam depositam resumendi. Hoc mandatum accepi a Patre, beneplaciti sui manifestationem, (ut summa ea qua praeditus sum libertate vitam meam pro ovibus meis deponam; et quia idipsum juxta suum beneplacitum praesto, ideo me diligit Pater filium suum incarnatum).

Dissensio iterum facta est inter principes Judaeorum propter hos sermones. Dicebant autem multi ex eis : Daemonio insaniae agitatur : quare ei aures praebetis? Alii dicebant : Haec verba non sunt hominis a daemonio agitati : ceterum, potestne daemonium oculos caecorum aperire (sicut nuper fecit homo iste)?

Agebatur autem (postea) Jerosolymis festivitas dedicationis templi anniversaria, et hiems erat. Jesus autem ambulabat in templo, in porticu Salomonis. Ambulantemque circumdederunt Judaei, dicentes : Quousque animos nostros dubio suspensos tenes? Si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Jesus :

Digitized by Google

Jam dixi vobis, et non creditis : quid ergo juvabit, si idipsum denuo dicam? Sed praeter verba mea, opera portentosa, quae ego facio virtute divina Patris mei, haec etiam testantur me esse Christum. Sed vos non creditis mihi, quia non estis ex ovibus meis. Oves quippe meae vocem meam dociles audiunt, et ego cognosco eas, et ipsae sequuntur me; et ego do eis vitam in aeternum beatam, neque unquam peribunt (quantum a me pendet, dummodo ex parte sua me non deserant), neque ullius creaturae potestas rapiet eas de manu mea. Pater videlicet meus, qui dedit mihi oves meas, major est creaturis omnibus, adeoque nulla creata potestas rapere valet quidquam de manu Patris. Jam vero ego et Pater unum sumus (identitate naturae adeoque potestatis). Quibus auditis, Judaei sustulerunt lapides, ut iis eum obruerent. Respondit eis Jesus : Multa opera bona (hominibus proficua) feci coram vobis per potentiam a Patre meo acceptam : propter quod eorum opus me nunc lapidibus impetitis? Responderunt ei Judaei : Non propter opus aliquod bonum te lapidamus, sed ob blasphemiam a te prolatam, quia scilicet tu, quamvis merus homo sis, facis teipsum Deum! Respondit eis Jesus : Nonne in ipsis litteris sacris vestris scriptum legitur : *Ego dixi, dii estis?* Quodsi Scriptura deos vocavit illos homines principes ad quos citata verba diriguntur, et non potest Scriptura Deo tribuere sermonem veritati non consonum, quanto magis immerito blasphemiae accusatis me, a Patre Deo speciali consecratione deputatum et in terras missum, eo quod dixi me Filium esse Dei! Si non facio opera Patris mei (opera divinam virtutem exigentia) nolite credere mihi (me ejus Filium esse testanti). Si autem hujusmodi opera facio, et si mihi, qualis sim asserenti, non vultis credere, operibus saltem, idem de me testantibus, credite, ut cognoscatis, et (ob hanc cognitionem per miracula acceptam) credatis, Patrem esse in me, et me in Patre (divinae naturae identitate omnimoda).

Digitized by Google

SCHOLION DOGMATICUM

A) ***De divinitate Christi.*** 1) Ex v. 18°. Summum in vitam et mortem propriam dominium attributum est divinitatis. — 2) Versu 30 docetur unitas naturae et omnipotentiae cum Patre. — 3) Christus ut synonyma habet *Ego et Pater unum sumus* et *Filius Dei sum* (v. 30 et 36). Ergo quoties dicitur Filius Dei dicitur Filius Dei naturalis Patri consubstantialis. Ad quod nota : Filius naturalis habet cum patre naturam eamdem *specifice* in creatis, *identice* in divinis : nam natura divina essentialiter singularis est. Quod vide dilucide expositum a S. Athanasio (De decretis nicaenae synodi, n° 20). — 4) Versu 38 divinarum Personarum περιχώρησις seu *circuminsessio* clare enuntiatur.

B) Ex v. 34-36 solet ***objectio*** desumi : Si homines Dei auctoritate judicium exercentes dii vocari possunt, cur ego, etiam merus homo, sed Dei Patris mei legatus, non possum me dicere Filium Dei? Unde, aiunt, valet ratiocinium etiamsi sit Christus merus homo et Dei filius adoptivus, immo ex comparatione cum judicibus id videtur Christus supponere. — At ***respondeo :*** Ratiocinatio haec Christi praescindit a sensu quo se dixerit Filium Dei : non minus ergo valet ratiocinium ejus si Deus de Deo sit. Hoc autem supponi *debet*, secus ratiocinium non concluderet *merito* Christum dixisse, *Ego et Pater unum sumus*. Nam haec verba et *Filius Dei sum* eatenus tantum sunt synonyma quatenus intenditur filiatio divina naturalis. Haec enim sola importat inter Deum Patrem et Filium unitatem physicam, quam, ut ostensum est in commentario, significari postulat contexta oratio.

C) Tota tractatio de *pastore* et *ovibus* relationes inter Christum et justos omnino clare et ad captum populi exprimit. Optimum igitur praebet contionatoribus dicendi argumentum.

Digitized by Google

CAPUT XI

—

Argumentum. Totum hoc caput versatur circa resurrectionem Lazari. In Peraea adhucdum versans Jesus nuntium accipit Lazarum, amicum suum, Bethaniae aegrotare (1-4). — Biduum moratus, dissuadentibus discipulis, tendit Bethaniam, Lazarumque mortuum eis declarat (5-16). — Appropinquanti occurrit Martha; postea a sorore vocata venit Maria stipata multis Judaeis consolantibus eam. Jesus cum utraque colloquitur (17-32). — Jesus lacrimas fundens vadit ad sepulchrum Lazari, quem facta prius prece resuscitat (33-44). — Multis credentibus, pharisaei contra Jesum conspirant; inscius prophetat Caiphas ejus mortem (45-53). — Jesus secedit in Ephrem. Instante autem Paschate pontifices etc. eum apprehendi jubent (54-56).

DISSERTATIO PRAEVIA

De tribus mulieribus, Magdalena, Peccatrice et sorore Lazari

Status quaestionis. Dudum vigebat in ecclesia latina opinio, Mariam Magdalenam, Mariam sororem Lazari, et Peccatricem, de qua Luc. 7, 37 sq., unam esse eamdemque personam, tribus nominibus appellatam, cum seculo XVI, in Gallia, Faber Stapulensis primus aliique post eum, tres esse distinguendas mulieres contenderunt : hanc scilicet sententiam esse Scripturae documentis magis consonam et antiquorum Patrum traditione nixam; eam vero quae unam tantum admittit mulierem, modernam esse, et praecipue ob S. Gregorii Magni auctoritatem in ecclesiam latinam invectam; ipsam adeo romanae ecclesiae antiquam liturgiam distinctionem certe Magdalenae a Maria bethanica supponere. Acriter « novitati » obstitit ilico Facultas parisiensis, et quominus

Digitized by Google

eam quis in posterum sustineret sollemni decreto prohibuit. Postea tamen a pluribus eruditis hominibus in utramque partem fuit controversia agitata, ita ut modo *unitatis*, modo *distinctionis* systema potiores habere partes videretur. Qui pro distinctione decertarunt, celebriores fuere : jam nominatus Faber Stapulensis, Clichtovaeus, Estius, Anquetinus, Tillemont, Calmet. Qui vero *unitatem* propugnarunt : Cardin. Roffensis Fisher, B. Lamy, Sollerius hiagiographus bollandianus, Trevet, Maldonatus, Hengstenberg (1), et omnium plenissime anonymus auctor (Faillon) libri : *Monuments inédits sur l'apostolat de sainte Marie Madeleine en Provence*, col. 1-282. Ex hoc pleraque me desumpsisse profiteor.

Triplex nobis tractanda est quaestio, exegetica, patristica, liturgica.

A) QUAESTIO EXEGETICA.

Praenotanda. De *Maria Magdalena* agunt evangelia his locis : Luc. 8, 2 : *Et* (erant cum Jesu) *mulieres aliquae, quae erant curatae a spiritibus malignis et infirmitatibus : Maria, quae vocatur Magdalene, de qua septem daemonia exierant... et aliae multae, quae ministrabant ei de facultatibus suis.* Matth. 27, 56. 61 ; Marc. 15, 40. 47; Jo. 19, 25, ubi cum ceteris mulieribus legitur cruci Jesu adstitisse et circa ejus sepulturam fuisse sollicita. Matth. 28, 1 ; Marc. 16, 1, ubi narratur prima sabbati venisse ad sepulcrum ad ungendum corpus Domini. Marc. 16, 9; Jo. 20, 1 sq., ubi de apparitione qua Jesus a morte suscitatus

(1) Faber Stapulensis : *De Maria Magdalena*, 1516, 1518 et *De tribus et unica Magdalena*, 1519; Clichtovaeus, *Disceptationis de Magdalena defensio;* Estius, in oratione, quam vide in *Actis Sanctorum*, ad 22 Julii, p. 189; Anquetin, *Dissertation sur sainte Madeleine;* Tillemont, *Mémoires*, t. 2, p. 514; Calmet, *Dissertatio de tribus mulieribus;* Fisher, *De unica Magdalena ;* B. Lamy, *Défense de l'ancien sentiment de l'Église touchant l'office de sainte Madeleine;* Sollerius, *Acta Sanct.*, 22 Jul. ; Trevet, *Dissertation pour maintenir l'unité de Marie Madeleine; etc.;* Maldonatus, in Matth. 26, 6. 7 et 27, 56; Hengstenberg, in Jo. XI.

Digitized by Google

eam dignatus est. Luc. 24, 10 et Jo 20, 18, ubi apparet resurrectionis Christi nuntia. — De *Maria sorore Lazari* : Luc. 10, 38-42, ubi sedens secus pedes Domini ab eo optimam partem assecuta proclamatur; Jo. 11, 2. 3. 5. 19. 20. 28-33. 45, ubi de resurrectione Lazari; et 12, 3-8, ubi de unctione Christi in cena bethanica. — De *Peccatrice* solus Lucas 7, 36-50, ubi narratur in Simonis pharisaei domo recumbentis Jesu pedes unxisse etc.

Quaeritur 1° ***quot fuerint a mulieribus factae corporis Christi unctiones.***

R. ***1a sententia. Tres distinctae,*** quarum prima narratur Luc. 7, 37-46; altera, Jo. 12, 3-8; tertia, Matth. 26, 6-13 et Marc. 14, 3-9.

Rationes. 1) Discrimen *loci et temporis*. Peccatrix, de qua Lucas, unxit Jesum in Galilaea, probabilius in civitate Naim. Cf. Luc. 7, 11. Altera unctio, de qua Joannes, facta est Bethaniae in Judaea, sex ante Pascha diebus, et quidem in domo Marthae (Jo. 12, 2). Tertia, de qua Matthaeus et Marcus, item Bethaniae, sed biduo ante Pascha (Matth. 26, 2; Marc. 14, 1) et in domo Simonis leprosi. — 2) Discrimen *adjunctorum*. *a)* Inter primam et secundam. In prima, cum unguento Peccatrix lacrimas praebet et oscula; solus Simon cogitatione scientiam Christi elevat et misericordiam reprehendit; Christus se potius quam mulierem defendit; de discipulis nulla fit mentio; mulierem demum a se absolutam Christus dimittit. In secunda, Maria ungit absque lacrimis et osculis; murmurat Judas; Christus contra eum Mariam defendit; de Simone pharisaeo nihil; nec de muliere absoluta et dimissa. *b)* Inter primam et tertiam. Praeter modo indicata, in prima, fit unctio pedum tantum, et hospes est Simon pharisaeus. In tertia, fit unctio capitis tantum, et hospes est Simon leprosus, alius a pharisaeo : nam, paucis ante Christi passionem diebus, nullus sane pharisaeus ipsum convivio excepisset. *c)* Inter secundam et tertiam. In secunda, unguntur pedes et capillis terguntur; solus Judas murmurat. In tertia,

Digitized by Google

ungitur caput; plures ex discipulis murmurant. — 3) Discrimen *personarum*. Vide infra, ad quaestionem secundam, p. 305.

2a sententia. Unica unctio, peracta Bethaniae in domo Simonis leprosi, pharisaei, sex diebus ante Pascha, quam omnes evangelistae referunt, non sibi mutuo contradicentes, sed alii alios complentes. Vide Hengstenberg, ad Jo. XI (1).

Rationes. 1) Tot sunt adjuncta communia, eaque adeo singularia, ut neque diversae personae in iis potuerint concordare, neque eadem persona cogitanda sit ea voluisse iterare. Unctiones fiunt a muliere, cenante Domino apud Simonem quemdam; unguentum affertur in alabastro; mulieris actio discumbentibus scandalo est; ejusdem actionis Christus se defensorem constituit. In prima et secunda unctione illud admodum singulare occurrit, quod unctrix crinibus tergat pedes inunctos. — 2) Tam singulare amoris et venerationis obsequium, Domino exhibitum, est quidem, si semel fiat, eximium et mirabile; si vero bis ab eadem muliere fieret, affectatum foret, adeoque minime probabile est fuisse ab eadem repetitum.

Respondetur ad rationes 1ae sententiae. ad 1) Ordo narrationis S. Lucae saepe potius rerum est quam temporis. In praecedentibus (Luc. 7, 34) sermo fuerat de scandalo quod capiebant pharisaei ex eo quod Christus libenter cum peccatoribus ageret. Hujus rei praeclarum exemplum in recepta a Christo Peccatrice statim subjungit S. Lucas, de loco et tempore historiae parum sollicitus.

(1) Multus est hic auctor in congerendis identitatis rationibus. Simonem tenet esse maritum Marthae, cui haec, Galilaea mulier, credi possit occasione alicujus religiosae in Judaeam peregrinationis innotuisse. Mariam cum Jesu Judaeam petentem ad leviri sui domum divertisse; in ejusdem domo habitasse et Lazarum, leviro suo nonnihil invisum hospitem; Simonem uxoris suae gratia invitasse ad sua Jesum utut ei infensum; eique ideo vel consueta hospitii obsequia denegasse, Mariam vero eadem Christo suppeditasse. Jesum porro non modo parcum sibi hospitem reprehendisse, sed sub parabola divitis epulonis, in Lazarum quemdam turpiter immitis, eumdem indigitare voluisse. Haec nobis videntur ingeniosius quam verius excogitata.

Digitized by Google

In Galilaea idipsum accidisse minime insinuat. Simon autem, in cujus domo facta legitur unctio, et pharisaeus esse potuit et leprosus dici; neque in ejus domo repugnat Martham ministrasse (Jo. 12, 2). Erant quidem tunc pharisaei Christo valde infensi; sed et hypocritae erant, ita ut eorum aliquis facile potuerit ex maligna intentione Christum ad convivium invitare. Accedit, non omnes pharisaeos fuisse Christo infensos. Nicodemus certe, pharisaeus (Jo. 3, 1), erat Christi occultus discipulus. — Sed nec temporis discrimen urgendum : non enim dicunt Matthaeus et Marcus cenam bethanicam actam fuisse biduo ante Pascha; sed, biduo ante Pascha Judam de tradendo Domino cum synedrio egisse : cujus nefarii capiendi consilii cum eidem occasionem praebuerit effusi in cena unguenti deperditum sibi pretium, subjungunt evangelistae hujus cenae eventorum narrationem. — ad 2) In his omnibus adjunctis nulla est contradictio, sed rerum gestarum summa quaedam, cujus partes a variis evangelistis subministrantur. Lacrimas et oscula excepisse cogita unctionem pedum, post quam reliquum unguenti fuisse effusum in caput; Judam murmurasse primum et sensa sua communicasse ceteris discipulis (nisi dicas, *discipulos* esse plurale pro singulari positum). Interim Simonem apud se Christi scientiam elevasse et post discipulos fuisse a Christo reprehensum. — ad 3) Vide infra.

Nota. Refutatione digna non est sententia rationalistarum, unam statuens unctionem, cujus historicus nucleus, secundum variorum coetuum christianorum modum, fuerit a variis evangelistis adjunctorum sibi invicem repugnantium involucris varie adornatus.

3ª sententia. Duae unctiones, quarum primam referat Lucas, incerto loco peractam, alteram narrent evangelistae ceteri, actam Bethaniae, sexto die ante Pascha. Ita S. Augustinus et interpretes sat communiter.

In hac sententia distinguendae veniunt partes duae : *prima*, unctionem, de qua Matthaeus et Marcus agunt, non esse discer-

Digitized by Google

nendam ab ea quam refert Joannes; *secunda*, unctionem, quam narrat Lucas factam a Peccatrice, non esse confundendam cum ea quae apud ceteros evangelistas reperitur descripta in narratione cenae bethanicae.

Rationes pro parte *prima*. 1) Nisi de eadem unctione agatur apud Matthaeum, Marcum et Joannem, admittendum foret, murmur discipulorum de eadem re et eodem modo expressum, eique oppositam eamdem Magistri reprehensionem, fuisse in eodem oppido et inter quattuor dierum spatium iterata. Hoc autem nulla probabili ratione defendi potest. — 2) Unctio pedum, de qua Joannes, non excludit unctionem capitis, de qua duo alii evangelistae, sed hanc ipsam complevisse censenda est. — 3) Quod autem Joannes diem cenae dicat sex diebus Pascha praecessisse, alii vero duo evangelistae videantur eam biduo ante Pascha peractam insinuare, quomodo conciliari possint, jam dictum est supra, ad sententiam secundam.

Rationes pro parte *secunda*. 1) Magis obvium est, cenam, de qua Lucas, in Galilaea collocare; si ita, necessario alia fuit a cena bethanica. — 2) Apud Lucam Peccatrix supervenit tamquam convivis extranea; apud Joannem Maria, unctrix, soror est Marthae ministrantis et Lazari recumbentis. — 3) Ex iis quae de sorore Lazari narrat Joannes capite XI, patet tempore cenae bethanicae Mariam a nemine potuisse ut peccatricem haberi. Ergo nec Simon pharisaeus *tunc* ullum suspicioni suae locum invenisset. — 4) Quae de Simonis et de discipulorum murmurationibus eisdemque aptata Christi responsione dicuntur, non facile tibi persuadebis se mutuo excepisse. — 5) Nomen Simonis adeo erat frequens apud Judaeos (1), ut nihil mireris, apud duos homonymos hospites duas cenas illas fuisse peractas. — 6) Ambae

(1) Ita distinguuntur Simon Petrus, Simon Cananaeus, Simon pater Judae Iscariotae, Simon Cyrenensis, Simon Magus, Simon coriarius (Act. 10, 6), Simon Niger (Act. 13, 1), Simeon senex (Luc. 2, 25).

Digitized by Google

unctiones, utut similes, potuerunt ab eadem muliere fieri : quae enim experta fuerat se per talem actionem semel valde placuisse Domino amantissimo, facile induci debebat ad eam data opportunitate iterandam. Potuerunt etiam a diversis fieri mulieribus : tales enim unctiones viris honoratis mensae accumbentibus praestari solebant; sola extersio crinibus peracta aliquam forte difficultatem relinqueret. De iis uberius infra.

Conclusio. 3ª sententia longe magis nobis probatur.

Quaeritur 2° ***quot sint distinguendae unctrices.***

R. ***1ª sententia. Duae :*** altera, Maria soror Lazari, sancta ac piissima femina; altera, ignota mulier, aliquando peccatrix, sed a Christo conversa.

Rationes. 1) Maria bethanica, honestae et honoratae domus filia, nequit cogitari fuisse *in civitate peccatrix*, meretrix publica. — 2) Maria erat judaea, Peccatrix probabilissime galilaea. — 3) Sed et ethnicam fuisse Peccatricem suadetur ex eo quod lege mosaica prohiberetur prostitutio. — 4) Non decuisset Christum hospitari in domo feminae quae aliquando fuisset meretrix, ejusdemque frui familiari amicitia. — 5) Sed nec Judaei ad corruptam olim feminam venissent, eam de morte fratris consolaturi. — 6) Peccatrix cogitanda est femina lascivientis indolis fuisse; soror Lazari quieta apparet, solitariae comtemplationi addicta.

2ª sententia. Una unctrix, quae priorem peregerit unctionem quando nuper peccato renuntiaverat; alteram, paulo ante Christi mortem, et hanc quidem Bethaniae, illam potius in Galilaea.

Rationes. 1) Joannes (11, 2) sororem Lazari iis notis designat, quibus apud Lucam Peccatrix descripta fuerat, et quarum maxime characteristica (quod nempe unguentum capillis extererat) a Matthaeo et Marco de unctrice bethanica relata non fuerat. — 2) Parallelismus verbalis inter Joannem et Lucam non sinit diversum ab utroque relatum eventum cogitare. Sic enim Lucas (7, 38) : καὶ ταῖς θριξὶ τῆς κεφαλῆς αὐτῆς ἐξέμασσε (τοὺς

Digitized by Google

πόδας αὐτοῦ) ... καὶ ἤλειφε τῷ μύρῳ. Joannes vero (11, 2): ἦν δὲ Μαρία ἡ ἀλείψασα τὸν Κύριον μύρῳ, καὶ ἐκμάξασα τοὺς πόδας αὐτοῦ ταῖς θριξὶν αὐτῆς. — 3) Quae in utraque unctione sunt similia, facilius concipiuntur fuisse repetita ab eadem muliere, utpote pridem a Christo ob tale amoris obsequium benigne excepta, quam peracta a diversis mulieribus, casu quodam in re tam singulari concordantibus.

Respondetur ad rationes 1ae sententiae. ad 1) Vocabulum *peccatrix* non necessario *meretricem* publicam sonat. Talis dici poterat femina vel cum uno aliquo fornicari solita. Talia autem illicita commercia etiam ab honestissimae conditionis mulieribus non raro frequentari et historia testatur et multarum hodiedum exempla ostendunt. — ad 2) Familia Lazari potius galilaea fuisse videtur, ut quae tam arctis amicitiae vinculis conjuncta fuerit Jesu « Nazareno », cujus omnes cognati et praecipui discipuli Galilaei essent. Cur circa finem vitae Christi Bethaniae in Judaea sedem haberet, nostrum non est definire. Facilius certe concipitur Maria fuisse peccatrix in Galilaea, procul a fraterna domo bethanica. Quodsi totam familiam malis judaeam putare, tunc suppone, Peccatricem, in Galilaea conversam, Jesu deinceps adhaesisse et ad familiae suae hospitium eum adduxisse. — ad 4) Marthae domus honestissimae famae erat, in qua Mariae dudum et insigniter conversae praesentia scandalo esse non debebat. Christus porro ubique apparet peccatorum paenitentium amicus. — ad 5) Veniebant Judaei ad Martham, sed et ad Mariam tunc et ipsam honestam. Praeterea poterant ignorare Mariam olim procul a Judaea libidini indulsisse. — ad 6) Peccatrix, qualem hic supponimus, pectus habere debuit ad amandum proclive, quo prius ad profanam libidinem, postea ad castissimam et tenerrimam Christi dilectionem fuerit pertracta. Vagam eam et lascivientem fuisse nusquam dicitur.

Huic sententiae ut longe probabiliori subscribimus.

Digitized by Google

Quaeritur 3° ***an Maria Magdalena eadem sit ac Peccatrix.***

R. ***Ia sententia*** negat.

Rationes. 1) Magdalena, utpote a septem daemonibus possessa, non potuisset impuris amatoribus placere. — 2) Lucas nomen Peccatricis tacet, et tamen statim postea nominat Magdalenam; ergo non eamdem putabat cum Peccatrice fuisse, secus eamdem esse monuisset. — 3) Peccatrix fuit a Christo dimissa; Magdalena ei indivulse adhaesit. — 4) Pia mens refugit cogitare, Jesum in suo comitatu habuisse feminam quae meretrix fuisset. — 5) Quod ob scandalum certe evitare debuisset. — 6) Magdalena oriunda erat e Magdala, Galilaeae oppido, Peccatrix ex civitate Naim.

2a sententia affirmat.

Rationes. 1) Possessio daemonis feminae peccatricis notioni concordat. — 2) Magdalena alia non erat ac Maria, soror Lazari (vide infra); haec autem eadem ac Peccatrix; ergo et illa.

Respondetur ad rationes 1ae sententiae. ad 1) Possessio daemonis non importat per se deturpatam corporis speciem. Quidni *spiritus maligni* (Luc. 8, 2) potuissent Magdalenae majorem etiam gratiam ad profanos amores ciendos adjicere? — ad 2) Forte identitatem utriusque ignorabat S. Lucas, vel certe noluit eam indiscrete prodere. — ad 3) Peccatrix dimissa *tunc* e cenaculo, poterat *deinceps* Christo se comitem adjungere : unde satis congrue explicatur, quod Lucas statim muliebrem Christi comitatum commemorat. — ad 4) Christus non refugiebat vocari peccatorum amicus; suam autem castimoniam nunquam passus est in suspicionem vocari. — ad 5) Conversio mulieris erat notoria, et quantum ea prius vitio, tantum postea sanctitate eminebat : hinc nullum scandalo rationabile motivum. Minime certe id fuit scandalo pluribus sanctis Patribus, Peccatricem Christo comitem tribuentibus. — ad 6) Alterum quidem est probabile, alterum de Peccatrice nusquam legitur. Mulier e Magdala oriunda potuit in vicina civitate Naim libidini vacare.

Digitized by Google

Utra sententia sit amplectenda, maxime dependet a quaestione sequente.

Quaeritur 4° ***an Maria Magdalena eadem sit ac soror Lazari.***

R. ***1a sententia*** negat.

Rationes. 1) S. Lucas, postquam Magdalenam ut Christi comitem nominavit (8, 2), loquitur (10, 39) de sorore Marthae tamquam de muliere lectoribus hactenus ignota, eamque unico nomine Mariae designat. — 2) Joannes vero, ubi primum Mariam bethanicam inducit, non eam dicit esse illam, e Synopticis notissimam, Magdalenam, sed peccatricem ignoti nominis, cujus una tantum unctionis historia innotescat. — 3) Et ubi postea Magdalenam juxta crucem stetisse, ad sepulcrum venisse etc. narrat, nihil insinuat se jam de ea ut de sorore Lazari egisse. — 4) Magdalena ex Magdala oppido Galilaeae orta erat, soror Lazari potius Bethaniam patriam habuisse putanda est. — 5) Alia indoles Magdalenae, alia Mariae bethanicae. Haec meditabunda, solitaria, pie otiosa, domi se continens; illa actuosa, per vicos et oppida post Jesum cursitans, ei ad victum necessaria suppeditans, ardens, inquieta, curiosa (Jo. 20, 1. 2. 13-17. 18; Matth. 28, 1 etc.).

2a Sententia affirmat.

Rationes. 1) Nomen utriusque concordat. — 2) Maria ungendo pedes et caput Christi in cena, dicitur a Domino praevenisse ungere corpus ejus in sepulturam (Marc. 14, 8); Magdalena vero perhibetur prima sabbati agmen duxisse mulierum summo mane ad sepulcrum euntium ut corpus Christi inungerent. — 3) Si Magdalena non erat soror Lazari, haec sola inter feminas Christo addictas desiderabatur sub cruce et ad sepulcrum, cum tamen ibi fuisset prae ceteris exspectanda et, si adfuisset, nomine designanda. — Responderi tamen jure posset, Martham etiam ibi exspectandam fuisse, et tamen de ea altum servari silentium. — 4) In utraque eminet tenerrimus erga Christum amor. — 5) Semel Joannes (20, 11) Magdalenam solo nomine Mariae, sine addito, appellat.

Digitized by Google

Respondetur ad rationes 1[ae] sententiae. ad 1) Non constat S. Lucam Mariae et Magdalenae identitatem cognovisse. Non enim ipse inter Christi familiares fuerat. — ad 2) Joannes narraturus unctionem Mariae, potius cogitare debuit Peccatricem simili unctione claram, quam Magdalenam, quae nihil hujusmodi egisse legebatur. — ad 3) Synopticos imitatus, vocat eam cognomine Magdalenae, ubi de passione, sepultura et resurrectione agit. Ibi enim erat a duabus ejusdem nominis mulieribus discernenda. In iis vero quae in familia Marthae aguntur, solo nomine Mariae utitur, utpote jam nulli confusioni obnoxio. Poterat autem ad finem saeculi primi satis constare de identitate Magdalenae et sororis Marthae, ut de ea suos lectores monere Joannes nullatenus opus haberet. — ad 4) Jam responsum supra, ubi de quaestione 2[a]. — ad 5) Quae in indole Magdalenae et Bethanicae diversa esse dicuntur, facile concipiuntur in eadem persona, pro varietate adjunctorum rerum et temporis, ex amore suavi et generoso prodiisse. Pie otiatur ad pedes Jesu; anxie et operose discurrit, ut ad dilectum Magistrum perveniat eique per vicos praedicanti adhaereat. Etc.

Conclusio. Ex dictis supra patet, in textu evangelico nihil obstare quominus Magdalena, soror Lazari et Peccatrix pro una persona habeantur; positivas autem pro hujusmodi identitate rationes non eas esse quae solae circa hanc rem opinionem magis probabilem fundare queant. Restat ergo ut per traditionem dubium in alterutram partem, si fieri potest, solvatur.

B) QUAESTIO PATRISTICA.

Praenotanda. Cum agatur de facto historico, testimonia Patrum ponderanda sunt magis quam numeranda; antiquiores Patres praeferendi recentioribus; nec negligenda investigatio rationum ob quas in suam quisque opinionem ductus fuerit. His praemonitis,

Quaeritur *quid sentiant Patres de unitate vel distinctione trium, quae dicuntur, mulierum.*

R. 1° Nullus inter Patres vel scriptores antiquos affirmat Mariam Magdalenam distinguendam esse a Peccatrice. Non *S. Modestus*, Jerosolymorum episcopus, saeculi VII auctor, recitans acta apocrypha, quae Magdalenam evangelicam imperite confundunt cum Magdalena ephesina, virgine et martyre saeculi III vel IV. Non *S. Ambrosius*, qui, ut infra dicetur, aperte Magdalenam eamdem esse tenet ac Peccatricem; adeoque sensu figurato explicandus est, quando (De Virginitate, 3 et 4) haec scribit : « Considerate quia virgines prae apostolis resurrectionem » Domini videre meruerunt... Vidit ergo Maria resurrectionem » Domini, et prima vidit et credidit. Vidit et Maria Magdalena, » quamvis adhuc ista nutaret... Videte quod meritum *non sola* » *carnis integritas facit, sed etiam mentis integritas.* » Ergo S. doctor Magdalenam supponit integram mente, non carne.

2° A sorore Lazari eam distinguunt *Constitutiones apostolicae* (3, 6), opus spurium, incertae aetatis, antiquum tamen, sed minore fide dignum. Item *Joannes Thessalonicensis*, saeculi VII scriptor, adeoque nimis recens ut in hac re magni fiat.

3° Mariam bethanicam a Peccatrice discernunt : *Origenes* (In Matth., t. 3, p. 892) : « Nec enim credibile est ut Maria, » quam diligebat Jesus, soror Marthae, quae meliorem elegerat » partem, peccatrix in civitate fuisse dicatur (1)... » — *S. Chrysostomus* et schola sua *(Theophylactus, Euthymius)*, sed ob rationes exegeticas. Ita Chrysost. (In Matth., hom. 80, t. 7, p. 765) : « Apud tres evangelistas una, meo judicio, eademque » est; apud Joannem vero non item; sed alia quaedam mirabilis » mulier, soror Lazari. » — *Victor Antiochenus* in Catena in Marcum (Bibl. PP., t. 4, p. 406). — *S. Proclus* (Orat. in S. fer. V. Bibl. PP., t. 6, p. 604) unctricem bethanicam vocat « castam et religiosam mulierem. » — *S. Basilius Seleucius* (Orat. 40. Bibl. PP., t. 8, p. 485). — *Hesychius* (Quaest. 31 solut.).

(1) Qui tamen alibi (In cantic., t. 3, p. 14) innuit Lucam et Joannem de eadem muliere scripsisse.

Digitized by Google

Locus ab adversariis citatus quasi *S. Theophyli Antiocheni*, saeculi II, non est ejus sed *Theophylacti*, saeculi XI (In Marc. cap. 14). — Perperam etiam sibi vindicant *S. Irenaeum* (Haer., 3, 14, 3), ubi dicit, nos per solum Lucam cognovisse « quomodo apud pharisaeum recumbente eo, peccatrix mulier » osculabatur pedes ejus et unguento ungebat, et quaecumque » propter eam dixit ad Simonem Dominus de duobus debito- » ribus. » — nec non *Titum Bostrensem*, pro quo anonymum quemdam saeculi VII vel VIII sumpserunt.

4° Mariam bethanicam eamdem tenent esse ac Peccatricem *Concordia Ammonii* dicta, edita a Victore Capuano, saeculi VI scriptore, ubi unica recensetur unctio a quattuor evangelistis narrata. — *Multi interpretes* Origine anteriores, ut ipse testatur (In Matth., t. 3, p. 892) : « Multi existimant de una eademque » muliere quattuor evangelistas exposuisse. » *Tertullianus* (De Pudic., c. 11) : « Peccatrici feminae etiam corporis sui » contactum permittit, lavanti lacrimis pedes ejus, et crinibus » detergenti, et unguento sepulturam ejus inauguranti. » — *Canones Eusebii*, unicam item unctionem admittentes — *Ps. Basilius* (De vera virginit., n. 52). — *Apollinarius* et *Theodorus Mopsuestenus*, in Catena Vict. Antioch. (l. c.) — *Andreas Cretensis* (Orat. de res. Laz. Migne, Pat. Gr., t. 97, p. 984). — Minus stringens est antiquissimum testimonium *Clementis Alexandrini* (Paedag., 2, 8) : « Scio quod cum unguenti alaba- » strum ad sanctam cenam attulisset, unxit pedes Domini, et » eum delectavit... Sed mulier quidem quae Verbi nondum » fuerat particeps (erat enim adhuc peccatrix), eo quod apud se » esse pulcherrimum existimabat, nempe unguento honoravit » Dominum : itaque etiam ornamento corporis, nempe capillis » suis, abstersit unguentum quod redundabat, libans Domino » lacrimas paenitentiae; propterea ejus peccata dimissa sunt. » Cum dicat haec facta esse ad sanctam cenam, παρὰ τὸ δεῖπνον τὸ ἅγιον, videtur cenam bethanicam confudisse cum cena apud pha-

Digitized by Google

risaeum, adeoque sororem Lazari cum Peccatrice. — *S. Ephrem* (Oper. syr.-lat., t. 3, p. 399. 409 sq.) : « Femina peccatrix » creditoris sui pedes depluentium oculorum rore lavit, capillis » suis tersit, unguento linivit.... Christi discumbentis capiti » unguentum infudit; odor inde spirans triclinium complevit, » convivas rapuit; mox de pretio disceptari coeptum est. » — *S. Paulinus* (Ep. 23, n. 34. Migne, P. L., t. 61, p. 279), post plura de Peccatrice, addit : « Ideo denique et vocem Judae » aspernatus est.... qui mulieris unguentum Christi pedibus » invidebat. » — *S. Ambrosius* (T. 1 in Luc., p. 1387) « Hanc » ergo mulierem inducit S. Matthaeus supra *caput* Christi effun- » dentem unguentum, et ideo forte noluit dicere peccatricem; » nam peccatrix, secundum Lucam, supra Christi *pedes* effudit » unguentum. Potest ergo non eadem esse. » Et (ibid., p. 1539) « Non igitur tangi Dominus fastidivit a femina, cujus et Maria » *pedes* unxit unguento. » Et (De Paenit., 2, 7, 62) : « Mittat in » me Maria unguentum suum pretiosum, et ungat, et peccatum » extergat. » Quae si conferas, videbis Mariam bethanicam et Peccatricem a S. Ambrosio non discerni. — *S. Hieronymus* (Praef. in Osee. Migne, t. 25, p. 817) : « Haec est mulier meretrix » et adultera, quae in evangelio pedes Domini lacrimis lavit, » crine detersit, et confessionis suae honoravit unguento; indi- » gnantibus discipulis, et maxime proditore, quod non fuisset » venditum et pretium illius in alimenta pauperum distributum, » Dominus respondit : *Quid molesti estis...* » (1). — *S. Hilarius Pict.* (in Ps. 132, n. 5) : « Una caput, alia pedes unxerit. » Dubium tamen manet utrum S. Doctor duas an tres unctiones distinxerit. — *S. Augustinus* (De cons. evang., L. 2, n. 154) apertissime admittit duas quidem unctiones, sed ambas ab eadem muliere peccatrice, Maria sorore Lazari, peractas. Ita v. g. « Eamdem Mariam bis hoc fecisse, semel scilicet quod Lucas

(1) S. Hieronymus (in Matth. 26, t. 4, p. 125) discernit cenam de qua SS. Matth. et Marc. ab ea de qua S. Joannes.

Digitized by Google

» narravit... » Quodsi in Jo., Tract. 49, 3 dicat : « Ecce ipsa » soror Lazari (si tamen ipsa est quae pedes Domini unxit » unguento, et tersit capillis quos laverat lacrimis), melius » suscitata est quam frater ejus... Erat enim famosa peccatrix : » et de illa dictum est : *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam* » *dilexit multum,* » non sunt haec verba vere et serio dubitantis, sed aliorum notum dubium permittentis. — *S. Gregorius M.*, omnibus fatentibus. Vide Breviar. Rom., ad fer. V post Dom. Pass. « Hanc vero, quam Lucas peccatricem mulierem, Joannes » Mariam nominat, illam esse Mariam credimus, de qua Marcus » septem daemonia ejecta fuisse testatur. » Quam sententiam fuisse ab omnibus latinis medii aevi interpretibus susceptam, apud omnes in confesso est. Quare ab eorum catalogo bene longo texendo supersedendum ducimus.

5° Magdalenam sororem Lazari faciunt : *Apollinarius* (in Catena Corderii, ad Jo. XII) : « Maria refert typum Ecclesiae ex » gentibus (utpote a daemonibus liberatae, sicut ex hac septem » daemonia egressa sunt), quae instar odoris suavissimi fidem » Christi morti defert, ejusdemque virtute caput suum studio et » amore ejus salutari imbuens, mundum hunc universum odoris » suavitate replevit. » Cf. Matth. 26, 7. 12 et Jo. 12, 3. — *S. Gregorius Nyss.* (Serm. 2 de Res., p. 412) dicit, Marias fuisse omnino tres, enumeratas a Joanne 19, 25 : ergo inter eas etiam sororem Lazari agnoscit, quam porro cum Magdalena confundit. — *Euthymius* (in Jo. 20, 17) dicit Magdalenam assuetam pedibus Domini : « Nam se ad tangendum pedes ejus aptabat, sicut solebat. » Cf. Jo. 12, 3 et Luc. 10, 39. — *Cedrenus,* fatentibus adversariis. — *S. Hieronymus* (Ad Hebid., c. 4) quattuor dicit fuisse Marias, « unam matrem Domini Salvatoris; alteram, » materteram ejus, quae appellata est Maria Cleophae; tertiam, » Mariam matrem Jacobi et Jose; quartam, Mariam Magda- » lenam. » Ergo...

6° Tres, quae dicuntur, mulieres pro una habent : *Apollina-*

Digitized by Google

rius. Vide responsa quartum et quintum. — *S. Ephrem* (Orat. de Magdal., t. 3, p. 408) : « Haec est illa meretrix quae magnam » vitae partem in prostibulo trivit. Qui factum dicamus ut vitae » sanctitate et virtutis studio apostolorum et evangelistarum » gloriam in fine adaequaverit? » Et, ne quidquam dubites, p. 396 (syr. 395) expresse dicit : « Septem daemonia, luxuriae duces, » eam invaserant. » Vide praeterea supra ad responsum nostrum quartum. — *S. Ambrosius* (T. 2., Appendix, p. 454) « Christus » largum sanguinis fluxum siccat in Martha, daemones pellit ex » Maria, corpus redivivi spiritus calore constringit in Lazaro. » Aliqui tamen dubitant de authentia libri ubi haec reperiuntur. Vide insuper ad responsum quartum. — *S. Petrus Chrysologus* (Serm. 93, De conv. Magdal.) : « Domini pedes lavat lacrimis, » crinibus tergit. ... Mulierem super caput Domini fudisse oleum, » alio evangelista referente cognovimus. » — *S. Hieronymus* et *S. Gregorius M.* Vide supra ad responsa quartum et quintum. Postea Latini communiter ita sentiunt.

Conclusio. Sententia quae tenet Magdalenam, sororem Lazari et Peccatricem unam eamdemque esse personam, minime certe moderna dicenda est : diu enim ante S. Gregorium Magnum in ecclesia, non latina modo, sed et graeca et syriaca accepta fuit; quod autem unicam unctricem spectat, antiquior est ipso Origene, qui se ei primum opposuisse noscitur. Eam autem oppugnavit ille, non ut testis historicae traditionis, sed ex rationibus partim polemicis (contra objectiones Celsi), partim exegeticis. Similiter ex exegeticis rationibus tantum in contrarias partes abiit S. Chrysostomus. Alii vero Patres qui *unitatem* admittunt, non per discussionem vel ex polemica necessitate eam adstruunt; sed tamquam placide vigentem opinationem assumunt, nullum sibi contradictorem supponentes. Quas demum pro se habet auctoritates, numero longe praestant, pondere vero non inferiores sunt iis quae militant pro sententia adversa. Ergo dicenda est in ecclesiastica traditione solide fundari.

Digitized by Google

C) QUAESTIO LITURGICA.

Restat videndum quomodo varia de hac re opinandi ratio se in utriusque ecclesiae liturgia expresserit.

Quaeritur 1° ***de liturgia graeca.***

R. Ex ea sibi argumentum assumunt ii qui pro *distinctione* pugnant. A Graecis scilicet triplex festum quotannis agi, unum de Peccatrice, 31 Martii; alterum de Maria sorore Lazari, 18 Martii; tertium de Maria Magdalena, 22 Julii; singulorum porro festorum distinctam in menaeis fieri mentionem.

***Contra est** a)* rerum historicarum peritos menaeis Graecorum exiguam omnino tribuere auctoritatem; ipsos adeo eruditos, qui eis in re praesenti utuntur, in aliis quaestionibus eadem documenta nullo in numero habere. — *b)* distincta illa festa non necessario supponere, distinctas personas celebratas fuisse. Nam ad festum Peccatricis, dicitur haec pedes Domini unxisse in domo *Simonis leprosi*. — *c)* menaea certe nusquam *unitatem* diserte negare. — *d)* menaea Magdalenam vocare μυροφόρον. Sed hoc non est ei characteristicum, nisi eadem cum unctrice bethanica supponatur.'

Quaeritur 2° ***de liturgia latina.***

R. Consentientibus omnibus, a saeculo VI ad saeculum usque XVI, ecclesia romana et latina universa in sua liturgia unam dumtaxat mulierem sub triplici vocabulo perpetuo celebrarunt. Quod autem, post suscitatam saeculo XVI controversiam, sententia *distinctionis* in quaedam breviaria gallicana invecta est, hoc ad praesentem de antiqua traditione inquisitionem nihil importat.

Contendunt tamen adversarii *unitatis*, ante S. Gregorium Magnum ecclesiam latinam distincta festa Mariae bethanicae et Magdalenae egisse. Argumento ipsis sunt : 1) duo antiqua martyrologia, alterum hieronymianum dictum, in quo ad 19 Januarii legitur : *Jerosolymis, natalis Mariae et Marthae, sororum Lazari*, alterum Rabani Mauri quod 22° Julii festum S. Mariae Magdalenae adscribit. — 2) quod in Litaniis S. Maria Magdalena ponatur prima inter « virgines et viduas. » Ergo non eadem cen-

Digitized by Google

setur ac Peccatrix. — 3) quod Clemens VIII jusserit ex officio S. Mariae Magdalenae tolli hymnum in quo *unitas* affirmaretur.

Respondetur ad 1) *a)* Neutrum martyrologium ponit duplex festum. Sed, quod caput est, *b)* martyrologium hieronymianum primitus habebat ad 19 Januarii : *Natalis sanctorum Marii et Marthae*, additis in codicibus variis, sive *filiorum*, sive *et Audifax*, sive : *cum filiis suis Audiface et Abacuc* etc. — ad 2) Ecclesia non intendit ideo Magdalenam comprehendere sub formula « omnes sanctae virgines et viduae » nisi quatenus haec formula synecdochice valet pro tota collectione sanctarum feminarum omnium, inter quas et conjugatae sunt, et post conversionem continentes. Intendit vero Ecclesia locum honoratiorem assignare Mariae Magdalenae, utpote Christo addictissimae eique dilectissimae. — ad 3) Sed alium hymnum loco prioris substituit, in quo eadem *unitas* non minus clare affirmatur. Accedit quod romanum S. Mariae Magdalenae officium in decem diversis locis *unitatem* supponit : in invitatorio; lectionibus nocturni II; hymnis ad vesperas, matutinum et laudes; antiphonis ad magnificat in utrisque vesperis; et demum in oratione.

Conclusio. In liturgia nihil obstat, multa favent sententiae *unitatis*.

Conclusio totius dissertationis.

Sententiam quae tenet, Mariam Magdalenam, Mariam sororem Lazari et Peccatricem, unam eamdemque esse personam, tamquam probabiliorem admittimus, utpote textui evangelico minime adversam, solide in antiquitatis traditione fundatam, neque ullis obnoxiam difficultatibus sat seriis ut hujus traditionis fidem infirmare valeant.

EXPOSITIO TEXTUS

Magna ubique apparet S. Joannis sollicitudo ut Christi miracula ostendat esse divinae ejus missionis, sed et ipsius quae in eo esset divinae naturae validissima argumenta. Jam inter omnia

Digitized by Google

miracula Christi nullum est illustrius quam quatriduani Lazari resuscitatio; nullum ad divinae Christi missionis probationem efficacius : cum et coram Judaeorum primoribus multis fuerit patratum, ab eisque sine dubitatione admissum; sed et ab ipso Christo diserte in missionis suae testimonium a Deo expostulatum. Maxime ergo ad scopum evangelistae faciebat ut hoc prodigium cum minutis etiam adjunctis nobis enarraret.

Accedit quod hoc prodigium fuit Judaeis motivum ultimo determinans nefarii consilii de occidendo Christo. Erat ergo in vitae Christi historica serie necessarius annulus, nulla ratione omittendus ab illo narratore cui rerum nexum exponendi perpetua cura est.

Nuntius aegrotantis Lazari

1. ***Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariae, et Marthae sororis eius.*** **2.** ***(Maria autem erat, quae unxit Dominum unguento, et extersit pedes eius capillis suis : cuius frater Lazarus infirmabatur.)*** **3.** ***Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes : Domine, ecce quem amas infirmatur.*** **4.** ***Audiens autem Iesus dixit eis : Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.***

V. 1. ERAT..., QUIDAM LANGUENS LAZARUS. Gallice : *Il y avait un homme malade, Lazare* (1). A BETHANIA prope Jerusalem quasi semi-leuca a civitate. DE CASTELLO, pago, MARIAE ET MARTHAE SORORIS EIUS (αὐτῆς), quas et Lazari sorores fuisse patet ex v. 2. — BETHANIA ortus vel habitationis locum designat; DE CASTELLO videtur esse in appositione ad *a Bethania*, ita ut praepositiones ἀπὸ et ἐξ idem hic sonare censeantur. —

(1) Nomen Lazari ponitur in versione syriaca ܠܥܙܪ (Lo'ozar); versio societatis biblicae hebraica ponit אֶלְעָזָר (El'azar), *Deus adjuvit*.

Digitized by Google

Lazarus, hactenus in evangeliis non nominatus, designatur ut frater Marthae et Mariae, quae notae erant ex Luc. 10, 38. 39. Lazarum tunc aegrotasse Bethaniae patet ex v. 18.

V. 2. MARIA AUTEM ERAT QUAE UNXIT... Quibus verbis S. Joannes indicat, Mariam hanc eamdem esse ac Peccatricem, de qua Luc. 7, 37. De qua re vide supra dissertationem nostram, ad quaestionem exegeticam 2am, ubi de 2a sententia, p. 305 et 306.

V. 3. MISERUNT DICENTES, λέγουσαι. Hebraismus est : לֵאמֹר. — QUEM AMAS amore naturalis amicitiae quo Jesus ut homo Lazarum diligebat. — Nuntii hujus admiranda est simplicitas et fiducia. Conclusionem practicam amantissimo cordi Jesu Lazari sorores relinquunt.

V. 4. Respondet Jesus accepto nuntio : INFIRMITAS HAEC NON EST AD MORTEM, SED PRO GLORIA DEI, UT GLORIFICETUR FILIUS DEI PER EAM. Id est : non mortem pro scopo habet sed Dei gloriam, scilicet ut ad glorificandum Dei Filium serviat. Mors secutura finis non est hujus morbi, sed medium ad gloriam Dei.

Iter Christi Bethaniam

5. Diligebat autem Iesus Martham, et sororem eius Mariam, et Lazarum. 6. Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. 7. Deinde post haec dixit discipulis suis : Eamus in Iudaeam iterum. 8. Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quaerebant te Iudaei lapidare, et iterum vadis illuc? 9. Respondit Iesus : Nonne duodecim sunt horae diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt : 10. Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. 11. Haec ait, et post haec dixit eis : Lazarus amicus noster dormit : sed vado ut a somno excitem eum. 12. Dixerunt ergo discipuli eius : Domine, si dormit, salvus erit. 13. Dixerat autem Iesus de morte eius : illi autem putaverunt quia de dormi-

Digitized by Google

tione somni diceret. 14. Tunc ergo Iesus dixit eis manifeste : Lazarus mortuus est : 15. Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum. 16. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos : Eamus et nos, ut moriamur cum eo. 17. Venit itaque Iesus : et invenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. 18. (Erat autem Bethania iuxta Ierosolymam quasi stadiis quindecim.)

V. 5. 6. DILIGEBAT... Ergo si proficisci moratus est, id non fuit ex incuria sed ex altiore consilio. — QUIDEM (tamen) MANSIT... DUOBUS DIEBUS. Ratio morae praedeterminatio futuri miraculi erat. Mansit ut Lazarum mortuum inveniret et ita eum resuscitandi occasionem nancisceretur.

V. 7. 8. Clara haec ex 10, 40. 31. 39.

V. 9. NONNE DUODECIM HORAE DIEI SUNT? A tempore reditus ex captivitate babylonica Judaei dividebant diem ab ortu solis usque ad occasum in horas duodecim, quae singulae pro diversitate temporum in anno aliis aliae breviores vel longiores erant. Hic emphasim ponit Jesus in *duodecim*. Tota oratio allegorica est : *diem* vocat tempus vitae suae mortalis, quo nullis insidiis impeti se sinat; *noctem*, tempus passionis et mortis suae, qua se inimicorum manibus tradat. Tunc dies illa jam declinabat, nondum tamen penitus erat absoluta : hora quippe ejus undecima, puta, tunc erat... NON OFFENDIT ad quodcumque obstaculum, QUIA LUCEM HUIUS MUNDI, solem VIDET.

V. 10. SI AUTEM... Pergit in allegoria. *Lux* repraesentat divinum consilium vitam Jesu incolumem fore decernens donec veniat *hora* ejus. — Cf. Jo. 9, 4, ubi eadem metaphora diei et noctis.

V. 11. Nullum hujus « somni » Lazari nuntium acceperat (secus Joannes id dicere non omisisset), sed divina scientia quid factum esset noverat. SED VADO UT A SOMNO EXCITEM EUM.

Digitized by Google

Unde patet Christi certa intentio eum resuscitandi, et simul certa persuasio resurrectionis secuturae.

V. 15. Sensus : GAUDEO QUONIAM ante mortem ejus IBI NON ERAM; si enim ibi fuissem aegrotum profecto pro innata mihi bonitate a morbo sanassem. Gaudeo, inquam, PROPTER VOS, UT ex eo quod a me mox patrabitur miraculo CREDATIS, seu argumentum accipiatis credendi divinam meam missionem (v. 42).

V. 16. THOMAS. Nomen aramaicum תְּאֹמָא, *geminus*, a radice תאם, *geminus fuit*. Δίδυμος, *geminus*, non est nisi idem nomen versum in graecum. — UT MORIAMUR CUM EO. Videtur verba Christi v. 9. 10 non intellexisse. Haesitantes (forte) condiscipulos verbis generosis animat. Firmitas animi prodit se in S. Thoma hic sicut post Christi resurrectionem (20, 25).

V. 17. QUATUOR DIES. Hinc fama mortis ejus usque ad civitatem, semi-leuca fere (v. 18) a Bethania distantem, pervenire potuerat et inde multos ex Judaeis (v. 19) eo allicere.

V. 18. QUASI STADIIS QUINDECIM. Maldonat. : « Notum est, stadium centum et viginti habere passus; itaque quindecim stadia sunt mille octingenti septuaginta passus. » Cf. comment. ad Jo. 6, 19.

Martha et Maria cum Jesu

19. ***Multi autem ex Iudaeis venerant ad Martham, et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo.*** **20.** ***Martha ergo ut audivit quia Iesus venit, occurrit illi : Maria autem domi sedebat.*** **21.** ***Dixit ergo Martha ad Iesum : Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus :*** **22.** ***Sed et nunc scio quia quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.*** **23.** ***Dicit illi Iesus : Resurget frater tuus.*** **24.** ***Dicit ei Martha : Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.*** **25.** ***Dixit ei Iesus : Ego sum resurrectio, et vita : qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet :*** **26.** ***Et omnis, qui vivit, et credit in me, non morietur in aeter-***

Digitized by Google

num. Credis hoc? **27.** *Ait illi : Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* **28.** *Et cum haec dixisset, abiit, et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens : Magister adest, et vocat te.* **29.** *Illa ut audivit, surgit cito, et venit ad eum :* **30.** *Nondum enim venerat Iesus in castellum : sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha.* **31.** *Iudaei ergo, qui erant cum ea in domo, et consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia cito surrexit, et exiit, secuti sunt eam dicentes : Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.* **32.** *Maria ergo cum venisset ubi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius, et dicit ei : Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.*

V. 19. Ergo familia Lazari non vulgaris quaedam erat, sed nobilis et honesta, utpote nota in vicina civitate, et amica Judaeorum, hominum in natione nominatorum. — Ergo et miraculum testes habuit multos, insignes, eruditos, non credulos, et contrariis in Jesum praejudiciis occupatos. Quae omnia concurrunt ad summam testimonii credibilitatem stabiliendam.

V. 20. Adventus Jesu primum soli Marthae, ut dominae domus (Luc. 10, 38), nuntiatur. Mariae postea nuntium defert Martha.

V. 21. 22. Martha in potentiam thaumaturgam Jesu credit quidem, at considerat eam ita a Deo Patre dependentem ut ejus effectus precibus ab eo sint impetrandi : SED ET NUNC, quamvis mortuo fratre, SCIO... Jesum credit FILIUM DEI (v. 27), sed ejus identicam cum Deo Patre potentiam forte non clare perspicit. — Fratrem a Jesu suscitandum esse sperare videtur, freta procul dubio verbo Jesu (v. 4); hanc tamen spem non esse valde firmam ostendunt v. 24 et 40.

V. 23. 24. Jesus data opera ambiguis verbis utitur, quae Martha de resurrectione universali intellegit; vel certe ita respondet ut ipsa ex parte Jesu clariorem sententiae explicationem urgeat. — Magnam haec Marthae responsio tristitiam prodit.

V. 25. Jesus fiduciam Marthae imperfectam corrigit ejusque

Digitized by Google

mentem, occasione sumpta ex eventu praesenti, ad altiores veritates attollit. — Sensus : EGO, propria mea virtute quam a nemine, ut tu putas, impetrare debeam, SUM RESURRECTIO (intellegi potest aequivoce de resurrectione corporali et spirituali) ET VITA vera, aeterna. QUI CREDIT IN ME, fide quae per caritatem operatur, ETIAMSI corpore MORTUUS FUERIT, sicut Lazarus, VIVET vita in aeternum beata.

V. 26. ET OMNIS QUI VIVIT corpore, ET CREDIT IN ME, simili fide, NON MORIETUR IN AETERNUM, nunquam morietur : nam, qua credens, vitam aeternam habet eamque nunquam amittet. Recole 6, 40; 3, 15, etc. Gallice igitur hoc vertendum : *ne mourra jamais*; non vero, *ne mourra pas pour toujours*, uti aliqui exponunt, non satis attendentes ad orationis gradationem : Qui mortuus est iterum vivet; qui vivit nunquam morietur.

Vita haec aeterna, quae his verbis promittitur credentibus, primario est vita supernaturalis animae, secundario et consequenter vita aeterna ipsius corporis. Nam, juxta usum loquendi Scripturae, mors temporalis justorum speciem potius quam realitatem mortis prae se ferre censetur, quippe quam beata ad aeternam vitam resurrectio excipere debeat. Cf. Sap. 3, 1-4. — CREDIS HOC, hanc doctrinam de me verae et aeternae vitae auctore?

V. 27. Martha verborum Christi sensum non plene percipiens, facit actum fidei qui eum actum quem Jesus postulat implicite contineat. Credere se profitetur Jesum esse Messiam, Filium Dei a Deo missum, adeoque totam ejus doctrinam esse veram. — CREDIDI, πεπίστευκα, fidem praeteritam etiamtum durantem sonat.

V. 28. VOCAT MARIAM quae domi remanserat (v. 20) SILENTIO, graece λάθρα, *clanculum :* ad aurem ei suggerendo, ita ut adstantes lateat quid dicat.

V. 30. CASTELLUM designat, ut videtur, domorum congeriem extra quam OCCURRERAT EI MARTHA.

V. 31. IUDAEI... SECUTI SUNT EAM, unde et miraculo adfuturi.

Digitized by Google

Sucitatio Lazari

33. *Iesus ergo, ut vidit eam plorantem, et Iudaeos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, et turbavit seipsum.* 34. *Et dixit : Ubi posuistis eum? Dicunt ei : Domine, veni, et vide.* 35. *Et lacrymatus est Iesus.* 36. *Dixerunt ergo Iudaei : Ecce quomodo amabat eum.* 37. *Quidam autem ex ipsis dixerunt : Non poterat hic, qui aperuit oculos caeci nati, facere ut hic non moretur?* 38. *Iesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat autem spelunca : et lapis superpositus erat ei.* 39. *Ait Iesus : Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror eius, qui mortuus fuerat : Domine, jam foetet, quatriduanus est enim.* 40. *Dicit ei Iesus : Nonne dixi tibi quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?* 41. *Tulerunt ergo lapidem : Iesus autem elevatis sursum oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me.* 42. *Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi : ut credant quia tu me misisti.* 43. *Haec cum dixisset, voce magna clamavit : Lazare, veni foras.* 44. *Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes, et manus institis, et facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus : Solvite eum, et sinite abire.*

V. 33. ... INFREMUIT SPIRITU, ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι, id est infremuit intimis animi sensibus. *Fremitus* ille, juxta ***alios*** *indignationis* erat, sive contra incredulitatem Judaeorum ob quam Lazarus mori permissus sit ut occasionem miraculo praestaret, sive contra diabolum mortis auctorem primum... (Tol., Luc. Brug., Beelen); — juxta ***alios*** fuit *fremitus tristitiae sympathicae*, ipsa natura duce productus ex intuitu lacrimantium Mariae et Judaeorum, accedente sensu tenerae Jesu in Lazarum amicitiae (Maldon., Maier, Kuin.); juxta ***alios*** *fremitus conaminis* contra oborientem in se compassionis motum (Chrysost.,

Digitized by Google

Theophylact., Euthym., Cyrill. Alex.) — Primae expositioni magis favet usus loquendi, juxta quem in N. T. et apud profanos ἐμβριμᾶσθαι dicit *ira commoveri*. Cf. Matth. 9, 30; Marc. 1, 43; 14, 5; — secundae magis concordat contextus, qui fremitus causam assignat lacrimas Mariae et Judaeorum, effectum vero ipsius Jesu lacrimas; — tertiae contradicit id quod statim sequitur : *et turbavit seipsum*. — Praeplacet expositio secunda; contra quam non nimis urgendus videtur usus loquendi : fremere enim quis potest ira, dolore, compassione, amore etc.; quae igitur sit fremitus ratio non vox illa sola sed contextus declaret oportet. — ET TURBAVIT SEIPSUM. Active dicitur : Christus enim humanitatis suae passionum plenum habebat dominium. Ratio in eo sensum omnino moderabatur. Turbatio autem haec intellegenda est turbatio tristitiae.

V. 34. UBI POSUISTIS EUM?... Ipsis condolens, humano modo eos interrogat, quasi volens ad sepulcrum dolorem suum satiare et lenire.

V. 35. ET LACRYMATUS EST IESUS, vero et bono doloris sensui indulgens, et ita exemplo docens, moderatum doloris sensum ob mortem cari capitis minime esse vituperandum.

V. 36. 37. Judaeorum duae classes hic indicantur : alii sat bene in Jesum affecti sunt; alii, offenso in eum animo, ex visis lacrimis ad impotentiam ejus concludunt. — Graece ἵνα καὶ οὗτος, UT etiam ISTE NON MORERETUR. Id est : Nonne poterat et pro isto facere prodigium? De mortuo suscitando non cogitant.

V. 39. Martha putat Jesum velle corpus Lazari videre tantum; de resurrectione nec ipsa cogitat. Foetere cadaver merito concludit ex quatriduana depositione.

V. 40. NONNE DIXI TIBI, QUONIAM SI CREDIDERIS, VIDEBIS GLORIAM DEI? Ubi et quando hoc dixerit non liquet. Vel insinuat Jesus verba quae dixerat Lazari morbum nuntiantibus (v. 4), vel quae dixerat in colloquio cum Martha habito (23-26), et partim a Joanne ibi omissa. — GLORIAM DEI per prodigium mani-

Digitized by Google

festandam. Cf. Jo. 2, 11. SI CREDIDERIS, quam condicionem in Martha impletam vidimus v. 27°. Ergo suscitatio Lazari fidei Marthae merces et adjumentum fuisse credenda est.

V. 41. TULERUNT ERGO LAPIDEM. Altiorem esse Christi intentionem jam intellegentes ei obtemperant. Jesus non videtur sepulcrum ingressus fuisse : id enim monuisset Joannes, in minimis facti adjunctis notandis studiosissimus. Ceterum cum esset superpositus lapis, putandum est sepulcrum partim saltem subterraneum fuisse. — Sequitur oratio Christi ad Patrem, qua disertissime Deum in testem missionis suae invocat. Quod Dei testimonium censendum est ipsam Jesu divinitatem proclamare. Missio enim quam sibi Christus tribuebat non erat legati divini cujuscumque, sed Filii a Patre, quocum unum potestate et natura se esse asseruerat (10, 30). Idipsum insinuat dum hoc loco Deum invocat ut Patrem suum.

V. 42. Gratias agit *Patri* (ut homo deprecatus quod ut Deus habebat proprium), non quasi insolitam quamdam et indebitam a Patre gratiam consecutus : EGO AUTEM, ait, SCIEBAM QUIA SEMPER ME AUDIS : ex conformitate voluntatis meae humanae cum tua nihil possum a te absolute petere quod mihi possis denegare; sed volo coram adstante populo isto palam testari te Deum per me hoc patrare prodigium in testimonium divinae meae missionis. — POPULUM (ὄχλον, *turbam)* multitudinem quamdam supponit.

V. 43. CLAMAVIT, ad majorem sollemnitatem utque omnes faceret ad prodigium attentos. Omnia congerit Jesus ut hoc factum palam innotescat. In quo notandum discrimen a multis aliis prodigiis in Galilaea peractis quae Jesus evulgari vetabat.

V. 44. ET STATIM PRODIIT Lazarus, QUI FUERAT MORTUUS, ὁ τεθνηκώς, qui hactenus in statu mortui fuerat, LIGATUS MANUS ET PEDES INSTITIS *(bandes)* : corpora scilicet tota involvebantur sindone, eaque institis circumligabatur. STATIM ac vocem Christi audivit, PRODIIT, non paulatim reviviscens sicut homo emergens

Digitized by Google

ex syncope, sed statim plene sanitati restitutus. — Ad explicandum naturali ratione egressum Lazari, supponendum foret vincula non omnino arcte fuisse ligata, ita ut Lazarus, vitae redditus, aliquem posset motum edere atque sic tumulo egredi; vel, si hoc non placet, admittendus est motus prodigiose causatus. Immo Lazarus, etiamsi non arcte ligatus, non potuisset prodire statim. Unde aliquid certe prodigii in ea re admittendum est. — SUDARIUM, ex lino translucido cogita, ita ut, sepulcro jam illuminato, potuerit Lazarus aliquomodo se dirigere. Vel, etiamsi id spissum fuisse supponas, Lazarus, prodigiose se movens, potuit etiam prodigiose illuminari, etc.

Prophetia Caiphae

45. ***Multi ergo ex Iudaeis, qui venerant ad Mariam, et Martham, et viderant quae fecit Iesus, crediderunt in eum.*** **46.** ***Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisaeos, et dixerunt eis quae fecit Iesus.*** **47.** ***Collegerunt ergo pontifices et Pharisaei concilium, et dicebant : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?*** **48.** ***Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum : et venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem.*** **49.** ***Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis : Vos nescitis quidquam.*** **50.** ***Nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.*** **51.** ***Hoc autem a semetipso non dixit : sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit, quod Iesus moriturus erat pro gente.*** **52.** ***Et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.*** **53.** ***Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.***

V. 45. Effectus prodigii in Judaeos. Duae rursus classes : alii CREDIDERUNT IN EUM, alii Christo remanserunt infensi.

V. 46. ABIERUNT AD PHARISAEOS, ad eos id quod fecerat Jesus hostili animo delaturi. Nullus tamen in peracto prodigio

Digitized by Google

fraudem aliquam suspicatur. Putandi sunt, pro more, triduum apud sorores Lazari egisse ita ut cottidie aliqui advenirent. Adverte expresse dici : QUI VIDERANT QUAE FECIT IESUS.

V. 47. QUIA HIC HOMO MULTA SIGNA FACIT, quae nec negare possumus nec in dubium vocare. Ergo in specie censendi sunt habuisse resuscitationis Lazari ineluctabilia argumenta, secus nihil antiquius habuissent quam ut tanti miraculi fidem elevarent.

V. 48. SI DIMITTIMUS EUM SIC, sinentes eum talia perpetrare, ... ET VENIENT ROMANI. Ut intellegatur nexus, attendendum ad falsam opinionem vigentem de Messia. OMNES CREDENT IN EUM ut in Messiam et regem qui Israel a gentibus liberet; inde necessario secutura seditio ad quam compescendam VENIENT ROMANI, et TOLLENT NOSTRUM LOCUM ET GENTEM. *Locus*, ὁ τόπος, intellegendus videtur de *templo* (2 Mac. 5, 19 : ἀλλ' οὐ διὰ τὸν τόπον τὸ ἔθνος, ἀλλὰ διὰ τὸ ἔθνος τὸν τόπον ὁ Κύριος ἐξελέξατο). Idipsum postea in pseudo-christis novimus verificatum. At veri Messiae regnum non esse de hoc mundo pontifices illi, si voluissent, scire poterant et debebant.

V. 49. Supponitur discussio inter synedristas, aliis alia media agitantibus, quam volens terminare CAIPHAS DIXIT EIS : VOS NESCITIS QUIDQUAM, quaecumque proponitis irrita sunt. Gallice : *Vous n'y entendez rien!*

CAIPHAS dicitur fuisse PONTIFEX ANNI ILLIUS, id est ILLO ANNO. Constat ex Fl. Josepho (Ant., 18, 2, 2), tunc temporis praesides romanos arbitrarie de summo pontificatu (qui secundum legem perpetuus erat et hereditarius) disponere solitos fuisse. Ita Ananum, a Quirinio constitutum, Valerius Gratus pontificatu privavit eumque dedit Ismaeli, deinde Eleazaro Annani filio, deinde Simoni, postea Josepho, qui et Caiphas, Annae genero. Apud Luc. 3, 2 uterque, Annas et Caiphas dicuntur ἀρχιερεῖς. Hinc difficultas. Sunt qui putent Annam et Caipham tunc annuatim per vices pontificatum exercuisse (Beelen...); alii putant Annam per excellentiam titulum ἀρχιερέως gessisse, cum esset

Digitized by Google

pontifex emeritus qui quinque suos filios post se summos pontifices numerasset. (Wallon). Prior solutio evangelistas facilius explicat, licet de ea nullum sit in historia profana vestigium; altera historicis documentis melius aptatur. Fillion censet evangelistam voluiste vim facere in pronomine *illius* : Caipham scilicet fuisse pontificem anno illo celeberrimo quo mortuus est Christus. Quae solutio videtur nobis aequo subtilior.

V. 50. EXPEDIT VOBIS. Graece ἡμῖν, *nobis*, ut UNUS MORIATUR (occidatur) HOMO PRO POPULO. — Sophismate conatur propositum facinus excusare : « Praestat perire unum quam omnes. »

V. 51. Haec dixit Caiphas e spiritu se afflante prophetico, Deo perversa voluntate Caiphae utente, ut ei verba suggereret quae Caiphas, ut homo, malo sensu, ut instrumentum Spiritus sancti sensu sanctissimo enuntiabat. — Ergo sensus prophetae alius esse potest ac sensus Spiritus sancti per prophetam loquentis. (1) Voluit Deus per ipsius summi sacerdotis oraculum consilium suum salvificum hominibus revelare.

V. 52. ET NON TANTUM PRO GENTE... Animadversio est evangelistae, ne prophetia illa intellegatur restricta ad solam gentem israeliticam. UT FILIOS DEI, sic prophetice dictos, QUI ERANT DISPERSI in toto orbe ethnico, CONGREGARET IN UNUM. Cf. 10, 16.

V. 53. Ergo propositioni Caiphae adhaerent omnes : COGITAVERUNT, συνεβουλεύσαντο, definito consilio mortem Christi machinari coeperunt (Fillion).

Secessio Christi in Ephrem

54. ***Iesus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudaeos sed abiit in regionem iuxta desertum, in civitatem, quae dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis.*** **55.** ***Proximum***

(1) Pretiosum etiam exemplum *elementi humani* in facto inspirationis.

Digitized by Google

autem erat Pascha Iudaeorum : et ascenderunt multi Ierosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent se ipsos. 56. ***Quaerebant ergo Iesum : et colloquebantur ad invicem, in templo stantes : Quid putatis, quia non venit ad diem festum? Dederant autem Pontifices, et Pharisaei mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.***

V. 54. Non liquet quale hoc sit DESERTUM et qualis civitas EPHREM, quo Jesus discessit. Vix tamen dubium eam esse *Ephraim*, oppidulum quod captum a Vespasiano narrat Fl. Josephus (Bell. jud., 4, 9, 9) quodque dicit situm in montanis Judaeae.

V. 55. PROXIMUM AUTEM ERAT PASCHA, quartum et ultimum in vita Jesu publica. — UT SANCTIFICARENT SE IPSOS, id est ut mundarent se a quibusdam legalibus maculis quae eos a manducando paschate prohiberent. Eae maculae, ad quas emundandas requirebatur oblatio sacrificiorum, non nisi Jerosolymis expiari poterant. Quaedam expiationes ad octiduum extendebantur, v. g. consecratio nazaraeorum. Cf. Num. 6, 1-21; 2 Par. 30, 16-20; Act. 21, 26.

V. 56. QUAEREBANT ERGO IESUM, putantes eum paulo ante festum adfuturum. — QUID PUTATIS, QUIA NON VENIT AD DIEM FESTUM? εἰς τὴν ἑορτήν, ad festivitatem celebrandam, quae mox habenda erat et ad quam jam multi Galilaei advenerant. — DEDERANT AUTEM PONTIFICES... MANDATUM... Ad hoc mandatum edendum procul dubio eos induxerat nefarium consilium datum a summo sacerdote Caipha, cui totum synedrium consenserat. Vide supra v. 49-53. — Et ideo tam sollicite Jesus circa tempus festivitatis a Judaeis perquirebatur. — Quomodo autem quinto die ante Pascha Jerosolymam venerit, dicetur capite sequente.

Digitized by Google

SCHOLION DOGMATICUM

Resurrectio Lazari merito affertur ut argumentum divinitatis religionis christianae (1). Est enim factum sensibile, publicum, insigne, tale quale a solo Deo fieri posse convenit, peractum in testimonium divinae missionis Christi, et in talibus rerum et personarum adjunctis ut omnis prudens veritatis indagator illud ut sigillum divinae veracitatis habere debuerit, ita ut in eo fraus invincibiliter impervia a Deo permitti non potuisset.

Ad miraculi veritatem impugnandam varia sunt rationalistarum systemata.

1um systema. Tota haec narratio conficta est a Joanne, qui solus eam habet et, utpote ultimus superstes, a nemine redargui poterat. Factum tam illustre et cum historia passionis tam arcte connexum, si vere accidisset, non potuisset taceri a Synopticis, qui omnes historiam passionis referunt. Ita multi, inter quos Réville (*Rev. des Deux Mondes*, 1866, t. 63, p. 91. 92).

Contra est *a)* indoles S. Joannis sinceritate et candore plena, ut elucet in toto ejus evangelio. — *b)* quod tam stupendo mendacio non indigebat ad scopum suum. — *c)* fictionis impossibilitas. Quomodo enim ausus fuisset quadraginta annis post Synopticos tam illustre prodigium minutatim referre de quo nulla exstitisset inter christianos memoria? — *d)* scopus Synopticorum. Hi narrationem vitae Christi publicae coarctant ad ea quae gessit in Galilaea. Addunt quidem historiam passionis quae acta est Jerosolymis, sed eam incipiunt a triumphali ingressu die Palmarum. Alia Christi itinera jerosolymitana omittunt, adeoque tacent ea quae in iis gesta sunt : sanationem paralytici Bethsaidae, illuminationem caeci nati et porro resurrectionem etiam Lazari.

(1) Dicebat olim Spinoza *(Das Leben Jesu,* p. 467) se totum systema suum dilaceraturum et christianum futurum, si quis posset ipsi veritatem resurrectionis Lazari persuadere.

Digitized by Google

2um ***Systema.*** Fraus pia familiae Lazari Christo incognita; ac proinde Lazari ficta mors et sepultura.

***Contra est** a)* Jesus multoties ut cordium scrutator exhibetur in evangeliis (quae in hoc systemate supponuntur veracia). Ergo fraus ei innotuisset. — *b)* Quomodo, nullo accepto novo nuntio, Lazari mortem Christus cognovisset? Non sane divinitus : erat enim mors illa (ut supponitur) falsa! — *c)* Tota ratio agendi Judaeorum monstrat nullam ipsis patuisse viam fraudem suspicandi : nulla enim apud ipsos apparet de prodigio dubitatio. — *d)* Ignorasset familia intentionem Jesu. Ad quid ergo fraus illa, quae eis in confusionem cedere deberet, si Jesus rogatus mortuum suscitare nollet vel non auderet?

3um ***systema.*** Fraus cujus ipse Jesus fuerit particeps.

***Contra est** a)* nota Jesu, et ab ipsis adversariis concessa, summa probitas. — *b)* Dei Providentia quae in iis adjunctis talem fraudem non potest permittere. — *c)* persuasio Judaeorum, fraudem nullam ibi adfuisse.

Quod autem dicunt aliqui (Renan etc.), non eamdem apud orientales ac apud nos vigere opinionem de improbitate fraudis ad bonum finem adhibitae : talem scilicet fraudem optima fide potuisse a probis hominibus adhiberi absque ullo bonae suae famae dispendio, ineptum est ad perditam causam tuendam effugium, quod nullo fulcitur argumento, et cui multa in N. T. obstant. Ita, ipse Christus, ex eo quod nemo se possit arguere de peccato, ad omnimodam suam sinceritatem concludit (Jo. 8, 46); Nathanaelem vocat, *vere Israelitam, in quo dolus non est* (Jo. 1, 47). Et in Actis (13, 10) S. Paulus acriter reprehendit Elymam magum, dicens : *O plene omni dolo et fallacia, fili diaboli!* Ergo tunc apud Judaeos fallacia in dicendo et agendo cum fama probitatis constare minime poterat.

Digitized by Google

CAPUT XII

Argumentum. Cena facta Christo Bethaniae sexto die ante Pascha : assidet Lazarus, Maria Jesum ungit (1-8). — Judaei cogitant de occidendo Lazaro (9-11). — Triumphalis ingressus Jesu in Jerusalem (12-19). — Gentiles aliquot volunt Jesum videre (20-22). — Jesus praevisa passione animo turbatus Patrem orat, et vox de caelo auditur. Christus per passionem glorificandus (23-33). — Pergit de morte sua cum turba disserere (34-36). — Cujus incredulitatem praedictam fuisse notat evangelista (37-43). — Finis sermonis Christi de se suaque missione, deque fidei in se necessitate (44-50).

Cena Bethaniae

1. ***Iesus ergo ante sex dies Paschae venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Iesus.*** **2.** ***Fecerunt autem ei coenam ibi : et Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo.*** **3.** ***Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi, et unxit pedes Iesu, et extersit pedes eius capillis suis : et domus impleta est ex odore unguenti.*** **4.** ***Dixit ergo unus ex discipulis eius, Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus :*** **5.** ***Quare hoc unguentum non vaeniit trecentis denariis, et datum est egenis?*** **6.** ***Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea, quae mittebantur, portabat.*** **7.** ***Dixit ergo Iesus : Sinite illam ut in diem sepulturae meae servet illud.*** **8.** ***Pauperes enim semper habetis vobiscum : me autem non semper habetis.***

V. 1. ANTE SEX DIES PASCHAE. Hellenismus est : πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα, *sex diebus ante Pascha.* Igitur die Veneris ante passionem suam, puta post solis occasum, 9° Nisan incepto.

Digitized by Google

Pascha enim primo die azymorum, die Jovis (14 Nisan) ad solis occasum, incipiebat (1). — VENIT BETHANIAM ultimo suo itinere Jerusalem versus (2), ibi brevi moriturus. UBI LAZARUS FUERAT MORTUUS. Clarius graece : ὅπου ἦν Λάζαρος ὁ τεθνηκώς, *ubi erat Lazarus, qui fuerat mortuus.*

V. 2. FECERUNT AUTEM EI COENAM IBI amici ejus, inter quos familia Lazari, in domo Simonis leprosi (Matth. 26, 6; Marc. 14, 3). — De harmonia evangelica circa hanc cenam vide Dissertationem de *tribus mulieribus*, p. 301-305.

Facta est haec cena sabbato, quod legi non obstabat. Nihil etiam prohibebat quominus Jerosolymis venirent Judaei ad videndum Lazarum : nam Bethania distabat ab Jerosolymis itinere sabbatico. Cf. Luc. 24, 50-53 cum Act. 1, 12.

V. 3. MARIA, soror Marthae et Lazari, ut ex juxtapositione patet. — LIBRAM (graece λίτραν, quae duodecim uncias habebat) UNGUENTI NARDI PISTICI, πιστικῆς, *genuini* (a πίστις), PRETIOSI, ET UNXIT PEDES IESU, more orientalium in lectulo recumbentis, ita ut pedes retro jacerent. Cf. Luc. 7, 38. — ET EXTERSIT antequam ungeret, ut videtur; ET DOMUS IMPLETA EST..., unde unguenti pretium commendatur. — Matthaeus et Marcus dicunt mulierem caput Jesu unxisse. Unde ipsi et Joannes se mutuo supplent : Maria, unctis Jesu pedibus, nardi reliquum super caput ejus effuderit. — Tales unctiones et apud Romanos fiebant. Ita Tibullus : *Illius puro distillent tempora nardo.* Et Plinius (13, 3) : *Vidimus etiam vestigia pedum tingi (unguentis).*

(1) Vide ad c. XIII, dissert. praev. — Patrizi opinatur Christum advenisse Bethaniam sabbato post solis occasum, incepto 10° Nisan. Contra est, Jesum longum illud iter suum non potuisse conficere sabbato. Cf. Schanz, in h. l.

(2) De hoc ultimo itinere Jesu cf. Matth. 20, 17-19. 29, secundum quem videtur venisse per Jericho; Marc. 10, 32-34. 46; Luc. 18, 31-35; 19, 1. 28. Post quae tres Synoptici, omissa commoratione Jesu Bethaniae, statim narrant triumphalem ingressum.

Digitized by Google

V. 4. Unus hic murmurasse perhibetur; apud Synopticos, plures. Judas sane putandus est incepisse ex avaritia, ceteri consensisse ex misericordia in egenos.

V. 5. TRECENTIS DENARIIS. Plinius (12, 26), unguentorum pretium dicit variari inter 25 et 300 denarios (pro libra una) : *nardo* autem optimum inter unguenta locum assignat.

V. 6. LOCULOS HABENS pro Christi et apostolorum collegio, EA QUAE MITTEBANTUR in sustentationem eorum PORTABAT. Graece : τὰ βαλλόμενα ἐβάσταζεν. Unde occasionem habebat de bonis communibus sibi furando attribuendi. — Alii ἐβάσταζεν vertunt *auferebat*. Judam furem esse tunc sane coapostoli ignorabant, sed res per proditionem detecta fuerit.

V. 7. SINITE ILLAM : ne molestiam ei faciatis. Graece ἄφες, *sine*, in singulari. — UT IN DIEM SEPULTURAE MEAE SERVET ILLUD. Ita et graece in multis et bonis fontibus : ἵνα... τηρήσῃ. At textus receptus aliique multi habent τετήρηκεν. Tischendorf praefert lectionem priorem, secundum quam verti debuisset : *ut... servaverit illud :* actio enim jam posita erat. Versiculi hujus optimum commentarium dat S. Marcus (14, 8) : *Praevenit ungere corpus meum in sepulturam*. Inscia illa quidem instantis Jesu sepulturae erat; sed de facto rem ita se habuisse declarabat Jesus, mortem suam adeo vicinam revelans ut praesens unctio pro apparatu sepeliendi corporis valere posset. Unde sic implicite : Talis unctio pro corpore meo sepeliendo vituperari non posset. Ergo...

V. 8. Itaque quod fecit Maria laudem meretur extraordinarii in me amoris obsequii. — Cura corporis Christi et pauperum sollicitudo non se excludunt.

N. B. Matthaeus et Marcus statim post narratam cenae hujus historiam (quam praetermissa serie historica referunt), exponunt pactum a Juda cum Judaeis de tradendo Jesu initum. Hinc valde probabilis est opinio S. Augustini etc., Judam occasione deper-

Digitized by Google

diti pro se hujus unguenti pretii, de tradendo Magistro cogitasse, ut proditionis praemio lucrum amissum compensaret. Ad idipsum eum exstimulabat Judaeorum mandatum c. 11, 56.

De Lazaro necando cogitatur

9. *Cognovit ergo turba multa ex Iudaeis quia illic est : et venerunt, non propter Iesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis.* 10. *Cogitaverunt autem principes sacerdotum ut et Lazarum interficerent :* 11. *Quia multi propter illum abibant ex Iudaeis, et credebant in Iesum.*

V. 9. TURBA MULTA EX IUDAEIS jerosolymitanis, ET VENERUNT Bethaniam,... SED UT (etiam) LAZARUM VIDERENT. Graece : ἀλλὰ καὶ τὸν Λάζαρον ἴδωσιν. Pervulgatam enim hanc resurrectionem Jerosolymis fuisse patet ex capite praecedenti.

V. 10. COGITAVERUNT ... UT ET LAZARUM INTERFICERENT. Non cogitant de contestanda veritate prodigii sed de tollenda ejus vivida in Lazaro probatione et memoria.

V. 11. Nam propter Lazarum ibant MULTI ad Jesum.

Christi triumphalis ingressus

12. *In crastinum autem, turba multa, quae venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Iesus Ierosolymam :* 13. *Acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant : Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel!* 14. *Et invenit Iesus asellum, et sedit super eum, sicut scriptum est :* 15. *Noli timere filia Sion : ecce rex tuus venit sedens super pullum asinae.* 16. *Haec non cognoverunt discipuli eius primum : sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt, quia haec erant scripta de eo : et haec fecerunt ei.* 17. *Testimonium ergo perhibebat turba, quae erat cum eo quando Lazarum vocavit de*

Digitized by Google

monumento, et suscitavit eum a mortuis.* 18. *Propterea et obviam venit ei turba : quia audierunt eum fecisse hoc signum.* 19. *Pharisaei ergo dixerunt ad semetipsos : Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit.

V. 12. IN CRASTINUM, die sequente sabbatum (dominica Palmarum), computato die a media nocte ad mediam noctem, TURBA ... QUAE VENERAT AD DIEM FESTUM Paschatis, turba extraneorum, CUM AUDISSENT QUIA VENIT IESUS IEROSOLYMAM ex deserto Jericho in quo latuerat.

V. 13. OBVIAM EI Bethaniam versus. HOSANNA, quod hebraice est הוֹשַׁעְנָא pro הוֹשִׁיעָה נָּא (Ps. 117 (118), 25), syriace ܐܘܫܥܢܐ *Salva quaeso!* Est boni deprecatio per orationem ad Deum directam. — REX ISRAEL, id est, Messias in sensu eorum.

V. 14. INVENIT IESUS ASELLUM : obviam habuit et adduci jussit ut novimus ex Synopticis (Matth. 21, 7; Marc. 11, 7; Luc. 19, 35). Juxta Matthaeum, cum pullo adduxerunt et asinam matrem ejus, ideo sane ut pullus facilius se duci sineret. — ET SEDIT SUPER EUM. Apud Matthaeum (21, 7) dicitur Jesus etiam sedisse super asinam (ἐπάνω αὐτῶν). Sed syriaca versio habet : ܘܣܡܘ ܥܠ ܥܝܠܐ ܢܚܬܝܗܘܢ ܁ ܘܪܟܒ ܥܠܘܗܝ ܝܫܘܥ . *Et posuerunt super pullum vestimenta sua, et insedit illi Jesus.* In textu prophetiae hebraico legitur (Zach. 9, 9) : וְרֹכֵב עַל חֲמוֹר וְעַל עַיִר, *et vectus super* asinum *et (quidem) super pullum...* Textus Vulgatae ita refert prophetiam : *sedens super asinam et pullum.* Sed graecus textus Matthaei habet : ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὄνον. Est autem ὄνος nomen generis utriusque, quod hic masculinum esse apparet ex textu originali Zachariae. Ex quibus omnibus probabile fit, non evangelistam sed graecum translatorem ejus scripsisse Dominum etiam asinae insedisse.

V. 15. Evangelista allegat eamdem prophetiam citans ad sensum tantum.

Digitized by Google

V. 16. HAEC, quae circa Jesum tunc fiebant, NON COGNOVERUNT quatenus de eo a propheta erant praedicta DISCIPULI EIUS PRIMUM, quando fiebant et deinceps usque ad adventum Spiritus sancti. — SED QUANDO GLORIFICATUS EST IESUS, per ascensionem reversus ad Patris gloriam, TUNC RECORDATI SUNT... ET HAEC FECERUNT EI ad hanc prophetiam adimplendam. Ita et milites, Jo. 19, 36. 37, inscii vaticinium implebant.

V. 17. Hic sermo est de TURBA quae adfuit resurrectioni Lazari vel certe Bethaniae fuerat.

V. 18. Jam alia TURBA memoratur, eorum qui Jerosolymis famam suscitati Lazari acceperant.

V. 19. ... NIHIL PROFICIMUS, quamtumvis populum a Jesu avertere conemur.... MUNDUS TOTUS POST EUM ABIIT. Invidiae exaggeratio!

Gentiles apud Christum

20. ***Erant autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderant ut adorarent in die festo.*** **21.** ***Ili ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilaeae, et rogabant eum, dicentes : Domine, volumus Iesum videre.*** **22.** ***Venit Philippus, et dicit Andreae : Andreas rursum, et Philippus dixerunt Iesu.***

V. 20. Quae deinceps narrantur facta videntur ipso die Palmarum, Jesu conversante in templo. Ejectio vendentium, secundum Marc. 11, 11-15, facta videtur postridie. De ea Joannes tacet, ut qui simile factum cap. II jam narraverat. — GENTILES, Ἕλληνες, non ex stirpe Israel, cultores tamen veri Dei quem in templo ejus adoratum veniebant. Cum autem venirent ad Pascha, non improbabile est eos fuisse proselytos.

V. 21. Erant forte ex Galilaea *gentium*, noti PHILIPPO qui et ipse Galilaeus erat : quare eo utuntur mediatore ut Jesum possint VIDERE, id est, ad eum proprius accedere, cum eo agere.

V. 22. Dubitans de rei liceitate vel opportunitate, prius AN-

Digitized by Google

DREAM, Jesu discipulum antiquissimum, vult consulere. Qui cum annuisset, ambo rem Jesu proponunt. — Jesum ad gentiles istos accessisse Joannes non dicit; sed eorum occasione obversatur ei mors sua jam instans, cujus specialis fructus futurus sit salus gentium. — Sunt qui opinentur Jesum, rogatum a gentilibus illis, processisse ad eos ex atrio mulierum, ubi docere solebat, ad atrium gentium ad quod solum gentilibus aditus patebat; et sequentia verba inter eundum pronuntiasse ad discipulos.

Christus passione glorificandus

23. ***Iesus autem respondit eis, dicens : Venit hora, ut clarificetur Filius hominis.*** **24.** ***Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit;*** **25.** ***Ipsum solum manet : si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam : et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.*** **26.** ***Si quis mihi ministrat, me sequatur : et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.*** **27.** ***Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc.*** **28.** ***Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de caelo : Et clarificavi, et iterum clarificabo.*** **29.** ***Turba ergo, quae stabat, et audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alii dicebant : Angelus ei locutus est.*** **30.** ***Respondit Iesus, et dixit : Non propter me haec vox venit, sed propter vos.*** **31.** ***Nunc iudicium est mundi : nunc princeps huius mundi eiicietur foras.*** **32.** ***Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.*** **33.** ***(Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.)***

V. 23. RESPONDIT EIS, discipulis, audientibus forte istis gentilibus : VENIT (ἐλήλυθεν) HORA, UT CLARIFICETUR FILIUS HOMINIS. *Hora* est tempus passionis, quam sequantur resur-

Digitized by Google

rectio, ascensio, missio Spiritus sancti et porro evangelii praedicatio cunctis gentibus. In his omnibus clarificandus Christus, cujus tamen claritatis, in divinis consiliis, necessaria radix passio erat. Cf. Luc. 24, 26. 46. 47.

V. 24. Sequitur doctrina illa mysterio et sublimitate plena, de necessitate, modo, fructu spirituali et mercede propriae abnegationis et immolationis; quae doctrina deinceps immensam peperit in mundo sanctitatis sobolem. Nil mirum si sub sollemni illa duplicis AMEN formula a Magistro proponatur. — Jesus eam doctrinam primum implicite sibi, deinde discipulis suis applicat. Et quidem praecedit apta comparatio : NISI GRANUM FRUMENTI CADENS (πεσὼν, *cum ceciderit)* IN TERRAM, MORTUUM FUERIT, per consequentem ei in sinu terrae corruptionem.

V. 25. IPSUM SOLUM MANET, nihil germinando; SI AUTEM MORTUUM FUERIT, MULTUM FRUCTUM AFFERT : ex uno enim grano sic mortuo multa nova oriuntur. Granum ita mortificandum ipse Christus est, et post eum discipuli ejus; est autem mortificandus in passione sua. Fructus afferendus salus est, seu vita aeterna per illam passionem innumeris hominibus, et in specie gentilibus, elargienda. — QUI AMAT ANIMAM SUAM, id est VITAM SUAM, τὴν ψυχήν, intellege amore inordinato, sensuali..., vitam suam corporalem meliori bono, saluti suae, praeponendo, PERDET EAM in aeternum, quam in tempore servaverit; ET QUI ODIT, id est (per hebraismum) minus amat quam bonum spirituale necessarium..., IN VITAM AETERNAM CUSTODIT EAM, etiamsi in mundo amiserit. — Potest etjam τὴν ψυχὴν αὐτοῦ per aramaismum exponi sensu *semetipsum* (syr. ܢܰܦܫܶܗ). Estque haec expositio facilior. Sensus tamen substantia eadem est.

V. 26. Jesus ita se acturum satis innuit, et jam suos ad sui imitationem exstimulat. SI QUIS MIHI MINISTRAT, se mihi famulum adjungit, ME SEQUATUR imitatione passionis. Cf. Matth. 10, 38 : *Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus.*

Digitized by Google

Eodem modo hic intellegi patet ex praecedentibus. — ET UBI EGO SUM, in caelesti gloria, IBI ET talis MINISTER MEUS ERIT. Ita Rom. 6, 5; 8, 17. — UBI EGO SUM potest intellegi vel de gloria divinitatis, cujus Christi sequaces futuri sint participes, vel de gloria humanitatis quae sit praemium passionis et mortis, et tunc *sum* est pro *ero*. Hic sensus melius congruit contextae orationi. — SI QUIS MIHI ita MINISTRAVERIT, HONORIFICABIT EUM PATER MEUS participatione gloriae quam mihi ob passionem tribuet.

V. 27. NUNC ANIMA MEA TURBATA EST... ob vividam instantis passionis repraesentationem. Humanitas Christi naturaliter mortem crudelem et ignominiosam abhorrebat. Recole acta in horto olivarum. Hanc tamen turbationem non invite patiebatur, sed volens. Recte ad haec S. Augustinus : « Oportebat ut unus » mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, sicut nos exci» tavit ad summa, ita nobiscum pateretur et infima. O Domine » mediator, Deus supra nos, agnosco misericordiam tuam : nam » quod tu tantus, tuae caritatis voluntate turbaris, multos in cor» pore tuo, qui infirmitatis necessitate turbantur, ne desperando » pereant, consolaris. » — Sensus in Christo horret id quod ratio ipsi ostendit summe appetendum. Inde lucta, non mala, quia sensus ratione non praevalet. — Addi potest, cum Bossuetio (1), causam turbationis fuisse horrorem peccati quod luendum in se suscepisset, et cujus malitia per mortis suae spretam gratiam in multis augenda esset. — ET QUID DICAM? Verba inter animi angustias haesitantis. At statim orans ad Patrem se convertit. PATER SALVIFICA ME EX HAC HORA! Ita et in horto : *Transfer calicem!* Deprecatio est voluntatis humanae secundum dictamen naturalis affectus. At haec oratio condicionata est, et statim eam Christus corrigit : SED PROPTEREA VENI IN HORAM HANC. Propterea, id est ut per mortem meam glorificem Patrem.

(1) *Méditations sur l'Évangile,* S. Jean, 13, 21.

Digitized by Google

Bossuetius legit haec verba ac si essent interrogatoria. « *Dicamne : Pater, salvifica me ex hac hora?* » Quae expositio etiam bene contextui aptatur. Praeferimus tamen priorem, quia melius exprimit parallelismum cum oratione Christi in horto olivarum.

V. 28. Igitur, PATER, CLARIFICA NOMEN TUUM, per passionem et mortem meam. En altera deprecatio, eaque absoluta, voluntatis humanae secundum dictamen rationis. Ita et in horto : *Non sicut ego volo, sed sicut tu.*

Hanc ipsam perfectissimam Filii sui oblationem excipit vox Patris eam acceptantis : ET CLARIFICAVI multis portentis etc., ET ITERUM CLARIFICABO nomen meum per mortem, resurrectionem et ascensionem tuam. Est quidem gloria Patris, at per gloriam Filii procuranda. Patrizi vult subaudiri ***nomen tuum***. Est autem hoc in contextu nonnihil violentum.

V. 29. In turba, ut fit, aliqui sonitum tantum vocis audierant, alii articulatos sonos perceperant, alii forte verba intellexerant, ut conjici licet ex verbis Christi v. 30.

V. 30. NON PROPTER ME, ut ego discam me a Patre exaudiri, HAEC VOX VENIT : ego enim scio Patrem me (absolute) orantem semper exaudire (Jo. 11, 42), SED PROPTER VOS, ut credatis instare mortem meam eamque fore mihi causam magnae gloriae. Quam gloriam qualis futura sit in duobus versiculis sequentibus declarat.

V. 31. NUNC IUDICIUM EST MUNDI.

Quaeritur *quale judicium* hic intendat Christus.

R. *1a sententia.* Judicium ***condemnationis.*** Ita : Nunc condemnatio emittitur mundi illius perversi qui Verbum Dei non cognovit, etc. Condemnatio haec iniquitatem mundi manifestam faciet (16, 8), et mundus victus (16, 33) a Domino et Satanas PRINCEPS HUIUS MUNDI EIICIETUR FORAS, id est ejicietur de pleno illo dominio quod per peccatum in terris exercebat. Christus tempus præsens adhibendo designat eventum omnino jam instans.

Digitized by Google

Hanc explicationem κρίσεως istius sequimur cum Chrysostomo et schola ejus, et cum Maier, Tholuck, Hengstenberg.

Rationes. 1) Usus loquendi S. Joannis qui semper adhibet κρίσις sensu *condemnationis.* — 2) Contexta oratio. Censetur enim *mundus* stare cum *principe suo* : hujusce autem principis κρίσις non nisi condemnationis esse potest. — 3) Parallelismus. In sermone ad cenam Christus perpetuo habet mundum ut sibi hostilem, pro quo neque orare velit. Cf. 14. 17. 22. 30; 15, 18. 19; 16, 8. 33; 17, 9. 16. 25. — 4) Nec obstat 12, 47 : *Non veni ut iudicem mundum.* Ibi enim sermo est de Christi ipsius positiva circa mundum actione, qualem nullam utique exercet tunc; mundus autem propriam sibi ultro praeparabit condemnationem, ut v. 48°, et de tali condemnatione etiam hic sermo est.

2ª sententia. Judicium ***liberationis*** mundi a potestate Satanae qui, hactenus mundi princeps, deinceps foras e mundo ejectus omni potestate privetur. Ita August., Cyrill., Orig., Maldon., Tolet., Luc. Brug., Beelen, Patrizi.

Rationes. 1) Contexta oratio : Satan ejicitur foras, scilicet e dominio suo, ac proinde e mundo, utique jam liberato per virtutem crucis. — 2) V. 32. Enuntiat effectum hujus κρίκεως : omnia, ergo et mundum Christus attrahet ad se.

Respondetur. Mundus, quatenus complexum hominum designat, hic notat regnum Satanae et peccati. In priori signo rationis ante redemptionem, mundus totum humanum genus lapsum complectitur; post redemptionem, totus quidem mundus virtualiter liberatur, sed de facto *aliquos* homines Christus *eligit de hoc mundo* (15, 19), et deinceps isti *non* jam *sunt de mundo* (ibid.) et ad Christum e terra exaltatum trahuntur (v. 32); *ceteri*, per propriam culpam a Christo non electi, remanent *de hoc mundo* et iis passio et mors Christi fit aeternae condemnationis argumentum. Igitur princeps mundi ejicitur, non de mundo qui perversus manet, sed a dominio in Christi electos. — Ante

Digitized by Google

Christi mortem aliqui dominium Satanae evaserunt; sed et ipsi ob *praevisa* merita mortis ejusdem.

PRINCEPS MUNDI HUIUS. Ita et in Talmude שַׂר הָעוֹלָם vocatur Sammael princeps daemonum, angelus mortis, accusator hominum. Cf. Jo. 14, 30; 16, 11; 2 Cor. 4, 4.

V. 32. ET EGO (se opponit Satanae), SI (quando) EXALTATUS FUERO A TERRA, in crucem actus. — Dixerit probabiliter אֶזְדְּקֵף, unde potuerint auditores percipere eum de exaltatione sua in crucem dicere. Cf. supra ad 8, 28. — OMNIA TRAHAM AD MEIPSUM, sine discrimine Judaeorum et gentium. Stupendum vaticinium, statim post Christi mortem impleri coeptum in centurione, Josepho ab Arimathaea etc.; post ascensionem impleri non desistens usque ad finem mundi. Crux Christi centrum amoris, virtutis, salutis.

V. 33. HOC AUTEM DICEBAT, SIGNIFICANS QUA MORTE ESSET MORITURUS. Ac proinde verba Christi, utut ambigua, idipsum sonabant et a Judaeis intellegi poterant.

Disceptatio cum turba

34. ***Respondit ei turba : Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum : et quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis?*** **35.** ***Dixit ergo eis Iesus : Adhuc modicum, lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant : et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.*** **36.** ***Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Haec locutus est Iesus : et abiit, et abscondit se ab eis.***

V. 34. Turba verba Jesu intellexisse videtur de morte ejus in cruce : Christum enim, secundum vaticinia, non moriturum objiciunt. Talia vaticinia objici poterant Is. 9, 6. 7; Ps. 109 (110), 4; Dan. 2, 44; 7, 13. 14. *Ecce cum nubibus caeli quasi*

Digitized by Google

filius hominis veniebat... potestas eius, potestas aeterna, quae non auferetur. Ad hunc ultimum locum praecipue videtur turba attendisse : ibi enim de potestate *aeterna filii hominis* sermo est. Unde et addita quaestio : QUIS EST ISTE FILIUS HOMINIS, quem tu teipsum dicis? Num forte alius ab illo de quo Daniel loquitur? — Hic LEGEM dicunt totam Scripturam.

V. 35. Si bona fide interrogassent, Jesus utique facile ipsis ostendisset alia prophetarum oracula, Messiae dolores et mortem praecinentia, ut Is. 53; Dan. 9, 26; Ps. 21 (22). Nunc autem abstinet a responsione et instantius eos hortatur ut oblatam sibi gratiam messianicam, dum adhuc tempus est, tandem aliquando recipiant : ADHUC MODICUM, LUMEN IN VOBIS EST. Graece : ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ φῶς μεθ' ὑμῶν ἐστι. Adhuc per modicum tempus vobiscum habetis lumen, id est *meipsum*, qui sum lux illuminans omnem hominem. — AMBULATE igitur ad praefinitum vobis terminum, DUM hanc LUCEM HABETIS, UT NON VOS TENEBRAE COMPREHENDANT (gallice *surprendre*). — QUI AMBULAT IN TENEBRIS, NESCIT QUO VADAT, et sic terminum non consequetur. — Tenebrae hic designant mentis obcaecationem et cordis obdurationem finali impaenitentiae praeviam.

V. 36. ... CREDITE IN LUCEM : id enim est *ambulare* in luce. — UT FILII LUCIS SITIS. Hebraismus est, idem ac *ut ad lucem pertineatis;* — ET ABIIT, quo, non dicit Joannes; ET ABSCONDIT SE AB EIS, non prodigiose tamen, ut videtur. — Silentium Joannis supplent Matth. 21, 17 et Marc. 11, 11, Jesum nempe recessisse Bethaniam.

Populi praedicta incredulitas

37. ***Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum :*** **38.** ***Ut sermo Isaiae prophetae impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est?*** **39.** ***Propterea non poterant credere, quia iterum***

Digitized by Google

dixit Isaias : 40. Excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum : ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, et sanem eos. 41. Haec dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, et locutus est de eo. 42. Verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum : sed propter Pharisaeos non confitebantur, ut e synagoga non eiicerentur. 43. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.

V. 37. CUM (quamvis) TANTA SIGNA FECISSET (πεποιηκότος) CORAM EIS, puta suscitationem Lazari, illuminationem caeci nati etc., NON CREDEBANT IN EUM ut in Messiam. Intellege eos de quibus supra : multi enim credebant (v. 11-13).

V. 38. Quod tamen nemini sit scandalo. Nam haec ipsa eorum incredulitas praedicta fuit ab Isaia (53, 1; 6, 9). — UT... IMPLERETUR, ἵνα πληρωθῇ. Hic ἵνα necessario sumendum *causative* ob versum 39 (1). Et sic explicandum : Deus praedixit incredulitatem quia futura erat ex eorum culpa; et cum a Deo fuisset praedicta, infallibiliter futura erat. Est scilicet ordo *praevisionis* inversus ab ordine *exsecutionis*, et in utroque ordine nexus infallibilis inter vaticinium et eventum. — DOMINE, QUIS CREDIDIT AUDITUI NOSTRO (Is. 53, 1)? — Graece τῇ ἀκοῇ ἡμῶν. Hebraice לִשְׁמֻעָתֵנוּ. Est participium *Paül* in feminino. Hinc sensus : id quod auditur a nobis, id quod praedicamus. — Haec verba apud Isaiam loquuntur praecones evangelii (cf. Rom. 10, 16). — ET BRACHIUM (potentia) DOMINI (2) in opere redemptionis exsequendo, CUI REVELATUM EST? — Igitur propheta conqueritur de paucitate credentium mysterium Filii Dei.

(1) Non pauci tamen (Tol., Luc. Brug., post Athan., Chrysost. et graecos Patres omnes) exponunt ἵνα *explicative*.

(2) Patres : Hieron. (in Is. 53, 1), Euseb. (Dem. ev., 3, 2), August. (in h. l.) : Athan., *brachium Domini* CHRISTUM esse ibi exponunt. Ita et Is. 51, 5; 52, 10. Cf. 1 Cor. 1, 24. Quae expositio non est improbabilis.

Digitized by Google

V. 39. 40. PROPTEREA NON POTERANT CREDERE, infallibili consequentia eventus ad praedictionem, quae tamen supponit praevisum eventum libere futurum. Ipsum vaticinium videtur in eis credendi impotentiam denuntiare. Est iterum intellegenda impotentia *consequens*, non *antecedens*. Induratio et obcaecatio ob eorum culpas permissae a Deo fuerant. (De Deo indurante et obcaecante vide Toletum in h. l., annot. 22.) Recte Patrizi : « Sensus est, fieri non potuisse ut non id impleretur quod per » Isaiam Deus futurum praedixerat; cur autem praediceret, cau- » sam ex eo fuisse, quod ita futurum esse praevideret. » Eumdem Isaiae locum ad sensum citant Matth. 13, 14; Marc. 4, 12; Paulus, Act. 28, 26; Rom. 11, 8. Est autem Is. 6, 10 : *Excaeca cor populi...* (1); quod Rom. 11 dicitur fecisse Deus ipse : unde et sic apud Joannem loco nostro : EXCAECAVIT Deus OCULOS EORUM. In altera parte textus evangelista exscribit prophetam ad litteram : ET SANEM EOS, non curans concordiam grammaticalem sententiae. — UT, ἵνα, exponendum *eo fine ut* : sic enim aperte apud Matthaeum, ubi Christus dicitur loqui turbis in parabolis eo fine *ut audientes non audiant*; nec minus clare apud Isaiam. — Ex quibus etiam apparet, ob culpas eorum Deum noluisse majores gratias eis concedere. — Quae verba sunt omnino benigne explicanda, secus calvinianam haeresim saperent, quod nefas! Recordemur Scripturam exponendam esse secundum doctrinam catholicam.

V. 41... QUANDO VIDIT GLORIAM EIUS (Christi), in celebri illa visione de qua Is. 6, 1 sq. In qua visione dicit : *Vidi Dominum*, אֲדֹנָי, quo vocabulo, cum *kamets* punctato, solus Deus Summus designatur. Nonnulli Patres : Hilar., Tertull., Ambros..., tenent in theophaniis V. T. solum semper apparuisse Filium; Patrem

(1) Ita certe in hebraeo hodierno, quomodo et S. Hieronymi tempore. Ita et targum Jonathani. At Septuaginta interpretes, et versiones syriaca et arabica legunt : *Incrassatum est cor populi*, etc. quomodo et S. Matthaeus (13, 15) et S. Paulus in Actis (28, 26) textum integrum recitant.

Digitized by Google

vero esse undequaque invisibilem. Alii : Iren., Athan., Basil., volunt etiam Patrem apparuisse. In visione Isaiae probabilissimum est speciem visam repraesentasse SS. Trinitatem, et ideo *trisagium* fuisse a seraphim celebratum. Filium ibi vidit Isaias in divinitate ejus, ut patet. Asserit autem Joannes eum vidisse tunc GLORIAM Jesu : ergo hic divinam sui magistri naturam aperte profitetur. — ET LOCUTUS EST DE EO : hoc non dependet a QUANDO, sed est sententia absoluta : *et il a parlé de lui.* Asserit evangelista Isaiam, qua prophetam (inscium forte, qua homo erat), haec verba de Filio Dei incarnando enuntiasse.

Scopus S. Joannis hoc testimonium afferentis fuisse videtur, ut in ipsa Judaeorum incredulitate Christi divinae missionis argumentum, nedum scandali causam, esse ostenderet.

V. 42. VERUMTAMEN ET (etiam) EX PRINCIPIBUS MULTI CREDIDERUNT IN EUM, ne putemus turbam vulgi solam agnovisse Christum. — SED PROPTER PHARISAEOS NON CONFITEBANTUR fidem suam palam. Cf. 9, 22.

V. 43. DILEXERUNT ENIM GLORIAM HOMINUM sibi apud doctores et in honoratiori, quem occupabant, synagogae loco comparandam, MAGIS QUAM GLORIAM DEI, Deo per fidem in Christum tribuendam.

Sermonis Christi conclusio

44. Iesus autem clamavit, et dixit : Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me. 45. Et qui videt me, videt eum, qui misit me. 46. Ego lux in mundum veni : ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. 47. Et si quis audierit verba mea, et non custodierit : ego non iudico eum : non enim veni ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum. 48. Qui spernit me, et non accipit verba mea : habet qui iudicet eum : sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die. 49. Quia ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me

Digitized by Google

Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, et quid loquar.* 50. *Et scio quia mandatum eius vita aeterna est. Quae ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

V. 44. Quae sequuntur alio die pronuntiavit Jesus, ut concluditur ex v. 36. Quo praecise die, determinari nequit, fueritne sanctae hebdomadae feria 2[a], 3[a] vel 4[a]. Quae hoc sermone continentur, supra, praesertim c. X et V, jam ut a Jesu dicta habuimus; at Christum saepius Judaeis eamdem doctrinam iisdem fere verbis repetiisse omnino credibile est. — NON CREDIT IN ME, SED... Hebraismus est : NON *adeo* CREDIT IN ME *quam* IN EUM... Docet enim ut *legatus*.

V. 45. et quidem ut legatus consubstantialis ei qui se misit. QUI enim VIDET ME, VIDET EUM QUI MISIT ME. Cf. 10, 30; 14, 9.

V. 46. EGO LUX... Vide 8, 12, ubi idem eodem sensu.

V. 47. EGO NON IUDICO EUM : *non condemno eum*. Cf. 8, 15; 3, 17; 8, 50; 5, 27. 45. Hic tantum agit Christus de iis quae priori adventui suo competunt : hic enim adventus totus est bonitatis et misericordiae; de futuro adventu nihil hic, sed c. 5, 27.

V. 48. Insinuat eos jam tunc habere in se rationem justae condemnationis : unde licet tunc ipse non vindicet causam suam, non est cur increduli securos se putent : HABET enim QUI IUDICET EUM, τὸν κρίνοντα αὐτόν, ac proinde *jam judicatus est* (3, 18). At quis est quem jam tunc habeant qui judicet? Non SERMONEM Christi, de quo statim infra : hic enim eos IUDICABIT, non nunc sed IN NOVISSIMO DIE. Igitur nunc judicem habent *Patrem*, juxta 8, 50 et 12, 44. — Et praeterea SERMO... IN NOVISSIMO DIE condemnabit, id est, condemnationis eorum erit ineluctabile argumentum.

V. 49. QUIA EGO EX ME IPSO NON SUM LOCUTUS. En ratio judicii : verba ipsius Dei noluerunt accipere. — MIHI MANDATUM DEDIT QUID DICAM. Id de utraque natura Christi congrue

Digitized by Google

explicatur : at si de divina natura intellegitur, modus dicendi est metaphoricus, divinae scientiae in Filio a Patre communicationem immanentem importans.

V. 50. MANDATUM EIUS VITA AETERNA EST. Totum id ad quod Pater me misit est hominibus fons, causa vitae aeternae supernaturalis. — QUAE ERGO LOQUOR, SICUT DIXIT MIHI PATER, SIC LOQUOR. Haec est quasi recapitulatio totius Christi doctrinae de seipso, quam ultimis hisce diebus instantissime Judaeis inculcaverat.

N. B. De his et sequentibus utiliter consuli potest libellus egregius *Passieboeksken*, V. De Buck.

SCHOLION DOGMATICUM

A) Pro ***divinitate Christi.*** 1) Vers 45 : *Qui videt me, videt eum qui misit me.* Quae verba sensum alium non habent congruum, nisi, Patrem et Filium unius et identicae esse divinae naturae. — 2) V. 41° dicitur Isaias vidisse gloriam Jesu Christi et de eo esse locutus in celebri illa visione Is. VI, in qua ipse propheta refert se vidisse *Dominum* (אֲדֹנָי) *sedentem super solium...* Ergo S. Joannes Christum identificat cum Jehovah, uno et Summo Deo incommunicabilis majestatis.

B) Ostenditur obcaecatio Judaeorum eorumque a salute messianica reprobatio in vetere testamento fuisse praedicta; adeoque in eadem obcaecatione esse divinae missionis Christi validum argumentum (v. 38. 39).

SCHOLION ASCETICUM

A) Nullus forte Scripturae locus aptior est ad fundamentalem illam de christiana abnegatione doctrinam inculcandam, quam Jo. 12, 24-26. Vide commentarium.

B) Ex v. 27 merito eruitur, in se malum non esse sensum

Digitized by Google

humanae naturae a dolore et ignominia refugientis, dummodo rectae rationis moderamini subjaceat. Sed et licite a Deo postulari a talibus angustiis liberationem, ea condicione ut voluntas nostra voluntatis divinae dispositioni se conformet.

C) Christus agens et praedicans paucos tantum collegit discipulos; patiens et moriens *omnia trahet ad seipsum* (Jo. 12, 32). Non aliter solet Deus fortunare operam viri apostolici pro salute animarum non laborantis tantum, sed et multa acerba tolerantis. Simili etiam divinae providentiae lege sanguis martyrum semen est christianorum.

Digitized by Google

CAPUT XIII

Argumentum. Pridie quam patiatur Jesus lavat pedes discipulorum suorum hujusque actionis rationem eis explicat (1-17). — Insinuat primum deinde manifeste declarat unum ex eis fore proditorem, et quisnam sit Joanni significat (18-26). — Verbum a ceteris non intellectum dicit Judae, qui statim Dominum traditurus egreditur (27-30). — Tunc suam glorificationem instare Jesus pronuntiat (31. 32). — Discipulis mortem suam proximam revelat, eosque ad mutuam dilectionem hortatur (33-35). — Petro demum trinam negationem praedicit (36-38).

DISSERTATIO PRAEVIA

De cena ultima (1)

Quaeritur 1° *quaenam sit cena de qua hoc capite agitur.*

R. Absque dubio eadem ***cena ultima*** de qua Synoptici agunt.

Rationes. 1) Post utramque statim sequitur discessus in hortum olivarum et passio. — 2) In utraque Christus manifestat proditorem antea discipulis ignotum (cf. Matth. 26, 20-25; Marc. 14, 18-21; Luc. 22, 21-23; Jo. 13, 21. 22). — 3) In utraque praedicitur eodem modo triplex negatio Petri (cf. Luc. 22, 34; Jo. 13, 37. 38). — 4) In utraque Jesus dat praeceptum mutui

(1) De ea re vide, prae ceteris commentariis in Joannem, Patrizi, *De Evang.*, L. III, Dissert. 4 sq. — Langen, *Die letzten Lebenstage Jesu,* p. 57 sq. — Olshausen, in comment. N. T., *Leidensgeschichte,* p. 8 sq. — Fouard, *La passion de N. S. J. C.*, cap. I. — Lightfoot, *Horae hebraicae,* in Matth. 26. — Jovino S. J., *Disquisitio critico-biblica de tempore sepulturae Christi,* p. 97 sq. — Bochart, *Hierozoicon,* t. I, De agno paschali.

Digitized by Google

obsequii humilitatis et caritatis (cf. Luc. 22, 26. 27 et Jo. 13, 12-17) (1).

Quaeritur 2° *quonam die peracta sit haec cena.*

R. Ratio dubitandi est species contradictionis inter Synopticos, qui dant *primum diem azymorum qui dicitur Pascha*, et Joannem, qui dicit (13, 1) : *Ante diem festum Paschae*; et (18, 28) : *Ipsi non introierunt, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha.* Ergo pascha, seu agnus paschalis manducandus erat, ut videtur, eo ipso die quo Christus crucifixus est, non vero pridie, quando ipse cenam celebravit.

1ª sententia. Cena facta est 13° mensis Nisan, neque in ea Jesus agnum paschalem manducavit. Ita Graeci nonnulli, et post eos Calmet, Sepp et Fouard.

Rationes. 1) Joannes dicit : *Ante diem festum Paschae.* Ergo non ipso die festo qui incipiebat ab occasu solis 14ⁱ Nisan, et ab esu agni exordiebatur, secundum Exod. 12, 18 : *Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam, comedetis azyma...*, et v. 6 : *Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis huius; immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam* (בֵּין הָעַרְבָּיִם, *inter duas vesperas*). (2) — 2) Jo. 18, 28 : *Non introierunt, ut non contaminarentur; sed ut manducarent pascha.* Ergo pascha, id est, agnus paschalis erat Judaeis comedendus die quo Christus crucifixus est. Hic ergo dies erat 14 Nisan. Ergo cena acta 13° Nisan neque comestus in

(1) Sunt qui addant : Utraque terminatur hymno, post quem itur ad hortum olivarum (Matth. 26, 30 : ὑμνήσαντες et Jo. 17, 1-26). Sed *hymnus* ille videtur fuisse canticum *Hallel*, a Judaeis in fine cenae paschalis cantari solitum : non igitur haec oratio Christi ad Patrem quam dat S. Joannes (vide Lightfoot, l. c., 1).

(2) De vero sensu hujus locutionis vide Bochart (Hierozoicon, Lugd. Batav., t. I, p. 558) ubi ostendit fuisse tempus intermedium inter meridiem et solis occasum, et paschalem agnum immolari solitum fuisse hora 7 $\frac{1}{2}$, id est, juxta nos, hora 1 $\frac{1}{2}$ post meridiem, statim post sacrificium vespertinum.

Digitized by Google

ea agnus. — 3) Postridie celebratae istius cenae erat παρασκευὴ τοῦ πάσχα (Jo. 19, 14. 31), adeoque dies praeparatorius ad Pascha : hic autem 14 Nisan. Ergo illo die agnus parandus et ad solis occasum comedendus erat, non vero pridie. — 4) Sabbatum sequens mortem Christi erat *magnus dies sabbati* (Jo. 19, 31), non aliam sane ob causam nisi quia incidebat in diem sollemnem Paschae, qui erat 15 Nisan. Ergo rursus 14° Nisan Christus mortuus est, et 13° cenam celebravit absque agno. — 5) Jesum in illa cena manducasse agnum a nullo evangelista dicitur. Quodsi indicent Synoptici Christum in ea manducasse pascha, hoc intellegi potest de esu azymorum et lactucarum agrestium. — 6) Prima dies azymorum, quam dicunt Synoptici, erat 13 Nisan : nam Judaei pridie diei festi jam omne fermentatum e domibus auferebant. — 7) Congruum erat ut agnus figuralis eo ipso die offerretur quo versus agnus paschalis immolatus est; neque e converso agnus legalis et figuralis in cena illa erat comedendus, in qua agnus divinus seipsum in sacramento traderet comedendum.

Contra est tota narratio Synopticorum : *a)* Christus mittit duos discipulos primo die azymorum ut parent sibi comedere pascha. Quod et faciunt. *Vespere autem facto*, istius utique diei, *discumbebat cum duodecim*, ibi sane ubi paraverant pascha; secus evangelista (Matth. 26, 17-20) verbis luderet et cena paschalis fuisset frustra parata. — *b)* Illum autem primum diem azymorum fuisse 14 Nisan patet ex eo quod de ipso dicit S. Marcus (14, 12) : *quando pascha immolabant*, et S. Lucas (22, 7) : *in quo necesse erat occidi pascha*, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα, qui dies erat 14 Nisan, secundum Exod. 12, 6. — *c)* Luc. 22, 14-16, post narratam cenae paschalis praeparationem a discipulis peractam, addit : *Et cum facta esset hora* (ἡ ὥρα, hora legalis, post solis occasum diei 14 Nisan) *discubuit, et duodecim apostoli cum eo. Et ait illis : Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Ex quibus patet

Digitized by Google

Christum tunc manducasse *pascha*, id est agnum legalem, ultimum inter cetera paschata quae cum suis antea comederat.

Respondetur ad argumenta. ad 1) Joannes, dicendo πρὸ τῆς ἑορτῆς, censendus est locutus secundum morem Graecorum, qui dies incohabant a media nocte : unde cena paschalis secundum ipsos fieret ante diem sollemnem Paschae qui erat 15 Nisan. « Joannes, ait Patrizi (in h. l.), quippe qui haec narraret sexaginta amplius post annis quam gesta fuerant, desuetus moribus Judaeorum, initium diei, non ut hi sole occidente, sed ut nos noctis medio facere jam solebat; maxime quod non Judaeis, certe non his unis, sed ex alia gente christianis scriberet. » Similiter computavit Jo. 12, 12 et 20, 19. — Vel certe πρὸ τῆς ἑορτῆς sonat : *Antequam Pascha celebrari inciperet*, id est immediate ante festi per esum agni incohationem (minus probabile). — ad 2) *Pascha* quod erat accusatoribus Jesu manducandum non erat *agnus paschalis*. Ab hoc enim edendo non poterat eos prohibere ingressus in domum ethnici : siquidem haec impuritas durabat tantum usque ad vesperam diei in quo contrahebatur. Esus vero agni pertinebat ad initium diei sequentis. Cf. Lev. 15, 5 sq.; 19 sq., ubi de impuritate contracta ex tactu viri seminiflui et mulieris menstruatae vel supellectilis eorumdem. Talibus autem aequiparari debebant ethnici (1). — S. Joannes (18, 28) agit de edenda hostia paschali quae dicebatur חֲגִיגָה, *chagigah*, ad quam adducendam tenebantur die decimo quinto (2) (vide *Thesaurum* Ugolini, t. IX, p. 948, 949, et Lightfoot, l. c.). — Alias certe, praeter agnum, hostias paschales Judaeis comedendas fuisse constat ex Deut. 16, 2. 3 et 2 Par. 30, 22. — A tali sacrificio accusatores

(1) Maimonides, *De Pasch.* 6, 1 : « Qui cadaver reptilis tetigit, aut reptile, aut *quid aliud simile* die decima quarta, is lavatur, et postquam lotus est, pro eo pascha mactant, et sub vesperam, cum sol ei occubuit, pascha comedit. »

(2) Mischna, *Pesachim* 6, 4 : « Sacrificium festi (חֲגִיגָה) adducebatur ex grege et jumento, agnis et capris, masculis et feminis, et comedebatur per duos dies et unam noctem. »

Digitized by Google

illos utique prohibebat ingressus in domum Pilati. — ad 3) παρασκευὴ τοῦ πάσχα gallice diceretur ***vendredi de Pâques***, παρασκευή enim vocabatur dies sextus hebdomadae cujuscumque, sabbati praeparatorius (1). Id diserte tradit S. Marcus (15, 42) : ἦν παρασκευή, ὅ ἐστι προσάββατον. — Et S. Matthaeus (27, 62) : ***Altera autem die quae est post parasceven***. Unde patet hic παρασκευὴν dici sensu absoluto et minime relativo ad festum sequens. Neque aliter intellegendus est S. Joannes (19, 31) : ***quoniam parasceve erat*** (2), ***ut non remanerent in cruce corpora sabbato***. — ***Sabbato*** dicit, non ***die festo***. Item Jo. 19, 42. — Ita et Flav. Jos. (Ant., 16, 6, 2), ubi Judaeos dicit eximi a civilibus obsequiis praestandis die sabbato καὶ τῇ πρὸ αὐτῆς παρασκευῇ ἀπὸ τῆς ὥρας ἐννάτης. — ad 4) Vocabatur ***magnus dies sabbati***, quia incidebat in septimanam Paschae. Festivitas paschalis septem dies durabat (Exod. 12, 15-20), et dies secundus ceteris omnibus, exceptis primo et septimo, sollemnior erat, nam etiam eo die comedebatur chagigah. Vide notam (2), p. 354. — ad 5) Dicitur aequivalenter a S. Luca (22, 14-16). Pascha die primo azymorum Christo jubente paratum manducavit sane Dominus. Illo autem die aliud pascha non manducabatur nisi agnus. Nec sufficit si manducaverit Jesus azymos et herbas amaras : nam illo die necesse erat *occidi* (θύεσθαι) pascha. — ad 6) Omne fermentatum solitum fuisse auferri jam a 13° Nisan, nullo argumento fulcitur. — ad 7) Congruum magis erat ut Christus figuralem agnum sibi, vero agno, in eodem convivio consociaret, quo evidentius foedus antiquum clauderet et ilico novum aperiret; utque eo anniversa-

(1) Aramaice dicebatur עֲרוּבְתָא ('arubtha). Ita *Bereschith Rabba* (fol. 12) enumerat dies : ***Prima hebdomadae, secunda, tertia, quarta, quinta, 'arubtha, sabbatum***. — Barhebraeus idem adhibet vocabulum, ܥܪܘܒܬܐ, ubi loquitur de iis qui non jejunabant feriis IV et VI. Chronicon, Edit. Abbeloos et Lamy, t. I, p. 74. Vide etiam p. 119.

(2) Graece : ὅτι παρασκευὴ ἦν sine articulo et regimine; unde absolute : *parce que c'était vendredi*. Cf. Bochart, Hierozoicon, t. I, p. 567.

Digitized by Google

rio die per mortem suam genus humanum educeret e servitute daemonis quo olim populum suum eduxerat e servitute Aegypti.

2ª sententia. Cena facta est 13° Nisan, in eaque Jesus agnum paschalem comedit, uno die Judaeorum festum ob praecognitam mortem anticipans. Ita Ad. Maier. — Alii, ut Bisping, volunt computum Galilaeorum non concordasse cum computo Judaeorum, ita ut Galilaeis esset 14 Nisan dies 13 Nisan Judaeorum. Sed haec est mera hypothesis parum probabilis.

Rationes. 1) Argumenta e S. Joanne, ut supra. — 2) Modus loquendi S. Matthaei, juxta quem cena facta est *primo die azymorum*. Nam ipse sequitur morem Galilaeorum, qui diem 14 Nisan integrum celebrabant, adeoque ab occasu solis diei 13 jam azymis utebantur (vide Hug, *Einleitung*, Edit. I, t. 2, p. 199). Marcus et Lucas, qui rerum testes non fuerant, morem illum Galilaeorum ignorantes, de suo addiderunt : *quando pascha immolabant;* et : *in quo necesse erat occidi pascha*. Unde difficultatem non faciunt.

Contra est *a)* Discipuli pararunt pascha *primo die azymorum*, quod neque per illum morem Galilaeorum explicari valet. Nam dies ille apud eos non incipiebat nisi ab occasu solis diei 13. Ergo nondum inceperat primus azymorum quando discipuli pararunt pascha, si die 13 Nisan illud pararunt. — *b)* Tales errores apud Marcum et Lucam admittere nefas videtur. Quomodo enim non in Spiritum sanctum redundarent? Multo certe facilius explicantur (ut supra) textus Joannis ut cum Synopticis concordent. — *c)* Explicatio data cenae paschalis anticipatae violenta est, immo falsa : nam discipuli, qui instantem Jesu mortem ignorabant, primi veniunt ad Jesum quaerentes : *Ubi vis paremus tibi comedere pascha?* cogitantes sane illo die pascha ab omnibus celebratum iri. — *d)* Si Jesus anticipasset cenam paschalem, quomodo potuisset agnum in templo immolare die non legali, et quomodo levitae et sacerdotes sanguinem agni tali die suscepissent?

Digitized by Google

3a sententia. Cena facta est 14° Nisan et in ea Jesus agnum paschalem legitime comedit. Judaei tamen eo anno celebrarunt cenam paschalem 15° Nisan, sollemnitatem vero egerunt die 16° Nisan, sabbato. Ita Maldonatus, Kuinoel et Grimm, *Einheit der 4 Evang., Beilage III.*

Rationes. 1) Sic optima fit evangelistarum conciliatio. Joannes loquitur de festo Paschatis sicuti a Judaeis illo anno celebrabatur; Synoptici de eodem festo sicuti secundum legis praescripta celebrari debuisset. Ideo Marcus dicit : ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον : quando pascha immolare solebant; et Lucas : ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα : quando debuisset immolari, licet illo anno tunc non immolaretur. — 2) Judaei expresse statuerant *non in die festo* Jesum occidendum (Matth. 26, 5; Marc. 14, 2). Ergo Christus non fuit crucifixus ipso die sollemni Paschae sed pridie. — 3) Solebat *unus vinctus* dimitti occasione Paschatis : censendus est autem fuisse dimissus potius pridie festivitatis, ut eam cum suis agere posset. — 4) *Manducare pascha*, sine addito, nequit intellegi nisi de *agno*. — 5) Jo. 19, 14 dicitur παρασκευὴ τοῦ πάσχα, non τοῦ σαββάτου. Ceterum absonum videtur ipsum diem festum Paschae vocare gallice *le vendredi de Pâques*. — 6) Quando 15 Nisan incidebat in diem primum vel sextum hebdomadis, Judaei festum remittebant in diem sequentem, ne duo festa se exciperent. — 7) Joannem (13, 1) dixisse πρὸ τῆς ἑορτῆς, computando more Graecorum, improbabile fit ex eo quod 4, 6 et 19, 14 sequitur morem Judaeorum. — 8) Sacerdotes Judaeorum non potuissent die tam sollemni in procuranda nece Jesu toto matutino tempore occupari. In templo debuissent plebis sacrificia offerre. — 9) Neque die tam sollemni potuissent exercere actionem judicialem in Jesum neque eum comprehendere. — 10) Die Paschae Simon Cyrenaeus non venisset ex villa, ubi sane laboraverat. — 11) Nec Joseph ab Arimathaea potuisset emere sindonem (Marc. 15, 46) nec Judas emere necessaria ad festum (Jo. 13, 29).

Contra est a) quod dictum supra de Jo. 18, 28, unde constat

Digitized by Google

Judaeos die mortis Christi ***agnum*** non voluisse manducare, sed hostiam sollemnitatis diurnae. — *b)* textus Marc. 14, 12 : ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον et Luc. 22, 7 : ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα nimis clare indicant fuisse tunc Pascha Jerosolymis celebratum. — *c)* Quod dictum est supra ad 2^am^ sententiam de cena paschali a Christo ob praevisam mortem anticipata etiam valet contra hanc sententiam, nisi dicas potuisse in tali festi occurrentia celebrari pascha ad libitum die 14 vel 15 Nisan, quod plane gratuitum et improbabile apparet.

Respondetur ad argumenta. ad 1) Multo melius fit concilatio, si admittitur Christum aeque ac Judaeos agnum comedisse 14° Nisan, et 15° celebrasse sollemnitatem primi diei per sacrificium crucis suae. Constat ex dictis supra de Matth. 26, 17. 20; Marc. 14, 12. 17; Luc. 22, 7. 14. 15; Marc. 15, 42; Luc. 23, 54; Jo. 18, 28; 19, 14. 31. 42. — In sententia vero hic proposita, Marc. 14, 12 et Luc. 22, 7 non explicantur modo probabili. — ad 2) Sed ob proditionem Judae mutarunt sententiam : ipse enim opportunitatem nactus est *ut traderet eum eis sine turbis* (Luc. 22, 6). Idipsum innuit modus quo Matthaeus et Marcus, inverso ordine chronologico, narrant cenam Bethaniae et inde secutam proditionem Judae. Accedit quod haec proditio unius ex praecipuis Jesu discipulis debuit inimicis ejus animos addere, multorum scilicet invidiam Jesum contra se excitasse : minus porro a plebe esse timendum (Langen). — ad 3) Festivitas paschalis 7 dies habebat : satis ergo erat si intra eorum spatium vinctus dimitteretur. — ad 4) Uti dictum supra, ***manducare pascha*** dicebatur de edenda victima paschali qualicumque. — ad 5) S. Joannes scribebat lectoribus qui habebant et noverant narrationes Synopticorum adeoque sciebant παρασκευὴν aliud non esse nisi προσάββατον (Marc. 15, 42) et Christum occisum fuisse die primo sollemnitatis paschalis. Ergo apud eos nulla erat timenda ambiguitas. — Deinde, nonne et nos dicimus ***Dominicam Paschatis?*** — ad 6) Ita quidem factum in moderna synagoga; at

Digitized by Google

de simili more tempore Christi jam introducto nullum exstat in historia vestigium. Imo Talmud pluries mentionem facit festorum incidentium in diem praecedentem vel sequentem sabbatum (*Succa*, c. 5; *Besta*, c. 1; *Chagiga*, c. 2). Unde et Aben-Ezra (in Lev. 23, 4) : « Tam ex Mischna quam ex Talmude probatur Pascha in 2am, 4am et 6am feriam quandoque incidisse. » — ad 7) Negatur paritas : ipsa enim Paschatis dies lucida optime poterat dici ἡ ἑορτή : erat quippe sollemnissima. Ita Moyses (Exod. 12, 18) praecipit edenda azyma die decimo quarto Nisan *ad vesperam*, quae tamen vespera diem 15 incohabat. — ad 8) Soli synedristae adiverunt Pilatum; multi alii sacerdotes in templo praesto erant plebi. — ad 9) Haec non probantur fuisse diebus festis prohibita; praesertim ubi agebatur de causa falsi prophetae. Constat autem ex Talmude (1), ipsis sabbatis in templo judicia fuisse exercita et quandoque diebus festis, ad exemplum, reos fuisse necatos. — Cf. Luc. 4, 16. 29; Jo. 7, 45; 9, 13-35; 10, 31. 39, ubi multa similia fiunt a pharisaeis die sabbato vel festo. — ad 10) In villa laborasse non dicitur. — ad 11) Emere et vendere licebat diebus festis non sabbatinis, praesertim quando incidebant in diem sextum hebdomadis. Ita Talmud (*Hilcoth*, 4, 20). Cf. Exod. 12, 16, ubi permittitur die Paschae praeparare cibos, quod non licebat sabbatis.

4a sententia. Cena acta est 14° Nisan, quo die Jesus et omnes Judaei agnum paschalem comederunt, adeoque Christus passus est et mortuus ipso die sollemni Paschatis. Ita S. Hieron. (in Matth. 26), S. August. (Ep. 86), S. Anselm. (De fermentato). — Tolet., Luc. Brug., a Lap., Patrizi, V. De Buck, Jovino, Hengst., Olshausen, Tholuck, Langen etc.

Rationes. 1) Harmonia textuum evangelicorum, ut ad 3am sententiam fuit exposita. — 2) Auctoritates gravissimae modo enuntiatae. — 3) Quartodecimani saeculo II contendebant Christum

(1) Mischna, *Sanhedrin*, 10, 3. 4 (vide Bochart, Hierozoicon, t. I, p. 568).

Digitized by Google

cenam suam eucharisticam celebrasse die 14° Nisan et crucifixum fuisse die sollemni Paschae 15° Nisan; et se ita sequi asserebant traditionem acceptam a S. Joanne, cujus apud ipsos exstaret sepulcrum. Ergo hoc sensu explicandi sunt textus evangelii S. Joannis ab omnibus hoc evangelium pro authentico habentibus. Vide Euseb., H. E., 5, 23 et Apollinarem, apud Migne, P. G., t. 5, p. 1298.

Contra afferuntur argumenta pleraque sententiarum supra expositarum. Haec autem omnia refutata fuerunt.

Conclusio. Hanc igitur 4^{am} sententiam ut longe probabiliorem admittimus.

N. B. In tota tractatione nihil diximus de argumento astronomico, quo statueretur in quemnam hebdomadae diem anno mortis Christi incideret 14 Nisan. In hac enim re elementa solutionis nimis sunt incerta. Incertus est annus emortualis Christi (29 vel 30, vel 33...), incertum momentum a quo Judaei illo anno inceperint computare primum diem Nisan. Ergo parum ex astronomicis rationibus pro vel contra nostram sententiam argui posse putamus. Hoc certe ex computo astronomico constat, anno aerae vulgaris 29° (quem probabilior sententia morti Christi assignat) diem 15 Nisan, a momento physico interlunii numeratum, incidisse in feriam sextam, ex quo confirmatur sententia nostra. De his vide Ideler, ***Handbuch der Chronologie***, t. I, p. 515 sq. — Jovino, p. 153 sq. — Patrizi, *De Evang.*, L. III, Dissert. 52.

Omisimus etiam sententias rationalisticas, quae tenent Synopticos nulla probabili ratione cum Joanne conciliari posse. Unde alii cum Joanne tenent, alii cum Synopticis. Vide Lücke ad Jo. 18. 28.

Quaeritur 3° *quo ordine in cena ultima venerit lotio pedum.*

Praenota. S. Joannes in historia cenae videtur data opera tacuisse ea quae narraverant Synoptici, exposuisse quae illi tacuerant. Hinc difficultas. Cena haec tribus constitit partibus : prima,

Digitized by Google

cena paschali; secunda, cena communi; tertia, cena sacramentali. At ubi inserenda sunt lotio pedum, declaratio proditoris, sermo Christi?

R. 1ª *sententia.* Lotio pedum ante cenam triplicem. (Hengst., Olshaus. etc.)

Rationes. 1) Pedes lavabantur ante cenam. — 2) Lotio facta est ante *festum*. Ergo non *durante festo*, seu post esum agni. — 3) Pro δείπνου γενομένου lectio probatior (quam præfert Tischendorf) habet γινομένου, id est *dum fieret* (pararetur) cena. Et etiam γενομένου non sonat *cena peracta*. Cf. Matth. 26, 6: τοῦ δὲ Ἰησοῦ γενομένου ἐν Βηθανίᾳ...

Contra est a) V. 4. *Surgit a cena*. Ergo non haec erat pedum lotio quae solebat cenam praecedere. — *b)* Haec Christi actio exhibetur ut omnino insolita. — *c)* Provocata fuisse videtur per contentionem *inter cenandum* ortam, de qua Luc. 22, 24. — *d)* δείπνου γενομένου vel γινομένου obvio sensu supponit cenam jam incohatam.

2ª *sententia.* Pedes lavit Jesus post peractam cenam integram, ac proinde post ipsam cenam eucharisticam (Beelen, V. De Buck, Patrizi).

Rationes. 1) Joannes dicit COENA FACTA, δείπνου γενομένου. (Est autem lectio γενομένου multo probabilior, ait Beelen, lectione γινομένου). Fuit autem instituta S. Eucharistia *coenantibus illis*. — 2) εἰς τέλος ἠγάπησεν αὐτούς vertendum, non *usque ad finem vitae dilexit eos*, sed *extremo amore dilexit eos*. Ita SS. Chrysost. et Cyrill. Alex., Theophylact., Euthym., Leontius, Maldon. etc. Etenim quando εἰς τέλος sonat *usque in finem*, habet semper post se regimen (Beelen). — Extremo itaque illo amore intendit Joannes hoc loco commemorare institutionem SS. Eucharistiae. — Secus deberet ille amor intellegi lotio pedum; quod stare nequit quia versu 2 nova prorsus de ea instituitur enuntiatio, — 3) quam enuntiationem saltem tunc debuisset per γὰρ praece-

Digitized by Google

denti copulare. — 4) Post lotionem pedum nullus locus institutioni SS. Eucharistiae reliquus est. Sequitur enim sermo Domini, non nisi paucis apostolorum interrogationibus interruptus. — 5) Mirum foret si discipulus dilectionis in narratione de cena ne verbo quidem innuisset tantum amoris mysterium, cujus promissionem tam late c. VI exposuerat. Tale autem verbum esse censetur *in finem dilexit eos*. — 6) Nam εἰς τέλος ἠγάπησεν αὐτούς sat clare idipsum indigitabat fidelibus quibus Synopticorum narratio perspecta esset.

3ª sententia. Lotio pedum facta post cenam paschalem (vel etiam post cenam communem) sed ante cenam eucharisticam (Tolet, Maldon., Luc, Brug., Maier, Salmeron etc. communiter). S. August. « Adhuc cenabatur cum Dominus surrexit et pedes lavit discipulis suis. »

Rationes. 1) *Surgit a coena*, ergo cena incepta. Ergo peracta saltem cena paschali. — 2) S. Eucharistiam Christus instituit *coenantibus illis* (Matth. 26, 26) et *postquam coenavit* (1 Cor. 11, 25). Ergo omnino in fine cenae communis, quam potuit Christus lotione pedum interrumpere ob ortam contentionem, de qua Luc. 22, 24, — 3) Si tota omnino cena fuisset peracta, cur *iterum recubuit* (Jo. 13, 12), et Judae *bucellam porrexit* (13. 26)? — 4) Verba Christi de omnimoda munditia apte explicantur ut sumptioni sacramenti praevia. — 5) V. 32 et 33 non adeo connectuntur ut inter eos non possit poni institutio SS. Eucharistiae. — 6) Joannem hanc institutionem omisisse nihil mirum est, si attenditur ejus scopus supplendi Synopticos. — 7) εἰς τέλος ἠγάπησεν αὐτούς non incommode referri potest ad omnia acta et dicta Christi in cena. — Ceterum, illud καὶ incohans v. 2 potest per hebraismum exponi *etenim*. — 8) Nihil sane incongrui est in hac paraphrastica expositione : Ante festum Paschae, cum Jesus sciret instare sibi mortem, discipulos extremo amore dilexit. Etenim, licet dignitatis suae plane conscius, pedes eorum lavit. — 9) Matthaeus et Marcus ponunt declarationem proditionis

Digitized by Google

Judae ante SS. Eucharistiae institutionem. At apud Joannem ista declaratio facta est *post* lotionem pedum. Ergo et haec lotio praecessit cenam eucharisticam.

Reponitur ad 3) Iterum recubuit ut sermonem ultimum pronuntiaret, buccellam autem tradidit Judae, quando ultima obsonia nondum erant ablata, licet cenae fuisset finis impositus. — ad 9) Sed Lucas (22, 21) proditoris declarationem ponit post narratam institutionem SS. Eucharistiae.

Conclusio. Admittenda videtur sententia 3ª, praecipue ob argumentum ductum ex ordine narrationis Matthaei et Marci. Matthaeus ipse cenae adfuit : quare censendus est res ordine chronologico exponere prout eas vidit; Lucas vero non adfuit et supponi potest non intendisse chronologicum ordinem; unde et hanc *contentionem*, quae videtur pedum lotioni occasionem dedisse, potuit narrare post cetera omnia (1).

Quaeritur 4° ***utrum Judas adfuerit institutioni SS. Eucharistiae*** adeoque e manibus Christi in cena communicaverit.

R. ***1ª sententia affirmat.*** Ita SS. Hieron., Cyrill. Hieros. (Catech. 13), August., Cyrill. Alex., Chrysost., Leo et multi interpretes.

Rationes. 1) Marc. 14, 23 : *Et biberunt ex eo omnes.* Ergo et Judas. — 2) Luc. 22 ponit institutionem SS. Eucharistiae ante revelationem proditionis Judae, quam declarationem ipse proditor audivit. Solet autem Lucas, ut aiunt, ordinem chronologicum pressius sequi quam Matthaeus et Marcus. — 3) Judas tunc erat adhuc occultus peccator, quem proinde Christus non debebat a S. Communione prohibere. — 4) Canit Ecclesia : *Cibum turbae duodenae se dat suis manibus* (Hymn. *Pange lingua*). Ergo duodecim in cena communicasse profitetur.

(1) Lucas melius quidem quam Matthaeus sequitur ordinem chronologicum quoad *seriem* factorum; sed quoad facti alicujus minuta adjuncta pronum est putare magis accurate ea referri a Matthaeo, teste oculato, quam a Luca qui ea ab aliis accipere debuit.

Digitized by Google

2a sententia negat. Ita S. Hilarius (In Matth., cap. 30, 2) : « Post quae Judas proditor indicatur, sine quo pascha accepto » calice et fracto pane conficitur : dignus enim aeternorum sa» cramentorum communione non fuerat. Nam discessise statim » hinc intellegitur, quod cum turbis reversus ostenditur. Neque » sane bibere cum Domino poterat, qui non erat bibiturus in » regno : cum universos tunc bibentes ex vitis istius fructu, » bibituros secum postea polliceretur. » — Rupertus (in Jo. 6, 71) : « De participatione autem corporis et sanguinis ejus (Christi), » potest aliquis opinari quod ipse (Judas) interfuerit. Sed profecto » diligentius evangelistarum narratione doctorumque conside» rata diversitate, citius deprehendi potest huic quoque sacra» mento illum nequaquam interfuisse. Nam cum accepisset » buccellam, qua traditor designatus est, exivit continuo.... » (vide integrum locum, ubi et de narratione Lucae agit). — Harmonia evangelica, edita a Victore Capuano (Migne, Pat. lat., t. 68, p. 340), ubi ita textus evangelicus disponitur : *Et dicit ei Jesus : Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei... Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit : Numquid ego sum, Rabbi? Ait illi : Tu dixisti. Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo. Erat autem nox. Cum ergo exiisset, dicit Jesus : Nunc clarificatus est ... et Deus clarificavit eum in semetipso, et continuo clarificabit eum. Cenantibus autem eis, accepit Jesus panem...* — S. Aphraates, sub nomine Jacobi Nisibeni (Serm. 14 de Paschate apud Lamy, De Syror. fide, p. 18) : « Postquam exivit » ab eis Judas, accepit (Jesus) panem, et benedixit ac fregit... » — Constitutiones apostolicae (5, 14) : « Cum autem tradidisset » nobis antitypa pretiosi corporis ac sanguinis sui, Juda nobiscum » non consistente (Ἰούδα μὴ συμπάροντος ἡμῖν), egressus est. » — Innocentius III (De sacro Altaris mysterio, 4, 13) : « Dubitari » solet utrum Judas cum aliis acceperit Eucharistiam. » Et expositis utrinque argumentis scripturisticis, pergit : « Quid ergo est

Digitized by Google

» nobis in hoc casu tenendum? Illud forte sine praejudicio » aliorum, quod Joannes insinuat, quia cum Judas accepisset » buccellam panis, exiit continuo, erat enim nox. Christus autem » post alios cibos tradidit Eucharistiam. »

Ita, inter commentatores, Salmeron (Tract. de serm. in cena, p. 69 sq.), ubi inter omnes plenissime rem praesentem pertractat, Maldonat., saltem ut non improbans, Barradius (Concord. evang., 4, 3, 3), B. Lamy (Harm. evang., 5, 19), Turrianus (ad Const. ap., 5, 16), Lücke, Maier, Ebrard, Schegg, Langen et, ait Langen, recentiores fere omnes.

Rationes. 1) Matthaeus et Marcus ponunt institutionem sacramenti post revelationem proditoris, et minime probabile est Christum bis vel ter et cum iisdem adjunctis proditorem declarasse. Cum autem Matthaeus cenae adfuerit, censendus est res in ea gestas juxta ordinem quo gestae sunt et memoria retinuisse et accurate enarrasse. — 2) Quodsi ita ordo rerum habet, Judas non adfuit institutioni sacramenti : nam postquam vidit se declaratum, *continuo* exivit (Jo. 13, 30). — 3) Cur Jesus, cum facile posset, Judae novi et horrendi sceleris patrandi ansam non praeripuisset? — Et quomodo tale monstrum in sacerdotem sibi elegisset et in obsequium ordinasset ecclesiae suae cui nihil jam obsequii collaturus esset? — 4) In narratione S. Joannis omnia ita inter se cohaerent a 13, 2 usque ad 13, 32, ut non facile reperiatur ibi locus institutioni SS. Eucharistiae, quod ex commentario patebit. Congrue autem collocari potest inter v. 32 et 33, ut ostendetur ubi de istis versiculis. Tunc autem Judas cenaculo exierat.

Respondetur ad argumenta 1ae sententiae. ad 1) Intellege : *Biberunt omnes qui aderant.* — ad 2) Lucas melius observat ordinem rerum in decursu vitae Christi, at in singulari aliquo facto, uti cena erat, evolvendo, ille censetur accuratius facti adjuncta ordinasse qui haec adjuncta propria experientia didicerit eaque proinde in phantasia vivide depicta retinuerit. Talis in casu

Digitized by Google

praesenti erat Matthaeus. — ad 3) At certe poterat ei occasionem sponte abeundi suppeditare. — ad 4) *Turba duodena* intellegitur collegium apostolorum, ac si diceretur *apostolis suis*.

Conclusio. Adhaeremus sententiae secundae.

Conclusionum synopsis.

Christus cenam ultimam egit cum apostolis suis, primo die azymorum, 14° Nisan ad occasum solis, die 15° Nisan jam incohante. In ea cena, illo die, non secus ac ceteri Judaei omnes, agnum paschalem comedit, et ipso Paschatis die sollemni crucifixus est. Fuit autem in cena rerum gestarum ordo hujusmodi : 1) Fit cena paschalis per esum agni. — 2) Incohatur cena communis, — 3) sub qua apostoli inter se contendunt, quis eorum videatur esse major. — 4) Jesus lavat pedes eorum, et quid fecerit, discipulis explicat. — 5) Declarat proditorem. — 6) Judas exit e cenaculo. — 7) Jesus adesse suae glorificationis momentum pronuntiat (Jo. 13, 31. 32.) — 8) Instituit SS. Eucharistiam. — 9) Pergit in sermone (Jo. 13, 33 sq.)

EXPOSITIO TEXTUS

Lotio pedum

1. *Ante diem festum Paschae, sciens Iesus quia venit hora eius ut transeat ex hoc mundo ad Patrem : cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* 2. *Et coena facta, cum diabolus iam misisset in cor ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotae :* 3. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit :* 4. *Surgit a coena, et ponit vestimenta sua : et cum accepisset linteum, praecinxit se.* 5. *Deinde mittit aquam in pelvim, et coepit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat praecinctus.* 6. *Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus : Domine, tu mihi lavas pedes?* 7. *Respondit Iesus, et dixit ei : Quod ego facio, tu nescis modo, scies*

Digitized by Google

autem postea. 8. *Dicit ei Petrus : Non lavabis mihi pedes in aeternum. Respondit ei Iesus : Si non lavero te, non habebis partem mecum.* 9. *Dicit ei Simon Petrus : Domine, non tantum pedes meos, sed et manus, et caput.* 10. *Dicit ei Iesus : Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes.* 11. *Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum : propterea dixit : Non estis mundi omnes.* 12. *Postquam ergo lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua : cum recubuisset iterum, dixit eis : Scitis quid fecerim vobis?* 13. *Vos vocatis me, Magister, et Domine : et bene dicitis : sum etenim.* 14. *Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus, et Magister : et vos debetis alter alterius lavare pedes.* 15. *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* 16. *Amen, amen dico vobis : Non est servus maior Domino suo : neque apostolus maior est eo, qui misit illum.* 17. *Si haec scitis, beati eritis si feceritis ea.*

V. 1. S. Joannes mysteria ultimi diei vitae Filii Dei in terris jam expositurus, rem tantam non sine congrua verborum sollemnitate exorditur. — SCIENS IESUS, id est, *cum sciret*, scientia illa divina, QUIA VENIT (ἐλήλυθεν, *jam aderat)* HORA EIUS, tempus aeterno consilio praedefinitum, UT TRANSEAT, per mortem scilicet voluntarie admissam, EX HOC MUNDO (e terra) AD PATREM, in caelis deinceps regnaturus. — S. Augustinus paronomasiam videt in verbis *Pascha* et *transeat*. — CUM DILEXISSET SUOS, τοὺς ἰδίους, apostolos quibuscum tunc erat, QUI ERANT IN MUNDO, et quos ipse transiens ex hoc mundo in eo post se relinquebat, tunc IN FINEM DILEXIT EOS.

Quaeritur quomodo exponendum sit εἰς τέλος.

R. 1a *expositio,* S. Augustini. IN FINEM, ait, est *in Christum*, seu *propter seipsum*. Finis enim Christus.

Haec sane expositio non est litteralis. Aliam addit aptiorem :

Digitized by Google

« In finem dilexit, id est, usque ad mortem illum dilectio ipsa perduxit. »

2ª expositio. Usque ad finem vitae. Ita Tolet., a Lap., Luc. Brug. et protestantes passim.

At debuisset addi τοῦ ἑαυτοῦ βίου. Nam εἰς τέλος non sonat *in finem vitae*. Praeterea tunc vel phrasis sensum non habet, vel est anacoluthica. Etenim, si phrasis sit in se terminata, ita procedet : *Ante festum Paschae Jesus dilexit suos usque ad finem vitae*, quod congruo sensu caret. Si autem sit sententia anacoluthica in qua auctor mente sic prius concepisset : *Ante pascha Jesus lavit pedes suorum* et abrupisset sermonem cogitando tantum istius actionis amorem, non est ea quidem a priori rejicienda (cf. 6, 22), sed non recipienda nisi ratio urgeat.

3ª expositio, Patrum graecorum : Cyrill., Chrysost., Theophylact., Euthym., Leont., quibus accedunt Patrizi, Beelen, εἰς τέλος vertit *ad extremum usque*, ad excessum.

S. Cyrill. (in h. l.) : « Quid autem est porro quod ait : *Cum* » *dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos?...* » Ante salutarem passionem, quamvis cognosceret Salvator jam » tandem veluti pro foribus instare tempus quo ad caelos transi- » turus esset, perfectissimam tamen erga suos qui erant in mundo » dilectionem exhibuit (τελειοτάτην ἐπεδείξατο τὴν ἀγάπησιν). »

S. Chrysost. (in h. l.) : « Viden' quomodo relicturus eos, vehe- » mentiorem amorem exhibeat... Quid significat illud : *In finem* » *dilexit eos?* Id est, amare perseveravit ac ferventis amoris » signum hoc esse dicit (καὶ τεκμήριον τῆς πολλῆς ἀγάπης τοῦτο » λέγει). »

Theophylact. (in h. l.) : « Per hoc quod dicit ... *in finem* » *dilexit eos,* hoc vult, quod nihil omiserit eorum quae facere » decet eum qui vehementer diligit. »

Euthym. (in h. l.) : Nam *in finem* significat *vehementer :* τὸ γὰρ εἰς τέλος, τὸ σφόδρα δηλοῖ. »

Digitized by Google

Haec nostra est sententia, ob auctoritatem Graecorum et ob facilius fluentem evangelistae sermonem.

At, si ita, quodnam est hoc amoris extremi tunc exhibiti specimen? Non S. Eucharistiae institutio exclusive, ut videtur. Nam tunc sane Joannes etiam pedum lotionem, de qua dicturus erat, mente cogitabat. Nec tamen rursus haec lotio sola. Secus versu 2 posuisset γὰρ vel οὖν. Potius ergo totum id quod in cena atque adeo in horto olivarum pro discipulis egit Christus, evangelista his verbis compendiose proponit. Itaque lotio pedum, institutio S. Eucharistiae, sermo ille tenerrimò amore refertus, promissio Spiritus sancti, oratio ad Patrem pro discipulis, peculiaris de eis cura et, non obstante propria angustia, sollicitudo paterna in horto, nec minor demum in proditorem amor exhibitus; haec omnia simul amorem a Jesu suis exhibitum εἰς τέλος fuisse productum manifestarunt.

V. 2. ET COENA FACTA. Graece δείπνου absque articulo. Unde sensus : dum cenabatur *(comme on était à souper)*. De sensu vocis γενομένου vide supra in dissertatione nostra praevia, p. 361. — CUM DIABOLUS IAM MISISSET IN COR UT... Clarius graece : ἤδη βεβληκότος εἰς τὴν καρδίαν Ἰούδα... ἵνα αὐτὸν παραδῷ, ***cum diabolus jam misisset in cor Judae... ut traderet eum.*** — Ergo tantum scelus, humanam fere malitiam excedens, diabolum auctorem habuit, quo tamen impellente libere egit Judas. — Proditoris hic mentio fit, ut ex antithesi tantae malitiae amor Jesu eamdem cognoscentis illustrior appareat.

V. 3. SCIENS..., id est, quamvis plenissime conscius infinitae dignitatis suae. « Locuturus quippe de tanta Domini humilitate, prius celsitudinem ejus voluit commendare (August.) » QUIA OMNIA DEDIT EI PATER IN MANUS, summum in creaturam universam dominium, ET QUIA A DEO EXIVIT per incarnationem, ET AD DEUM VADIT per ascensionem, SURGIT A COENA... servile obsequium discipulis praestiturus. — Nonnulli interpretes parti-

Digitized by Google

cipium εἰδὼς resolvunt : *quoniam sciebat...*, ideo in hac cena saluti suorum egregie et divine consuluit, lavando pedes, sublimem orationem habendo, corpus suum eis tradendo. Hoc minus placet, ob statim sequens et sententiam absolvens : *surgit a coena.*

V. 4. SURGIT A COENA, ἐκ τοῦ δείπνου, ET PONIT (deponit) VESTIMENTA SUA superiora, quae apud orientales ampliora erant. — PRAECINXIT SE eo linteo, ut id ad extergendos pedes ad manum haberet.

V. 5. ... IN PELVIM, εἰς τὸν νιπτῆρα *(dans le bassin).* Igitur haec pelvis fuerit a domus domino, vel certe a duobus discipulis, ante cenam pro more disposita.

V. 6. VENIT ERGO AD SIMONEM PETRUM, a principe apostolorum actum illum humilitatis exordiens. Alios ante Petrum lotos fuisse non est probabile. Petrus enim est ubique primus, et protestatio a primo abluendo potius quam a reliquis erat exspectanda. Ita et S. Augustinus. — ET DICIT EI PETRUS : DOMINE TU MIHI LAVAS PEDES. Omnia hic emphatica esse adverte.

V. 7. ... TU NESCIS MODO, sensum nempe moralem; SCIES... POSTEA. Intendit enim id postea explicare, et certe per Spiritum sanctum plene revelare. His verbis clare innuit Petro sibi parendum esse.

V. 8. Consueto fervore abreptus Petrus fortius insistit, non ratus sane se ita Dominum offendere. — Provocat tamen severum Christi responsum : SI NON LAVERO TE, NON HABEBIS PARTEM MECUM. Hoc dictum in genere idem valet ac : removebo te a meo consortio. — En jam districta voluntatis Christi intimatio cui si Petrus, hactenus recte dispositus, non obtemperasset, a Christo utique meruisset etiam in aeternum separari.

V. 9. Hoc intellexit Petrus et jam in excessum oppositum ruit. ... SED ET MANUS, ET CAPUT !

V. 10. QUI LOTUS EST toto corpore, puta sumpto balneo, NON INDIGET NISI UT PEDES LAVET pulvere plateae nonnihil inqui-

Digitized by Google

nari solitos, SED EST MUNDUS TOTUS, toto corpore, pedibus tantum exceptis. — Lutum et pulverem pedum plures allegorice exponunt esse venialium noxarum sordes, quibus decet se mundare antequam ad SS. Eucharistiam accedatur. Recte quidem. — Ad quae S. August. (in h. l.) : « In his autem qui hic (in terra) » demorantur, etiamsi munda sit (Ecclesia), quoniam juste vivunt; » opus tamen habent pedes lavare, quoniam sine peccato utique » non sunt. » Deinde pergit per totum tractatum 57 de eo argumento disserere. Et ita terminat : « Si quid secus quam oportuit » dicentes fortassis offendimus, vel laudibus vestris immoderatius » quam oportuit elevati sumus, impetrate mundationem pedibus » nostris, Deo placentibus orationibus vestris. » — ET VOS MUNDI ESTIS. A sensu physico transit ad moralem. — SED NON OMNES! Primum hoc est ad Judam directum caritatis monitum. Ergo tunc aderat Judas, cujus etiam pedes Jesus lavit!

V. 11. SCIEBAT ENIM... Sedulo id monet Joannes, tum ut inde amor Jesu magis eluceat, tum ut pateat ipsum traditum iri non invitum.

V. 12. CUM RECUBUISSET ITERUM, cenam prosecuturus, vel certe obsonia quaedam cum vino praeterea sumpturus... SCITIS QUID, quo sensu mystico, FECERIM VOBIS?

V. 14. Argumentum a fortiori. Si ego id feci superior inferioribus, quanto magis decet vos idem praestare aequalibus!

V. 15. Praeceptum Domini cadit non adeo in *signum*, lotionem materialem, quam *in rem significatam*, obsequia scilicet caritatis et humilitatis proximis exhibenda. His verbis Christum non instituisse ritum sacramentalem perpetuo in Ecclesia frequentandum constat ex traditione et praxi Ecclesiae. Exegesis litteralis idipsum clare ostendere nequit. Immo, dempta traditione, talis exegesis facilius ad contrariam conclusionem duceret. — Vult ergo Jesus discipulos facere in posterum, non id quod a Magistro fieri viderant sed quod ipsum eis fecisse hactenus nesciebant. ET VOS DEBETIS ALTER ALTERIUS LAVARE PEDES : morali magis

Digitized by Google

quam physica ratione; quamvis et haec simul intellegatur. Cf. 1 Tim. 5, 10 : *si sanctorum pedes lavit.*

V. 16. Praecepti sui aequitatem proverbiali sententia confirmat.

V. 17. SI HAEC SCITIS, vobis nempe caritatem et humilitatem exercendas esse, BEATI ERITIS SI FECERITIS EA : quod quidem illi qui easdem post Christum virtutes in Ecclesia exercuerunt suavi experientia didicerunt. — Cf. Luc. 22, 26. 27, ubi eadem fere Christi verba referuntur, unde videtur inter lotionem pedum et discipulorum contentionem talis fuisse connexio, ut haec illi occasionem dederit.

Declaratio proditoris

18. ***Non de omnibus vobis dico : ego scio quos elegerim : sed ut adimpleatur Scriptura : Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum.*** **19.** ***Amodo dico vobis, prius quam fiat : ut cum factum fuerit, credatis, quia ego sum.*** **20.** ***Amen, amen dico vobis : Qui accipit si quem misero, me accipit : qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit.*** **21.** ***Cum haec dixisset Iesus, turbatus est spiritu : et protestatus est, et dixit : Amen, amen dico vobis : Quia unus ex vobis tradet me.*** **22.** ***Aspiciebant ergo ad invicem discipuli, haesitantes de quo diceret.*** **23.** ***Erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.*** **24.** ***Innuit ergo huic Simon Petrus, et dixit ei : Quis est, de quo dicit?*** **25.** ***Itaque cum recubuisset ille supra pectus Iesu, dicit ei : Domine, quis est?*** **26.** ***Respondit Iesus : Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Iudae Simonis Iscariotae.***

V. 18. NON DE OMNIBUS VOBIS DICO! Unus per culpam suam ab illa beatitate excluditur! Nunc jam Dominus se proditorem cognoscere manifestare incipit, hac manifestatione volens Judae praebere paenitentiae occasionem et a ceteris ansam

Digitized by Google

scandali removere. — EGO SCIO QUOS ELEGERIM, quales essent et quales essent futuri : unum fore proditorem non me latebat quando vos duodecim elegi (6, 71). — Me autem talem elegisse ne miremini : ita enim egi tunc, et hoc modo loquor nunc, UT ADIMPLEATUR SCRIPTURA : QUI MANDUCAT MECUM PANEM, familiaris meus, LEVABIT (graece *levavit)* CONTRA ME CALCANEUM SUUM, ut jumentum pede me impetivit. Verba sunt ex Ps. 40 (41), 10, ad litteram de Davide, typice de Christo : *Qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem* (1).

V. 19. AMODO DICO VOBIS, PRIUSQUAM FIAT, ut ex hac praescientia mea, cum eam eventu verificatam videritis, CREDATIS, QUIA EGO SUM (gallice, *que c'est moi)* Messias, Filius Dei.

V. 20. ... QUI ACCIPIT SI QUEM MISERO, ME ACCIPIT...

Quaeritur de ***nexu*** hujus versiculi cum contexta oratione.

R. *1a sententia* (Patrizi). Referri haec ad proditionem Judae : nam et quae praecedunt et quae sequuntur de eadem agere. Unde sic : Sicut *qui me accipit, accipit eum qui me misit,* ita *qui me non accipit, neque eum accipit qui me misit*, hoc est, neque Deum agnoscit. Unde commonetur tacite Judas : Videat quid agat; nam quo quis loco Jesum habet, eodem et Deum habere existimandus est. — Ita et S. Cyrill. Alex. Videtur tamen longius quaesita expositio.

2a sententia (Lücke...). Occasionem horum verborum fuisse declarationem proditoris. Ea nimium afflictis discipulis voluisse bonum Magistrum his verbis animos addere. Cum tamen cogitatio proditionis mentem suam penitus occuparet, statim ad eam rediisse v. 21° — At non satis apparet quomodo haec verba recte conducant ad depressos discipulorum animos erigendos.

3a sententia (Beelen, Bisping etc.). Hactenus dicta de proditione habenda esse ut parenthesim in serie sermonis Christi, ita ut v. 20 nectendus sit v. 16° (vel certe 17°). Cogitatio de prodi-

(1) Hebraice ad litteram : *Magnum fecit super me calcaneum.*

Digitized by Google

tione subito Salvatoris mentem invadens suggesserat ei verba : *Si haec scitis etc.* (v. 17) quibus sermonem de humilitate interrupit. Nunc ad eumdem vult redire. Dixerat : ***Apostolus non est maior eo qui misit illum.*** Ergo consortium tribulationum Domini eis reservatur. Jam ex altera parte ad consolationem addit, etiam eos venire debere in consortium honoris Magistro debiti. — Cf. Matth. 10, 40; Luc. 9, 48.

4ª sententia. Nullum esse nexum. Evangelistam scilicet omisisse ea quae in sermone Christi hunc versiculum praecedentibus et sequentibus connecterent. Igitur ea quae patroni 3ae sententiae ad nexum faciendum subaudiunt (vel alia forte) fuisse a Domino pronuntiata quidem, sed ab evangelista non relata.

Hanc ut probabiliorem admittimus.

V. 21. CUM HAEC DIXISSET IESUS, TURBATUS EST SPIRITU. Sunt qui inter dicta Jesu v. 20° et ea quae a v. 21° incipiunt, ponant institutionem SS. Eucharistiae. Ita Luc. Brug., ob narrationem Lucae, qui ponit verba de traditore statim post relatam institutionem SS. Eucharistiae. — At *a)* sensus v. 21i arcte nectitur v. 18° et 19°. — *b)* verba CUM HAEC DIXISSET non haberent adeo congruam veritatem si intercessisset institutio sacramenti inter v. 20 et 21.

TURBATUS EST SPIRITU, id est in suí intimo, turbatione sibi libera.

Placet hic adducere verba S. Augustini (in h. l.) : « Pereant » argumenta philosophorum, qui negant in sapientem cadere » pertubationes animorum... Turbetur plane animus christianus, » non miseria, sed misericordia; timeat nè pereant homines » Christo; contristetur cum perit aliquis Christo; laetetur cum » acquiruntur homines Christo; timeat et sibi ne pereat Christo; » laetetur dum sperat se regnaturum esse cum Christo. »

ET PROTESTATUS EST, ἐμαρτύρησε. Animi pertubatio in apertam declarationem prorumpit. Cf. Gen. 45, 1-3, ubi Joseph se

Digitized by Google

manifestat fratribus. — TRADET ME! Verbum quod apostolis quasi ictus fulminis esse debuit.

V. 22. ASPICIEBANT... unusquisque ceteros obtutu oculorum scrutans. Ex aliis evangeliis novimus singulos atque adeo Judam interrogasse Jesum. Jesus responderat quidem Judae : *Tu dixisti*, at id ceteros non audivisse patet ex sequentibus apud Joannem. Nisi malis Judam interrogasse Jesum post porrectam sibi buccellam, ut habet Harmonia Vict. Cap. (vide p. 322), quod est longe probabilius.

V. 23. ERAT ERGO (graece δὲ, *autem)* RECUMBENS... IN SINU IESU, more orientalium jacens in lectulo *ante* Jesum et ad ejus latus sinistrum, cubito sinistro nixus, ita ut caput haberet fere coram pectore Jesu. Ita ipse Jesus dici poterat recumbere in sinu illius qui retro se a dextris erat. QUEM DILIGEBAT IESUS naturali amicitia speciali. Ita Joannes seipsum nominat (vide *Prolegomena* in nostrum commentarium, p. 7 et 8). In hoc versiculo dicitur : ἀνακείμενος ἐν τῷ κόλπῳ του Ἰησοῦ, quod nota ob comparationem cum v. 25. — Nil vetat supponere idipsum fuisse Christi erga Joannem dilectionis specialem favorem, quod talem locum prope Magistrum tenere potuerit.

V. 24. INNUIT ERGO, quia facilius ceteris clanculum id rogare Dominum Joannes poterat, SIMON PETRUS paulo ante severe admonitus et ideo id a Jesu quaerere non audens, vel certe nimis a Jesu remotus, ET DIXIT EI, nutu forte potius quam verbis, putans Joannem id jam a Jesu didicisse : QUIS EST DE QUO DICIT?

V. 25. ITAQUE CUM RECUBUISSET ILLE SUPRA PECTUS IESU. Graece : Ἐπιπεσὼν δὲ ἐκεῖνος ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Ἰησοῦ, *cum procidisset iste super pectus Jesu.* — Parum se a dextris inclinaverat ita ut caput pectus Jesu contingeret, et ita poterat a Jesu audiri demissa omnino voce loquendo. — Talis familiaritas discipuli in Magistrum mutuam eorum necessitudinem

Digitized by Google

tenerrimam fuisse ostendit, quod etiam Patres luculentis verbis celebrare non omiserunt.

S. Cyrill. Alex. (in h. l.) : « Summis quidem honoribus ornatum se esse et a Servatore nostro Christo dilectum ait, ut » in ipso Domini sinu recumberet, quod in summi amoris trahit » argumentum. »

S. August. (in Jo. 21, 20) : « Quod autem majus dare poterat » Jesus majoris erga eum suae dilectionis indicium, quam ut » homo cum ceteris condiscipulis suis socius tantae salutis, solus » tamen discubuerit super pectus ipsius Salvatoris? »

V. 26. In cena paschali, praeter agnum, panem azymum et herbas amaras, apponebatur mensae patina, vel una omnibus, vel pluribus singulae, in quibus erat offa quaedam spissa nomine חֲרוֹסֶת *(charoseth)*. In hac offa intingebat Pater familias (1) panem vel lactucas et discumbentibus distribuebat. Igitur tali offae intinctam panis buccellam Christus Judae porrexit, et forte statim postea ceteris, ita ut solus Joannes ita designari proditorem perciperet. — Hoc signum prae ceteris elegisse putandus est Jesus, quo magis suo ingrati animi scelere percelleretur proditor : « Modus quoque, ait S. Chrysostomus (in h. l.), » reprehensionem afferebat, neque enim mensam reveritus est, » cum eodem pane vesceretur. »

Discessus Judae

27. ***Et post buccellam, introivit in eum satanas. Et dixit ei Iesus : Quod facis, fac citius.*** **28.** ***Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei.*** **29.** ***Quidam enim putabant, quia***

(1) Sed et pro se quisque panem in charoseth intingebat. Unde intellegitur illud apud Matth. 26, 23 : *qui intingit mecum manum in paropside,* id est, qui mecum mensae prope assidet et in una patina mecum panem intingit. Cf. Marc. 14, 18, 20.

Digitized by Google

loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus : Eme ea, quae opus sunt nobis ad diem festum : aut egenis ut aliquid daret.* 30. *Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo. Erat autem nox.

V. 27. ET POST BUCCELLAM acceptam, INTROIVIT IN EUM SATANAS, non corporali possessione sed efficaci virtute ad facinus conceptum et cum synedrio paratum nunc jam opere consummandum. — S. Luc. (22, 3), dicit *intravisse Satanam in Judam* quando primum adiit synedrium de traditione Domini sui acturus. Nulla inde contradictio; nam uterque impulsus merito Satanae ingressus vocatur. — ET DIXIT EI IESUS : QUOD FACIS, FAC CITIUS. Ultimum hoc erat ante facinus divinae gratiae monitum. Haec simul verba innuunt paratissimam Christi ad patiendum voluntatem.

V. 28. HOC AUTEM NEMO SCIVIT DISCUMBENTIUM. Ergo nec Joannes qui tamen Judam fore proditorem a Jesu intellexerat.

V. 29. Tunc ad Paschae celebrationem populus nocte vigilabat, ita ut qui vellet posset etiam noctu emere. Praeterea festivitas Paschatis non prohibebat ea saltem emere quae erant ad vescendum necessaria (Exod. 12, 16).

V. 30. Secundum ordinem harmoniae evangelicae, Ammonii dictae, Judas, auditis Christi verbis, *Quod facis, fac citius*, Magistrum interpellavit, dicens : *Numquid ego sum, Rabbi?* Et respondente Jesu, *Tu dixisti*, ore sumpsit buccellam quam modo ab eo acceperat, et EXIVIT CONTINUO. Detectum enim se videns a Magistro, et ratus etiam discipulos ulterius non posse latere nefarium suum consilium, nihil jam differendam exsecutionem apud se statuit. Ergo cenaculo egreditur, statim iturus ad Judaeos, et satellites collecturus qui Jesum comprehendant in horto (vide supra, p. 364). — ERAT AUTEM NOX, tempus traditioni perficiendae opportunum.

Digitized by Google

Instans glorificatio Jesu

31. ***Cum ergo exisset, dixit Iesus : Nunc clarificatus est Filius hominis : et Deus clarificatus est in eo.*** **32.** ***Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso : et continuo clarificabit eum.***

V. 31. CUM ERGO EXISSET. Hoc dicitur, non ut sequentis sermonis causa seu occasio censeatur egressus Judae, uti S. Augustinus exponit, sed ut notetur temporis series. — NUNC CLARIFICATUS EST FILIUS HOMINIS. Sententia est proleptica. Sensus : Nunc Filius hominis in eo est ut clarificetur, per opus redemptionis scilicet, cujus exitus sit plena victoria de morte, peccato, diabolo. Hoc opus, per passionem Christi exsequendum, *tunc* censendum est incepisse, per traditionem nempe Domini a Juda patratam. — ET DEUS CLARIFICATUS EST IN EO, in Filio hominis. Cf. Rom. 3, 25. 26; 5, 8. 9. Per Christi enim mortem manifestantur Dei justitia et infinita in homines caritas; hinc Dei Patris per Filium glorificatio. — Toletus ita exponit : *et divinitas clarificabitur* (manifestabitur) *esse in eo.* Minus placet, ob 17, 1. 4. 5, ubi de clarificatione Dei Patris in Filio fere eadem verba recurrunt.

V. 32. SI DEUS CLARIFICATUS EST IN EO, id est, quandoquidem Deus ita per ejus mortem glorificatus est, vicissim ET DEUS CLARIFICABIT EUM IN SEMETIPSO, id est, vel *per semetipsum*, sine ipsius Filii vel creaturae alius cooperatione, et sic habetur parallelismus cum v. 31° — vel *apud semetipsum*, assumendo eum in consortium gloriae caelestis divinitati propriae, et sic est perfectus parallelismus cum Jo. 17, 4. 5. — ET CONTINUO CLARIFICABIT EUM, immediate post passionem. Ii qui tenent Judam adfuisse institutioni SS. Eucharistiae, referunt istud *continuo* ad momentum mortis Christi. Nos autem probabilius existimamus haec ultima verba respicere gloriam quam Pater Filio collaturus

Digitized by Google

erat per stupendum prodigium SS. Eucharistiae, cujus institutionem putamus post haec verba fuisse peractam. Ita Salmeron, Maier, Ebrard apud Olshausen. Ita et Harmonia Vict. Cap., B. Lamy, Barradius etc. (vide supra p. 363-366).

Mutua dilectio commendata

33. ***Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quaeretis me : et sicut dixi Iudaeis : Quo ego vado, vos non potestis venire, et vobis dico modo.*** **34.** ***Mandatum novum do vobis : Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem.*** **35.** ***In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.***

V. 33. Hic incipit sermo ille *cenae*, sublimitate, mysterio et amore plenus quem, una cum corporis et sanguinis sui sacramento, ceu testamentum discipulis dilectis moriturus Magister relinquere voluit.

FILIOLI, τεκνία. Terminus est specialis dilectionis, quo hoc tantum loco Christus legitur discipulos suos compellasse. — ADHUC MODICUM VOBISCUM SUM, unam alteramve horam. Ergo maxima sollicitudine me audite. — QUAERETIS ME : post discessum meum, praesentiam meam in tribulationibus praesertim vestris desiderabitis, at frustra sensibilem illam praesentiam meam quaeretis (statim post ascensionem ita eum quaesierunt, Act. 1, 11). — ET SICUT DIXI IUDAEIS (7, 34). Idipsum Judaeis dixerat : QUO EGO VADO, VOS NON POTESTIS VENIRE, neque in hac vita degentes neque in vita altera; discipulis vero id dicit tantum de vita praesenti : quamdiu in ea, ceu valle lacrimarum, manebunt, visibili Christi praesentia eos privari oportere.

V. 34. MANDATUM NOVUM DO VOBIS. Quomodo novum? Jam enim datum erat Lev. 19, 18; Matth. 19, 19; 22, 37 sq. Respondetur, cum Beelen, novum non esse absolute, sed secundum quod praecipitur dilectio similis dilectioni Christi in suos, qua

Digitized by Google

etiam pro suis mori voluerit. Praecipitur igitur, ut *nova*, dilectio *christiana*. — SICUT DILEXI VOS, simili modo, quamvis non eadem dilectionis mensura : Christi enim dilectio infinita est. — UT ET VOS... repetit in apodosi ipsam protasim, quo magis inculcet. — Similis constructio Jo. 17, 21. — Novitatem mandati alii aliter exponunt. *a)* Cyrill. Alex. : Novum *qualitate*, qua etiam vita pro amicis detur : hoc enim esse diligere proximum *suprà* seipsum. — *b)* Chrysost. : Novum *modo*, id est, sicut dilexit Christus ob nulla proximi praevia merita. — *c)* August. : Novum *effectu*, quia per dilectionem homo penitus innovatur. — At discipuli jam tunc erant innovati. — *d)* Luc. Brug. : Novum, quia id Jesus antea ipsis nondum proposuerat sed, quo magis percelleret, ad ultimum hoc tempus proponendum reservarat. — *e)* Toletus ut Brugensis; praeterea novum, ait qua dilectione se amarent ut christianos.

V. 35. IN HOC COGNOSCENT... Vult ergo Dominus mutuam dilectionem esse discipulorum suorum notam characteristicam. Simulque ita fore praedicit. Et hanc praedictionem amplissime in Ecclesia impletam omnia deinceps saecula testantur. Cf. Act. 4, 32...

Petri praedicta negatio

36. ***Dicit ei Simon Petrus : Domine, quo vadis? Respondit Iesus : Quo ego vado, non potes me modo sequi : sequeris autem postea.*** **37.** ***Dicit ei Petrus : Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam.*** **38.** ***Respondit ei Iesus : Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges.***

V. 36. DICIT EI SIMON PETRUS : DOMINE QUO VADIS? Suus eum in Magistrum amor ita occupat ut ad praeceptum dilectionis non attenderit; unum cogitat, separari se a Magistro debere, quod Jesus v. 33° dixerat. Hinc interrogatio ferventis obsequii. —

Digitized by Google

QUO EGO VADO, NON POTES ME MODO SEQUI, intellege ad caeli gloriam; SEQUERIS AUTEM POSTEA, post mortem tuam. Ambigue loquitur Christus.

V. 37. Petrus, ratus Jesum loqui de profectione sua in locum aliquem periculis obsitum, dicit : QUARE NON POSSUM TE SEQUI MODO? Ne timeas, ad omnia tecum sustinenda sum paratus : ANIMAM MEAM (vitam meam), si opus fuerit, PRO TE PONAM : pro te libenter moriar. — Verba amantis quidem, sed nimis de propriis viribus praesumentis.

V. 38. ANIMAM TUAM PRO ME PONES? Tantum abest ut contra : AMEN, AMEN DICO TIBI : disertissima divinae praescientiae praedictio qua Petri praesumptio retunditur. — NON CANTABIT GALLUS, ac proinde nondum aurora crastinae diei illucescet, DONEC TER ME NEGES. Ex historia passionis novimus statim post triplicem Petri negationem cecinisse gallum. Bis idem praedixit Christus Petro, primum in cena, de quo hic et Luc. 22, 34, secundo in via ad hortum, de quo Matth. 26, 34 et Marc. 14, 30. — Marcus autem, qui erat Petri auditor, verba Domini eorumque adimpletionem paulo accuratius refert : *priusquam gallus vocem* bis *dederit*...; et 14, 68. 72, duplicem galli cantum notat, alterum post negationem primam, alterum post tertiam. Ceteri evangelistae sumunt gallicinia per modum unius, sicut et trinam negationem. Haec completa erat ante completum gallicinium. — Maldonatus et Beelen volunt, Marcum loqui de gallicinio, alio *noctis*, alio *aurorae*; ceteros de hoc solo. Probabilius hoc videtur.

SCHOLION ASCETICUM

A) Eximiam sane christianae humilitatis commendationem exemplo et verbis praebet nobis ipse Dominus in mysterio lotionis pedum, ejusdemque a se data explanatione (v. 1-16).

B) Sed et in humili caritatis exercitio magnam esse hujus vitae beatitatem reconditam, v. 17° Christus pronuntiat.

Digitized by Google

C) Modus quo Christus circa proditorem agit, praeclarum exhibet nobis imitandum exemplum, in ratione qua debeamus peccatores, etiam pessimos, absque ira et famae eorum dispendio, suaviter ad meliorem frugem allicere. Nec tamen animum despondendum esse docemur si tales nos audire renuant, cum ipsi Domino non contigerit Judam a nefario consilio avertere (v. 18-31).

D) Nusquam instantius et efficacius inculcatur mutua christianorum dilectio quam in hoc sermone cenae. Hoc facile perspiciet quisquis voluerit omnia hujus Christi exhortationis adjuncta scrutari : Quis, quibus, quando, quomodo? (v. 34. 35.)

E) Petri demum exemplo docemur, neminem, quantumvis sibi videatur Dei amore fervere, nimium posse in opere salutis propriis niti viribus.

Digitized by Google

CAPUT XIV

—

Argumentum. Ad fidem confidentem suos hortatur Jesus; promittit se eos, cum iterum venerit, secum assumpturum ad Patrem, ad quem se esse viam interroganti Thomae declarat (1-6). — Philippo petenti ut ipsis Patrem ostendat, suam cum Patre consubstantialitatem exponit (7-11). — Majora quam quae ipse fecerit discipulos opera facturos et per Filium orantes a Patre omnia obtenturos (12-14). — Immo pro se discessuro Spiritum sanctum accepturos (15-17). — Sed et ipsum se iis et mandata sua servantibus manifestaturum, in iisque cum Patre mansurum. Non ita futurum mundo (18-24). — Quorum verborum plenam notitiam per Spiritum sanctum accepturos (25. 26). — Pacem suam eis dat, et hortatur ut de discessu suo gaudeant nedum ob eum tristentur (27-31).

Quo vadat Jesus et qua via

1. ***Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite.*** **2.** ***In domo Patris mei mansiones multae sunt : si quominus, dixissem vobis : quia vado parare vobis locum.*** **3.** ***Et si abiero, et praeparavero vobis locum : iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ibi sum ego, et vos sitis.*** **4.** ***Et quo ego vado, scitis, et viam scitis.*** **5.** ***Dicit ei Thomas : Domine, nescimus quo vadis : et quo modo possumus viam scire?*** **6.** ***Dicit ei Iesus : Ego sum via, et veritas, et vita : nemo venit ad Patrem, nisi per me.***

V. 1. NON TURBETUR COR VESTRUM... Tristitia eos turbatos videbat Jesus ob ea quae modo dixerat de proditore, de profectione sua eo quo ipsi non possent venire, de negatione Petri; ideo jam eos consolatur, tollendo praecipuam tristitiae eorum causam. — CREDITIS IN DEUM, ut qui nec falli potest nec vos

Digitized by Google

decipere : ET IN ME CREDITE, quae dixi vobis ut vera accipite. Subaudi : ego enim a Deo missus sum et a meipso non loquor, sed quae audivi a Patre meo Deo haec loquor. — In graeco est bis πιστεύετε, unde Chrysost., Cyrill. Alex., Hilar., exponunt bis *credite.* Vulgata tamen videtur melius mentem Christi assecuta. — Sunt qui ita explicent : Creditis in Deum : et consequenter credite in me qui etiam ipse Deus sum. Ita S. Augustinus. Sed haec expositio non tam bene quadrat consueto modo loquendi Christi. Cf. praesertim 12, 44-50.

V. 2. IN DOMO PATRIS MEI (in caelo) MANSIONES MULTAE SUNT, adeoque locus ibi est non pro me solo sed et pro vobis. ***Primum consolationis motivum.*** — SI QUOMINUS, εἰ δὲ μὴ, *si non ita esset*, DIXISSEM VOBIS : QUIA VADO...

Textus receptus hic non habet ὅτι, *quia.* Unde

Quaeritur 1° utrum sit legendum ὅτι, necne.

R. Legunt ὅτι codices unciales ℵ, A, B, C (prima manu) D, K, L, X, Π et minusculi 20; quattuor codices Italae, Vulgata, versiones coptica, utraque syriaca, jerosolymitana et armena. Item Cyrillus Alex., Theodoretus et Nonnus.

Omittunt codices unciales C correctus, N, Γ, Δ, Λ et 6 alii; minusculi plerique; quattuor codices Italae; versiones gothica et aethiopica; S. Chrysostomus et Origenes.

Multo igitur probabilius est, primitus scriptum fuisse ὅτι, ablatum vero fuisse ob difficultatem explicandi nexum causalem per istam particulam expressum.

Quaeritur 2° de ***nexu*** per ὅτι indicatum.

R. *1ª sententia.* Si non essent in domo Patris mei mansiones multae, *dixissem vobis me iturum ad praeparandum vobis locum*. Et etiamsi sic abirem... non vos in mundo derelinquerem, sed iterum venirem et assumerem vos ad meipsum. Ita inter alios Theophylactus.

Rationes. 1) Obvio sensu *vado parare vobis locum* regimen

Digitized by Google

est verbi *dixissem*. — 2) Ideo intelleguntur loca parari debere quia nondum prostant.

Contra est obvio sensu v. 3 continere enuntiationem non condicionalem sed absolutam.

2ª sententia. Si non essent ibi mansiones plures ***idipsum dixissem vobis.*** Nunc autem sunt tales vobis destinatae : nam vado parare vobis locum. Ita plerique interpretes.

Ratio est, quod contextus non patitur membrum ***vado parare vobis locum*** esse regimen verbi dixissem. Restat ergo ut ὅτι sit particula causalis; quod si ita, ad nexum faciendum aliqua subaudienda sunt, qualia esse ea videntur quae inseruimus (1).

Contra est haec ipsa ellipsis quae duriuscula videtur.

3ª sententia legit : εἶπον ἂν ὑμῖν; (cum puncto interrogationis). Unde sic : ***Si non esset ita, numquid vobis dixissem, quia vado parare vobis locum?*** Sic optime cohaeret contexta oratio, nec dicenda est textui originali adversari, quippe qui interpunctione caret. Haec nostra, cum Beelen.

VADO PARARE VOBIS LOCUM. Christus enim primus omnium caeli gloriam debebat intrare quam omnibus obtinuerat. Erant quidem a tota aeternitate apostolis Christi destinatae mansiones caelestes, sed ante Christi ascensionem nondum erant paratae ad eos recipiendos.

Cyrill. Alex. (in h. l.) : « Invium quippe prorsus erat caelum » hominibus, neque prius unquam caro purum illum ac sanctissimum angelorum locum triverat, sed primus ascensum ad » illud Christus nobis instauravit, modumque eo ascendendi carni » tradidit, primitias veluti quasdam mortuorum et in terra » jacentium seipsum offerens Deo ac Patri, et primus homo » manifestatus iis qui in caelo sunt. »

N. B. Inde nequit clare deduci inaequalitas gloriae Sanctorum.

(1) Ii qui supprimunt ὅτι, nulla ellipsi indigent, sed ut omnino per se stantem habent phrasim : *Vado parare vobis locum.*

Digitized by Google

Sed hoc tantum, fideles Christi discipulos fore ejus caelestis gloriae participes, eamque ipsis a divino magistro praeparari. Aliunde constat habiturum quemque secundum opera sua mercedem debitam.

V. 3. ET SI ABIERO, ET PRAEPARAVERO VOBIS LOCUM, ITERUM VENIO (tempus praesens pro futuro ad omnimodam rei certitudinem testandam), ET ACCIPIAM VOS, assumam vos, AD MEIPSUM, adeoque ad domum Patris, UT *(ita ut*, vel *eo fine ut)* UBI SUM EGO, ubi tunc ero ego, ET VOS SITIS. Itaque separatio non erit perpetua : modo non possunt comitari Magistrum, sed postea ipse veniet ut eos ad gloriam suam assumat, et deinceps semper cum eo erunt. Et sic tollitur praecipua tristitiae ratio. — Estque ***secundum consolationis motivum.***

Quaeritur de quonam ***futuro suo adventu*** Christus hic loquatur.

R. *1a sententia.* De altero adventu visibili in ultimo judicio.

Rationes. 1) In Scriptura N. T., aiunt, non nisi de duplici Christi adventu sermo est, altero in carne passibili, altero in carne gloriosa ad finem mundi. — 2) Discessus Domini erat sensibilis tantum, ergo et reditus qui ei opponitur sensibilis sit oportet. — 3) Non nisi post carnis resurrectionem gloria discipulorum plena erit et integra. — Est fere communis sententia.

Contra est primam allatam rationem non convincere : nam non uno in loco Christus agit de aliquo suo adventu in morte singulorum hominum. v. g. Matth. 24, 42-44. dicit Christus omnibus : *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* Jam non omnibus est vigilandum ob incertum diem *judicii*, sed utique ob incertum diem *mortis*. Qualis uniuscujusque debeat esse sors in die judicii extremi in momento mortis ineluctabili ratione decernitur.

Non videtur probanda haec expositio longius certe quaesita.

2a sententia. De adventu in morte singulorum.

Ratio est quod beatitudo sanctorum statim post mortem eorum

Digitized by Google

incipit, licet ultimum complementum accipiat per corporis resurrectionem.

Esset bonus sensus accommodatus.

3a sententia utrumque adventum praedictum (in morte et ultimo judicio) per modum unius exponit. Ita Lucas Brug. Ita et nos ob dicta supra.

V. 4. ET QUO EGO VADO, SCITIS, ET VIAM SCITIS. Hoc est ***tertium consolationis argumentum.*** Haec Christus dicit, ut praebeat apostolis occasionem se interrogandi, ut a se tantum mysterium doceantur.

V. 5. THOMAS putans se posse ita omnium nomine loqui... « Isti, ait S. August., sciebant, et scire se nesciebant, » cognoscebant quidem Deum Patrem, qui terminus erat ad quem Christus ibat, et ipsum Christum, qui via ad Patrem erat; sed nesciebant talem terminum esse Patrem nec viam ad eum esse Christum. Terminum igitur et viam sciebant materialiter, ignorabant formaliter.

V. 6. EGO SUM VIA... et ideo : NEMO VENIT AD PATREM, id est ad beatam gloriam Patris, NISI PER ME, Cf. 1 Tim. 2, 5. 6; Rom. 5, 2; Act. 4, 12. — ET VERITAS, ET VITA. « His verbis, ait » S. Thomas Aquinas, Christus *se* dicit terminum hujus viae : » ita ut, cum sit via qua homo est, veritas sit et vita qua Deus est. » Ita et S. August. : « Ipse igitur (vadit) ad seipsum per seipsum. » — At contrarius est contextus, qui *terminum* ponit Patrem. — S. Ambros. : « Via, veritas et vita : possibilitas, fides, praemium. » — S. Leo : « Via sanctae conversationis, veritas doctrinae, vita » beatitudinis sempiternae. » — At ipsa fides doctrinae sed et vita justitiae ad viam pertinent. — S. Cyrill. Alex. : « Via, quia per » ipsum imus; veritas, quia verae fidei rectitudo est; vita, quia » non nisi per ipsum consequi vitam possumus. » — S. Chrysost. cum schola sua : « Via, quia per me venietis; veritas, quia sine » dubio haec erunt; vita, quia nec mors prohibere poterit quin ad » me veniatis. » Ita Toletus. Magis quadrat contextui; expositio

Digitized by Google

tamen τῆς ζωῆς duriuscula est. — Maldon., Luc. Brug. etc. : « Ego sum via veritatis et vitae; seu, qua ad veritatem et vitam » itur. » — Beelen : « Ego sum via, quia sum veritas et vita. » Utraque expositio ultimo posita supponit sententiam Christi hebraizare. Praeplacet ultima expositio, juxta quam τὸ ET, hebraice ו, valeat *scilicet* : unde Christus dicens se esse viam, simul explicet qua ratione VIA sit : nempe, quatenus est VERITAS, seu fons et auctor *fidei*, et VITA, seu fons et auctor *vitae supernaturalis gratiae* (sanctificantis et actualis). Quae vita supponit imitationem Christi ex parte nostra et merita mortis Christi ex parte ipsius. Unde Christus via nobis est per doctrinam cui obediamus, per conversationis exemplum quod imitemur, per mortem suam qua meruit nobis gratiam per quam libere susceptam vivamus. Hactenus respondit Dominus alteri parti interrogationis Thomae de *via*.

Filius in Patre videndus

7. ***Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis : et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum.*** **8.** ***Dicit ei Philippus : Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.*** **9.** ***Dicit ei Iesus : Tanto tempore vobiscum sum : et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis : Ostende nobis Patrem?*** **10.** ***Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? Verba, quae ego loquor vobis, a meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera.*** **11.** ***Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est?***

V. 7. Responsum est ad alteram partem interrogationis Thomae : exponit scilicet cur *nesciant quo vadat*, cur *Patrem* quem modo terminum viae dixit, non cognoverint, quia neque *seipsum* cognovissent. — SI enim COGNOVISSETIS ME in utraque natura mea, ET PATREM MEUM UTIQUE COGNOVISSETIS, ut qui

Digitized by Google

mecum *unum* est, identicam mecum habens divinam naturam. — ET AMODO COGNOSCETIS EUM (graece γινώσκετε, *cognoscitis*), ET VIDISTIS EUM, ἑωράκατε, actione antea incohata sed quae adhucdum perseveret. Tota ratio loquendi ex sequentibus sensum certum accipit. Hoc intendit : Cognoscitis me, vidistis me et adhuc me videtis; ergo *eo ipso* Patrem, cum quo ego unum sum, cognoscitis et videtis. Modus loquendi discipulis valde erat ambiguus, ut provocaret eorum interrogationes, quibus ad explicationem, pro responso dandam, attentiores redderentur. — Haec Patris cognitio, quam in Christo habebant, erat solum implicita.

V. 8. DICIT EI PHILIPPUS, nonnullam impatientiam prodens : DOMINE, OSTENDE NOBIS PATREM, ET SUFFICIT NOBIS. Christum locutum ratus de cognitione et visione Patris in corporali specie, qualem certo nunquam eum viderant, petit ut Patrem illum suum, de quo tam saepe et tam magnifice locutus fuerat, tandem aliquando ipsis praesentem et visibilem faciat, ET SUFFICIT NOBIS : tunc amplius nihil rogabimus. Cogitasse puta Philippum visionem aliquam Dei, quali prophetis non semel frui contigisse legerat.

V. 9. ... ET NON COGNOVISTIS ME, quatenus Deus sum Patri meo consubstantialis? Ut hominem, et etiam imperfecte ut Filium et legatum Dei, ut Messiam, eum dudum cognoverant (Matth. 16, 16; Jo. 6, 70); nunc oportet ut ad altiorem ejus cognitionem, ad explicitam et pleniorem cognitionem divinitatis ejus ascendant. — PHILIPPE : ad unum interrogantem dicit; ita in graeco etiam in singulari, καὶ οὐκ ἔγνωκάς με. — QUI VIDET ME, eo ipso VIDET ET PATREM necessario, materialiter saltem : videt enim saltem hominem qui re est unum cum Patre. Hoc verum est de quocumque homine qui videt Christum. Apostoli insuper saltem implicite in Filio videbant Patrem : videbant enim Filium Dei naturalem, quem, si conceptum suum accuratae analysi subjecissent, Patri consubstantialem esse reperissent. —

Digitized by Google

QUOMODO TU DICIS : OSTENDE NOBIS PATREM? Siquidem in me eum nunc coram te habes.

S. Athanasius solet praesentem textum jungere textui palmari Jo. 10, 30, *Ego et Pater unum sumus*, ut dogma consubstantialitatis Filii cum Patre inculcet. Alii etiam Patres hunc textum magno consensu de eo dogmate intellegunt. Egregie S. Chrysost. (in h. l.) : « *Non cognovisti me*. Quaenam haec consequentia? » Multa sane. Quia enim Filius idipsum est quod Pater, manens » tamen Filius, jure in se Patrem ostendit. Deinde hypostases » distinguens, ait : *Qui videt me, videt et Patrem*, ne quis » dicret eumdem esse Patrem et Filium. »

V. 10. Dat rationem asserti. NON CREDITIS (graece οὐ πιστεύεις, *non credis)* QUIA EGO IN PATRE, ET PATER IN ME EST? Per interrogationem instantius affirmat.

In quae praeclare S. Cyrillus Alex. : « In hominibus quidem » magnum est discrimen, cum unusquisque contrahatur quodam- » modo et ad singularitatem se recipiat, nec alius in alio cernatur, » néc alter alteri insit corporaliter, licet communis omnibus » cernatur ratio substantiae. At de Deo secundum naturam » nequaquam ita censueris. Proprie enim ac peculiariter Pater est » Pater, ac non Filius; Filius item, qui ex eo est, Filius, et non » Pater; et Spiritus proprie Spiritus. Sed in unam deitatis natu- » ram contracta et collecta sancta Trinitate, unus Deus nobis est, » nec alterum ab altero in totum sic recedere ullus dixerit, ut » separati sint ab invicem; sed unumquemque esse id quod est ac » nominatur hypostatice, credimus. »

Statim probat Christus suos id quod affirmat credere omnino debere. Nam : VERBA (haec ipsa, *ego in Patre...*) QUAE EGO LOQUOR VOBIS, A MEIPSO NON LOQUOR. Subaudit, ut patet, *sed Pater in me manens ipse ea loquitur*. Unde omnem fidem merentur. — Sed idipsum, Patrem per Filium loqui, probat Christus per sua miracula, quae patet non posse nisi a Deo fieri. Cum ergo ea faciat *propria virtute*, manifesta est conclusio :

Digitized by Google

PATER IN ME MANENS IPSE FACIT OPERA mea. — Pater igitur, in Filio loquendo et operando, se in Filio esse manifestat.

V. 11. NON CREDITIS (graece πιστεύετέ μοι, *credite mihi)* QUIA EGO IN PATRE, ET PATER IN ME EST? Idem instantius repetit. Cf. Jo. 10, 30.

Discipulorum majora opera

12. ***Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet : quia ego ad Patrem vado.*** **13.** ***Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam : ut glorificetur Pater in Filio.*** **14.** ***Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.***

V. 12. ALIOQUIN, si *mihi* non creditis ob verba mea, PROPTER OPERA IPSA CREDITE id quod dico. Christus hoc loco dici discipulis quod olim dixerat Judaeis, Jo. 10, 37. 38. Cf. 5, 19.

Terminata digressione a Thoma et Philippo introducta, pergit Christus apostolos consolari, promittendo ipsis charisma miraculorum ceu ***quartum consolationis motivum.*** Est et associatio idearum cum immediate praecedentibus, ubi de suis miraculis dixit. Hac scilicet virtutis communicatione illustrius etiam praebebit divinitatis suae argumentum. « Neque enim dicit, ait » S. Chrysost., his majora possum facere; sed quod longe mira» bilius, et aliis, inquit, possum facultatem dare majora his » faciendi. » — QUI CREDIT IN ME, non vos soli, sed fidelium omnium collectio (est enim charisma toti Ecclesiae promissum), OPERA prodigiosa QUAE (qualia) EGO FACIO, ET IPSE FACIET; ET MAIORA HORUM (hellenismus est : μείζονα τούτων, *his majora)* FACIET : QUIA EGO AD PATREM VADO : unde vobis ceterisque discipulis meis virtutem thaumaturgam relinquo qua, me absente, meo loco prodigia operemini. — MAIORA, illustriora praecipue quoad effectum eorum. — Quibus etiam verbis vim et efficaciam

Digitized by Google

fidei Christus mire commendat. — Quomodo apostoli fecerint opera *majora* quam Christus, optime evolvit Bossuet *(Médit. sur l'Évang., La Cène,* 1re *partie,* 88e *jour).* Vide Act. 13, 8. 10. 11; 5, 1 sq.; 19, 11. 12; 5, 15. 16. Maximum tandem omnium eorum opus fuit conversio mundi.

V. 13. ET QUODCUMQUE in hoc genere operum, quibus manifestanda sit mea divinitas et meae doctrinae veritas, PETIERITIS PATREM (PATREM non est in graeco, sed subaudiri debet) IN NOMINE MEO, ad nominis mei invocationem (sicut Ecclesia omnia a Patre petit), HOC FACIAM per manus vestras, UT GLORIFICETUR PATER IN FILIO : ideo *ego* faciam, seu Pater per me; non autem Pater per seipsum tantum. « Nullo modo, ait » S. August. (in h. l.), sine Patre hoc Filius facit, quandoquidem » ut in illo Pater glorificetur, propterea facit. Facit ergo Pater in » Filio, ut Filius glorificetur in Patre; et facit Filius in Patre, ut » Pater glorificetur in Filio, quoniam unum sunt Pater et Filius. » — Est ergo in Christo potestas, non solum ut prodigia faciat, sed etiam ut hominibus virtutem instrumentalem miraculorum communicet. Constitutus autem in *gloria* Patris majora faciet prodigia per discipulos, quam per se fecerit dum in carnis mortalis *humilitate* degeret. — Merito advertunt interpretes donum miraculorum eum in finem promitti Ecclesiae, ut glorificetur Pater in Filio. Unde intellegitur mensura et limitatio huic dono assignata.

V. 14. ET SI QUID PETIERITIS ME IN NOMINE MEO, HOC FACIAM. Non solum faciet quae a Patre, sed etiam quae a se fideles postulaverint, IN NOMINE MEO, ait, id est per merita mea, seu nomen meum invocando. Dicit iterum : HOC FACIAM, id est, hoc opus praestabo per manus vestras (1).

(1) In graeco recepto deest ME. Lectio tamen Vulgatae pro se habet auctoritates adeo graves, ut eam Tischendorf in sua octava editione merito adoptaverit. « Omittebatur, ait, eo libentius, cum verbis ἐν τῷ ὀνόματί μου » parum intellectis (hoc pronomen) non satis aptum videretur. » Petere a Filio in nomine Filii non adeo facile intellectu erat.

Digitized by Google

Promissio Spiritus sancti

15. ***Si diligitis me : mandata mea servate.*** **16.** ***Et ego rogabo Patrem, et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum.*** **17.** ***Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum : vos autem cognoscetis eum : quia apud vos manebit, et in vobis erit.***

V. 15. Incipit promissio Spiritus sancti, quod est eis ***quintum consolationis argumentum,*** et quidem omnium praecipuum. Antea condicionem praeviam in ipsis requisitam proponit. — SI DILIGITIS ME, ut per mei vestrum desiderium nunc protestamini, MANDATA MEA SERVATE, opere exsequimini quae ego praecepi vobis. Cf. 15, 10. 14. « Probatio enim dilectionis exhibitio est » operis (Greg. M.). »

V. 16. ET, si ita feceritis, EGO, ut homo, ROGABO PATREM, ET ALIUM pro me PARACLITUM DABIT VOBIS, qui non, sicut ego, post breve tempus a vobis discedat, sed UT MANEAT VOBISCUM IN AETERNUM. Patrizi exponit : *alium praeter me,* ita ut Jesus eis παράκλητος in caelo maneat (Jo. 14, 18). Videtur tamen rectius exponi : *alium pro me discessuro.* Hic quaeruntur tria.

Quaeritur 1° quid sonet vox ***Paraclitus.***

R. Si etymon spectetur (παρακαλέω) παράκλητος est *advocatus.* Sensus autem multiplex : *a) causae defensor.* Ita 1 Jo. 2, 1. Ita et classici et Judaei talmudistae (פְּרַקְלִיטָא). Ita Patrizi et Haneberg hoc loco. — *b) consolator.* Ita Aquila in Job 16, 2; et ex analogia ad παράκλησις, *consolatio,* 2 Cor. 1, 3; Luc. 2, 25; Act. 9, 31. Ita et Beelen (1). — *c) exhortator.* Ita 2 Cor. 5, 20; Tit. 2, 6. — *d) adjutor.* Ita Schanz, Lücke et Wahl in lexico. — Schleusner, in lexico, vult hoc loco sonare *alienae orationis*

(1) Vide *Epistels en evangelien voor zon- en feestdagen.* In vig. Pentec.

Digitized by Google

interpres. Sed exempla allata ab eo nihil probant. Nam מְלִיץ in Job 16, 20 et 33, 23 sonat *advocatum*, causidicum.

Sensus *adjutoris*, utpote generalior, melius exprimit functiones Spiritus sancti apud apostolos; usus tamen loquendi pro παρακαλεῖν et παράκλησις in N. T. magis commendat sensum *consolatoris,* qui communiter ab interpretibus datur. Unde ab eo non recedendum putamus.

Quaeritur 2° quid sibi velit ***in aeternum.***

R. Opponitur ad tempus breve quod Christus cum suis egit, ejusque ab eis discessum. IN AETERNUM igitur idem valet ac ***semper,*** ita ut *nunquam* Spiritus sanctus ab eis discedat. Hinc, si Christus haec dicit apostolis pro ipsis solis, sensus est, Spiritum eos quoad vixerint non relicturum, ita ut apud ipsos in terris Jesu absentis locum teneat. — Si ipsis dicitur pro universa ecclesia docente, tunc sensus locutionis IN AETERNUM est *usque ad finem mundi.* Itaque

Quaeritur 3° utrum Christus hic Spiritum sanctum promittat ***solis apostolis,*** an ***toti ecclesiae docenti*** per apostolos repraesentatæ.

Praenoto : Qui tenent Christum de Ecclesia hic locutum esse inter Patres Joannis commentatores inveni neminem (1), interpretes vero 8 : V. De Buck, Salmeron, a Lapide, a Piconio, Bisping, Fillion, Hengstenberg, Baumgarten-Crusius. Patres quos vidi 7 et interpretes 19 de solis apostolis exponunt; neminem tamen inveni qui expositionem de Ecclesia positive excludat. Neque desunt Patres qui textus de Spiritu sancto citantes eos Ecclesiae applicent. Ita v. g.

Tertullianus (De Praescript., c. 28) : « Age nunc, omnes erra- » verint; deceptus sit apostolus de testimonio reddendo; nullam » respexerit Spiritus sanctus ut *eam in veritatem deduceret*

(1) S. Cyrill. Alex. exponit de fidelibus passim Jo. 16, 7 et Spiritus sancti promissionem, ubi de Jo. 17, 20.

Digitized by Google

» (Jo. 14, 26). » — S. Pacianus (Ad Sempron., Ep. I, n° 3) : « Multos nos Spiritus sanctus edocuit, quem paracletum apostolis » et magistrum Deus misit e caelis. » — S. Irenaeus (Haer., 3, 17, 2. 3) : « Et Dominus pollicitus est mittere se Paracletum, » qui nos aptaret Deo. » — « ... quem ipsum (Spiritum) iterum » dedit Ecclesiae, in omnem terram mittens de caelis Para- » cletum. » — S. Hilarius (In ps. 125, n° 7) : « Sumus nunc » quidem consolati, quia Dominus ait : *Mittet vobis et alium* » *consolatorem*. »

R. 1a sententia. Solis apostolis.

Rationes. 1) Christus totus est in consolandis apostolis Magistri instantem discessum dolentibus. — 2) Hinc alium pro se consolatorem promittit iis unis qui corporali sua praesentia erant mox privandi, id est apostolis suis. — 3) Secus cur non addidisset, ut c. 17, 20 : « et cum iis qui credituri sunt per verbum vestrum in me? » — 4) Promissio est condicionalis, debetque condicio a solis apostolis impleri : *Si diligitis me, mandata mea servate* (v. 15).

2a sententia. Apostolis eorumque successoribus.

Rationes. 1) Promittitur *Spiritus veritatis* qui apostolos *doceat omnem veritatem* (16, 13) : hoc autem ad quid, nisi ut ipsi *doceant omnes gentes.... quaecumque Christus eis mandaverat* (Matth. 28, 20)? Sed eodem vel etiam potiori jure Spiritus sancti doctrina indigebant apostolorum successores. — 2) Christus ipse se verba sua non ad apostolos limitare innuit v. 12°, ubi dicit : *qui credit in me*... Et illo loco pergit agere de donis quae post discessum suum elargietur. — 3) Ex eventu constat die Pentecostis et postea Spiritum sanctum non venisse in solos apostolos.

Respondetur ad argumenta 1ae sententiae. ad 1) Non minus intendit totam ecclesiam suam per Spiritum suum consolari. — ad 2) A tota quippe ecclesia sua corporaliter discessurus erat. — ad 2) Nihil addit quia ii quos tunc coram habebat ecclesiam

Digitized by Google

suam satis repraesentabant. — ad 4) Potuit velle Christus ut ii qui columnae essent Ecclesiae futuri, hoc charisma per practicam Christi dilectionem quodam modo toti Ecclesiae impetrarent.

Conclusio. Probabilior est haec 2ª sententia, pro qua stant Patres antiquissimi, quaeque ita ab eis adhibetur ut appareat eam fuisse in confesso inter fideles; quae praeterea bonis rationibus nititur, et a nemine positive rejicitur. Unde UT MANEAT IN AETERNUM intellege, ut maneat usque ad consummationem saeculorum, seu ad finem mundi.

Nota. Sunt qui ex verbis, *ut maneat vobiscum in aeternum*, deducant apostolos a die Pentecostis fuisse in gratia sanctificante confirmatos. — Sed sufficit ad verificandum textum fuisse promissum Spiritum sanctum ea ratione ut quantum est de se non esset recessurus. Ita et *qui manducat hunc panem*, dicit Christus, *vivet in aeternum* (Jo. 6, 59). Accedit quod, ut diximus, promissio Spiritus sancti respicit totam Ecclesiam. Ergo non exprimit donum apostolis solis personale.

V. 17. SPIRITUM VERITATIS. Genitivus est *substantiae* simul et *causae :* ille qui et in se est substantialis veritas et veritatis infallibilis revelator. — QUEM MUNDUS NON POTEST ACCIPERE, mundus ille perversus, in sensu composito, id est quamdiu talis voluntarie remanet. Mundus ille est regnum Satanae qui est *pater mendacii* (8, 44). — QUIA NON VIDET EUM, NEC SCIT EUM. En ratio : defectus debitae dispositionis. Qualis? *Visionis et notitiae* Spiritus sancti, quippe quae visio intellectualis est, et supernaturalis esse supponitur, uti et notitia. Idem fere S. Paulus, 1 Cor. 2, 14 : *Animalis homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei.* — Visio et notitia Spiritus sancti est per lumen fidei quo mundus caret. — Cf. etiam Sap. 6, 14 : *Praeoccupat* (Sapientia) *qui se concupiscunt, ut eis se prior ostendat.* Ad quod S. Thomas (in h. l.) : « Dona spiritualia non accipiuntur » nisi desiderata, nec desiderantur nisi aliqualiter cognita. » — Toletus : « Nec videt oculis corporeis, nec mente cognoscit. »

Digitized by Google

Quae expositio etiam nobis placet, quia est simplex, et confirmatur ex sequentibus, ubi non dicitur *vos videtis*, sed tantum *cognoscitis*, γινώσκετε.

VOS AUTEM COGNOSCETIS EUM. Graece γινώσκετε. Ita et Syrus : ܝܳܕ݂ܥܺܝܢ ܐܢ̱ܬܽܘܢ, et melius quadrat cum praecedentibus, at minus cum sequentibus. Praeterea graeci codices accentibus instructi passim habent μένει, *manet*, non vero μενεῖ, *manebit*; pauci insuper habent ἐστιν pro ἔσται. Igitur probabilius Christus dixerit : *vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manet et in vobis erit*. Tunc sensus : Vos, secus ac mundus, nostis Spiritum sanctum, quia apud vos manet per gratiam sanctificantem et in vobis erit per gratiam ampliorem et specialem virtutem, quam in vos die Pentecostis illapsus in intimo animo vestro exseret. — Si praefertur μενεῖ, tunc forte ὅτι sumendum erit sensu *propterea* (ut conjicit Grotius); sed hoc est durum valde. — Tandem si γινώσκετε est praesens pro futuro, ut legit Vulgata, tunc subaudiendum est, *cognoscitis eum nunc*; et sic τὸ COGNOSCETIS refertur ad pleniorem cognitionem quam accipient die Pentecostis. — Lectio *apud vos manebit et in vobis erit* non est tautologica : nam *manebit* indicat Spiritus sancti apud apostolos futuram praesentiam pro praesentia Christi jam discessuri; *in vobis erit* dicit modum istius praesentiae.

Jesus apostolos revisurus

18. ***Non relinquam vos orphanos : veniam ad vos.*** **19.** ***Adhuc modicum : et mundus me iam non videt. Vos autem videtis me : quia ego vivo, et vos vivetis.*** **20.** ***In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.***

V. 18. NON RELINQUAM VOS ORPHANOS, VENIAM AD VOS. **Quaeritur** de quonam ***adventu*** Christus hoc loco dicat.

R. 1ª *sententia.* De adventu in corpore glorioso *post resur-*

Digitized by Google

rectionem per quadraginta dies. Ita Euthymius, Toletus, Lucas Brug., Salmeron, Theophylactus, S. Thomas, Patrizi, Schanz.

Rationes. 1) Orphani debebant esse tantum usque ad Jesu resurrectionem. — 2) Post resurrectionem mundus Jesum non amplius vidit, sed apostoli eum viderunt. — 3) Visuros eos se dicit, QUIA EGO VIVO (v. 19) : revixit autem in resurrectione.

***Contra est** a)* Verba ET VOS VIVETIS (v. 19) nequeunt vitae a Christo in resurrectione recuperandae esse correlativa : apostoli enim tunc non resurgent. — *b)* Paucae apparitiones non efficiunt perennem mansionem de qua v. 23°, et quae videtur ut effectus hujusmodi adventus proponi.

2ª sententia. De adventu in corpore *die judicii.* Ita Maldonatus, et ante eum S. Augustinus et S. Cyrillus, qui tamen praeferre videtur 3ᵃᵐ sententiam.

Rationes. 1) Ita, aiunt, loco parallelo v. 3°. — 2) Versu 20 haec cognitio visionem beatificam insinuat, qua plene cognoscant mysterium SS. Trinitatis.

***Contra est** a)* Versus 19. Tempus judicii ultimi nequit dici *adhuc modicum.* — *b)* Tunc etiam *mundus* eum videbit. — *c)* Versus 23 non videtur caeleste praemium indicare, sed plenam cognitionem aliquam per fidem.

3ª sententia. De adventu Christi *die Pentecostis in et cum Spiritu sancto.* Ita S. Cyrillus, Beelen, Bisping, Maier, Fillion.

Rationes. 1) De eo adventu omnino verificantur dicta v. 19-23, posita consubstantialitate et circuminsessione trium Personarum. — 2) Ratio istius adventus Christi est Christi ipsius vita divina apostolis ceterisque Christi amicis analogice communicanda (v. 19) : haec autem vita per adventum sancti Spiritus ad abundantiam usque data est.

***Contra est** a)* Christus hic *suum* adventum ab adventu Spiritus sancti contradistinguit, ad ampliorem discipulorum consolationem. — *b)* Dixit Paraclitum *alium a se* : ergo non censetur reditum suum cum Spiritus sancti adventu identificare.

Digitized by Google

Conclusio. Inclinamur magis in sententiam primam. Et ad objecta ***respondemus :*** ad *a)* ET VOS VIVETIS significat : et cum resurrexero, vos eritis superstites, nemo enim vestrum mecum morietur. — ab *b)* A versu 21 incipit alia orationis series : ibi agit Christus de interna sui communicatione, non solis apostolis, sed omnibus diligentibus se. — Tunc nihil poterat eos consolari magis quam persuasio se postea Jesum vivum visuros. Cf. Jo. 16, 16.

Secundum hanc expositionem, Christus hunc suum adventum in carne vitae reddita proponit ut ***consolationis motivum sextum.***

V. 19. ADHUC MODICUM, aliquot horarum spatium, ET MUNDUS ille perversus ME IAM NON VIDET (intellege, *videbit)*. Nam post mortem non nisi discipulis meis apparebo. Cf. Act. 10, 41. — VOS AUTEM VIDETIS ME, id est, *videbitis* me post modicum, QUIA EGO VIVO, unde et a morte non tenendus, ET VOS VIVETIS : ita et vos viventes me viventem videre poteritis et in vita hac et in futura. — Dicit *vivo* in praesenti, respectu vitae divinae forte, per quam et vitam humanam resumpturus sit.

V. 20. IN ILLA DIE, tempore illius vitae meae gloriosae (in quo potest et dies Pentecostes tamquam terminus includi), VOS COGNOSCETIS tria mysteria fidei praecipua : QUIA EGO SUM IN PATRE, Filius Dei Patri consubstantialis, — ET VOS IN ME per assumptam a me vestram naturam in incarnatione, — ET EGO IN VOBIS per veram et specialem divinitatis meae in vobis praesentiam, qua Filii Dei adoptivi et divinae naturae consortes efficiamini. Ita Cyrill. Alex., Tolet. — S. Chrysost. : « IN VOBIS, secundum concordiam et auxilium divinitus praestitum. »

Tamen τὸ VOS IN ME alii forte melius exponunt, secundum 15, 1-10 : *vos in me* ut palmites in vite, totum vitalem influxum ex me mutuantes seu, quod idem est, ut membra in capite, capiti adhaerentia et per caput viventia. Haec unio seu mansio est *physica*, fundata in dono physico gratiae sanctificantis. Talis autem unio supponit etiam aliam unionem *moralem* per dilectionem.

Digitized by Google

In praesenti versiculo alii vident comparationem inter immanentiam mutuam Patris et Filii Dei, et immanentiam mutuam Christi et apostolorum; alii nullam ibi comparationem agnoscunt. Prior opinio nititur Jo. 6, 58 et 17, 21-23, estque valde probabilis. Similitudo tamen est tantum analogiae, ut patet, quod concluditur ex tota doctrina consubstantialitatis, ex una parte, et divinae essentiae incommunicabilitatis ad extra, ex altera parte. — Frustra igitur ex hoc versiculo sociniani contra divinitatem Verbi argumentum urgent.

Patris et Filii in justis mansio

21. ***Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo : et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum.*** **22.** ***Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes : Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, et non mundo?*** **23.** ***Respondit Iesus, et dixit ei : Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*** **24.** ***Qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me, Patris.***

V. 21. Ne putent apostoli sibi solis Christi favores reservari, addit Dominus : QUI HABET, audit, cognoscit MANDATA MEA, ET SERVAT EA (audire enim et credere non sufficit), ILLE EST, et non alius, QUI DILIGIT ME opere et veritate. Huic Christus et Deus Pater vicem dilectionis rependent... ET MANIFESTABO EI MEIPSUM, non oculis corporeis, nec cognitione mere speculativa mentis, sed modo intimo, ut explicabit v. 23°. Hoc enim loco non est sermo de apparitionibus Christi viventis in carne post resurrectionem.

V. 22. IUDAS, Thaddaeus, frater Jacobi. QUID FACTUM EST, quid rei accidit, QUOD MANIFESTATURUS ES NOBIS TEIPSUM,

Digitized by Google

ET NON MUNDO?... Redit ad dicta Christi, v. 19. 21. Non intellegit quomodo Messias possit deinceps latere mundo.

V. 23. Responsio Christi ostendit manifestationem, de qua modo locutus est, esse totam internam : adeoque mundo plane imperviam. SI QUIS (quisquis ille sit) DILIGIT ME, ... repetit dicta v. 21° ... ET AD EUM VENIEMUS per divinitatem mihi et Patri communem, ET MANSIONEM APUD EUM FACIEMUS, in anima ejus tamquam hospites in domo amica jugiter commorantes (1). — Idipsum de Spiritu sancto S. Paulus (Rom. 8, 9. 11. 14-16. 26) et Christus (Jo. 14, 17) docent. Adverte quomodo Christus se hic societ Deo Patri : quis nisi Deus talem sibi cum Deo societatem merito vindicare posset?

V. 24. QUI NON DILIGIT ME, SERMONES MEOS NON SERVAT. Ergo dilectio Christi et mandatorum ejus observatio nequeunt separari. Hinc mundus, ut qui Christum non diligit, sermones ejus non servat, sed spernit : unde et Patris sermones spernit. Nam SERMONEM, QUEM AUDISTIS NON EST MEUS, SED... PATRIS. Unde nec Filius nec Pater diligent mundum, nec se ei manifestabunt. — Et sane qui Christum non diligit primum omnium mandatorum violat.

Patrizi totum sermonis praesentis Christi ambitum ita complectitur : « Ei se manifestabit qui a Patre et ab ipso diligetur. Is a Patre et ab ipso diligetur qui ipsum diliget. Is ipsum diligit qui ipsius praecepta observat. »

Omnia docturus Spiritus sanctus

25. ***Haec locutus sum vobis apud vos manens.*** **26.** ***Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis.***

(1) Sublimia valde de hoc loco habet Bossuet, op. cit., *La Cène*, 1re *partie*, 93e *jour*.

Digitized by Google

V. 25. HAEC LOCUTUS SUM VOBIS APUD VOS MANENS in carne mortali, vobis adhuc obscura et incompleta (16, 12) dicens.

V. 26. PARACLITUS AUTEM SPIRITUS SANCTUS, idem de quo supra dixit et quem nunc vocat proprio nomine. In quod S. Thomas (in h. l.) : « Spiritus est quia movet corda ad obe» diendum Deo, sanctus quia consecrat nos Deo. » — QUEM MITTET PATER IN NOMINE MEO. Hic distincta apparet mentio trium Personarum SS. Trinitatis. Notandum in hoc sermone Christum, quoties de sancto Spiritu loquitur, toties se et Patrem commemorare. MITTET, non motu locali, ut patet. Essentiale est notioni missionis : 1) *terminus a quo*, qui hic est Deus Pater, — 2) *persona* (vel res) *missa*, qui est Spiritus sanctus adeoque necessario persona a Patre distincta (nemo enim seipsum mittere concipitur), — 3) *terminus ad quem*, qui sunt animi apostolorum quibus novo modo se praesentem faciat, — 4) *habitudo* inter personam missam et mittentem, quae in mittente supponit aliquam dignitatem, in missa aliquam subordinationem saltem analogicam. Talis autem subordinatio in divinis Personis nequit excogitari nisi relatio originis, vi cujus Spiritus sanctus a Patre procedat. — Nota terminum *ad quem* hujus missionis esse operationem divinitatis ad extra, toti Trinitati communem, nec nisi per appropriationem soli Spiritui sancto tributam. — IN NOMINE MEO, id est, me postulante, 14, 16. — ILLE VOS DOCEBIT OMNIA, intellege quae ordinem supernaturalem spectant, ET SUGGERET, in memoriam revocabit, ὑπομνήσει, VOBIS OMNIA QUAECUMQUE DIXERO VOBIS. Graece ἃ εἶπον, *quae dixi*, et in specie quae modo dixi. Christus hic, uti versu 16, respicere censendus est universam ecclesiam docentem. — Jesus igitur (ut humano modo loquamur) intendebat tunc sermonem claudere; cum autem perspiceret discipulos adhuc multa non bene intellexisse, ideoque haesitare, ad pleniorem declarationem eos ad Spiritus sancti internam doctrinam remittit.

Digitized by Google

Pax data discipulis

27. ***Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.*** **28.** ***Audistis quia ego dixi vobis : Vado, et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem : quia Pater maior me est.*** **29.** ***Et nunc dixi vobis prius quam fiat : ut cum factum fuerit, credatis.*** **30.** ***Iam non multa loquar vobiscum : venit enim princeps mundi huius, et in me non habet quidquam.*** **31.** ***Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.***

V. 27. Suis jam abiturus valedicit. PACEM RELINQUO VOBIS, PACEM MEAM DO VOBIS. Haec formula salutandi invicem et valedicendi Judaeis et ceteris Semitis usitata est. Nos *salutem* amicis apprecamur, Semitae *pacem*. Hinc fere sensus Christi : « Valete, omnia prospera vobis apprecor. » — NON QUOMODO MUNDUS DAT, EGO DO VOBIS. Significat Christus deprecationem hanc suam non esse inanem formulam, ut inter mundanos, sed dono divino vere efficacem : *pacem* MEAM DO *vobis;* neque se, ut mundum, bona terrena sed aeterna suis apprecari. — Quibus auditis rursus apostoli tristitia opprimuntur : ideo consolationis argumentum Christus repetit : NON TURBETUR COR VESTRUM.

V. 28. AUDISTIS enim ... VADO equidem, sed post modicum VENIO AD VOS. Intellegit, post triduum. Vide ad v. 18. — Immo nedum desolentur, ex amore in Magistrum gaudere potius deberent. SI DILIGERETIS ME, dilectione perfecta, quae meum magis bonum quam vestrum respiciat, GAUDERETIS UTIQUE QUIA VADO AD PATREM : hoc enim mihi bonum, QUIA PATER Deus MAIOR ME homine EST, summa fruens felicitate et gloria, cujus humanitas mea futura est particeps statim post mortem meam. — Haec expositio videtur contextui accommodata. — Aliae praeterea fuere propositae. Ita, Patrem dici Filio majorem

Digitized by Google

etiam ratione divinae naturae Filii, quia Pater Filii origo est (Athan., Orat. 2 c. arian.; Basil., lib. 4 c. Eunom.; Naz., Orat. 4 c. arian.; Chrysost., Hom. 74; Hilar., Trin., 9). Sed hic sensus, quamvis utcumque defendi in se possit, non congruit loco nostro, ubi Christi discessus ad Patrem ideo dicitur ei optandus *quia Pater ipso major est.* — Praeterea Chrysostomus exposuit : « quia Pater major me est *in vestra opinione.* » Minus recte, quia ratiocinium Christi realitatem supponit non subjectivam solum sed objectivam. — Alii : Pater major me est, adeoque efficacius quam ego poterit vos defendere. At quid hoc ad *dilectionem* Christi, de qua hic : *Si diligeretis me?*

Ariani in hoc textu praecipuum robur suae haereseos constituebant. Sed frustra, cum in Christo duplex sit natura. — Nos igitur cum Ecclesia in symbolo athanasiano : *aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem*. Lege S. August., in h. l.

V. 29. ET NUNC DIXI VOBIS PRIUSQUAM FIAT, UT CUM FACTUM FUERIT CREDATIS : ut cum eventus praedicta a me vera esse probaverit, credatis omnia quae de me, de Patre meo, de Spiritu sancto etc., vobis revelavi.

V. 30. Jam finiendum erat colloquium : VENIT ENIM (ἔρχεται, *instat)* PRINCEPS MUNDI HUIUS in me impetum faciens cum asseclis suis. Satanam intellegit, qui Judam, Judaeos aliosque ad necem Christi movet. — ET IN ME (ἐν ἐμοὶ) NON HABET QUIDQUAM. Id est, ego, utpote a peccato immunis, nullo jure sub istius principis potestate sum. Unde non ita me invadit quasi rex subditum suum;

V. 31. SED ei jam me trado, UT COGNOSCAT MUNDUS universus QUIA DILIGO PATREM et, ut hanc probem dilectionem, SICUT MANDATUM DEDIT MIHI PATER, SIC FACIO, ei obediendo usque ad mortem. — SURGITE, EAMUS HINC. Eos tunc surrexisse a mensa et ex cenaculo abiisse, dubitari vix potest. Sunt qui putent, statim post haec verba Christum cum discipulis

Digitized by Google

domo egressum esse versus hortum olivarum et reliquum sermonem inter eundum absolvisse (Patrizi); cui opinioni favet 16, 32 : ea enim quae Christus ibi dicit, narrantur a Synopticis ut dicta inter eundum ad hortum. Vide praeterea commentarium nostrum ad 15, 1 et 17, 1. Mirum tamen foret quod evangelista eos abiisse non diceret. — Alii conjiciunt reliquisse quidem eos loca sua et paululum processisse; sed, ut fit quando Pater amantissimus abiturus est, eos sive ad januam cenaculi sive in atrio domus aliquot tempus substitisse et sic Magistri verba excepisse. Decem temporis momentis potuit Christus reliqua absolvere. — Utraque sententia probabilis est; prior placet magis.

Digitized by Google

CAPUT XV

Argumentum. Vitis et palmites : necessitas unionis cum Christo (1-11). — Mandat Jesus suis mutuam et generosam dilectionem ad normam dilectionis suae (12-17). — Roborat suos contra odium mundi, necessarium quidem sed minime excusandum (18-25). — Iterum eis promittit Spiritum sanctum, in quo et cum quo Christo perhibeant testimonium (26. 27).

Vitis et palmites

1. *Ego sum vitis vera : et Pater meus agricola est.* **2.** *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum : et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* **3.** *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* **4.** *Manete in me : et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite : sic nec vos, nisi in me manseritis.* **5.** *Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere.* **6.** *Si quis in me non manserit : mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet.* **7.** *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint : quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis.* **8.** *In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli.* **9.** *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea.* **10.** *Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in eius dilectione.* **11.** *Haec locutus sum vobis : ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur.*

Digitized by Google

Quaerunt interpretes, qua occasione coeperit Christus loqui de vite et de palmitibus. Ii qui ponunt alteram sermonis Christi partem in via fuisse pronuntiatam, tenent occasionem haec dicendi desumpsisse Christum ex vineis quas obviam habuit egrediendo e civitate. De quibus Fl. Joseph (Ant., 15, 11, 3 et Bell. jud., 5, 5, 4).

Neque etiam praetereundum nobis est, in veteri testamento eamdem allegoriam non semel adhiberi, et Messiam sub vitis imagine praenuntiari. Vide Eccli. 24, 23 : *Ego quasi vitis fructificavi...* Ps. 79, 9. 15; Is. 5, 1-7; Ezech. 15, 2-6. Quando ergo dixit Jesus, *Ego sum vitis vera*, ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή, ad illam procul dubio vitem alludebat, sub cujus figura Messias olim praedictus fuerat.

V. 1. EGO SUM VITIS VERA. « Dominus in hoc sermone, ait S. Thomas, intendebat animos discipulorum confortare contra unum quod imminebat in praesenti, quod erat passio ejus; et aliud quod timebatur futurum, scilicet tribulatio eis superventura. » Primum supra audivimus, nunc ad alterum accedit, monendo eos ut post mortem suam ipsi arcte inhaerere pergant neve a mundi insectationibus timeant. — Quomodo sibi sit inhaerendum, per allegoriam proponit vitis et palmitum. Se dicit VITEM, per similitudinem, VERAM, ut in se verificans sensu altiori ac proinde veriori quidquid est in vite quoad palmites ejus. Cf. Jo. 6, 32; 1, 9. Ita et Ecclesia : « Ipse enim verus est agnus. » Est autem vitis secundum humanitatem per quam fideles (palmites) sibi unitos habet; sed secundum divinitatem suam habet haec vitis vim ut in palmites vitam aeternam influat. — Subauditur : et homines mihi conjuncti sunt palmites. — ET PATER MEUS AGRICOLA EST, curam habens, non *vitis* illius quae cultura nulla eget; sed ita loquitur Christus quia opera divinitatis solet Patri adscribere (1).

(1) Cf. S. August., in Breviario, lectiones 3i nocturni de communi martyrum tempore paschali.

Digitized by Google

« Ex hisce duabus sententiis Arius contra veritatem catholicam argumentabatur, probare contendens Filium alterius esse substantiae inferioris Patre; dicebat enim : Vitis et agricola non sunt ejusdem substantiae; ergo nec Filius et Pater : ille enim viti, hic agricolae confertur (Tol.). » Sed Patres argumentum retorquebant ita : Vitis et palmites sunt ejusdem substantiae; ergo et Christus et apostoli sunt ejusdem substantiae, quod ariani non admittebant : nam substantiam Verbi habebant ut humana substantia excelsiorem. Veritas est, parabolam non esse inductam ad significandum qualis sit Filii et Patris substantia, sed quales sint relationes fidelium ad Filium et ad Patrem.

V. 2. OMNEM PALMITEM IN ME exsistentem et NON FERENTEM FRUCTUM bonorum operum, TOLLET EUM ut inutilem et viti noxium : tales sunt qui credentes in Christum opera fidei suae non conformant. — ET OMNEM, QUI FERT FRUCTUM, PURGABIT EUM, exuberantes surculos resecando, UT FRUCTUM PLUS AFFERAT. — Haec verba generalia sunt et ad omnes fideles spectant, dicta tamen peculiari intentione propter Judam quem *agricola sustulerat*, ceterosque discipulos quos *purgaverat*. — In genere Deus palmites frugiferos purgat quando a justis resecat quidquid ipsis potest esse impedimento quominus uberiores fructus salutis ferant.

V. 3. IAM VOS MUNDI ESTIS (καθαροί sicut supra dixit καθαίρει), palmites ita purgati, PROPTER SERMONEM, QUEM modo LOCUTUS SUM VOBIS, quo resecta est vestra ignorantia (14, 6-11), praesumptio (13, 38), importuna tristitia (14, 1. 3. 27. 28), amor proprius (14, 8), etc. — Sunt qui SERMONEM hunc Christi extendant ad omnem Christi doctrinam quam apostoli a triennio audierant. Sed hoc minus quadrat contextui.

S. Augustinus (in h. l.) *sermonem* illum mundantem dicit intellegendum esse « verbum fidei » eis praedicatum quibus confertur baptismus. Sed haec expositio est et longius quaesita et a contextu aliena.

Digitized by Google

V. 4. MANETE IN ME deinceps, ut hactenus, ET EGO manebo IN VOBIS. Ergo unio mutua sit oportet. Si quis Christo adhaeret per fidem et dilectionem (v. 7. 9. 10), etiam Christus in eo manebit, seu ei se conjunget per dilectionem et perennis gratiae infusionem.

Ad haec S. Augustinus : « *Manete*, inquit, *in me*, *et ego in* » *vobis*. Non eo modo illi in ipso, sicut ipse in illis. Utrumque » autem prodest, non ipsi, sed illis. Ita quippe in vite sunt » palmites, ut viti non conferant, sed inde accipiant unde vivant; » ita vero vitis est in palmitibus, ut vitale alimentum submini- » stret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc, et manentem in se » habere Christum et manere in Christo, discipulis prodest » utrumque, non Christo. Nam praeciso palmite potest de viva » radice alius pullulare; qui autem praecisus est, sine radice non » potest vivere. »

Idipsum jam Christus, asserens omnimodam necessitatem in se manendi : SICUT PALMES... SIC NEC VOS, nec quivis alius... Ergo ad qualemcumque fructum vitae aeternae condicio necessaria est adhaesio Christo per fidem et dilectionem. Primum est motivum inhaerendi Christo.

V. 5. E contrario : EGO SUM VITIS, VOS, omnesque fideles. PALMITES : QUI MANET ita IN ME, ET EGO IN EO, HIC, et non alius, FERT FRUCTUM MULTUM, instillante me in animam ejus succos uberes et vitales gratiae : QUIA SINE ME NIHIL quod fructiferum sit in salutem POTESTIS FACERE. Hinc (quod semper Patres valide pelagianis ex hoc textu opposuerunt) ad singulos actus salutares omnino requiritur influxus supernaturalis gratiae Christi. Quod autem praeter gratiae habitualis influxum, animae jugiter praesentem, requiratur insuper gratiae actualis auxilium transiens ad actum salutarem eliciendum, eodem nostro textu revelatur; hoc tamen non nisi Patrum traditionali expositione certum opinamur. — Ex alia parte, hoc textu minime probatur omnia impiorum opera esse peccata : possunt enim esse natura-

Digitized by Google

liter bona et simul pro vita aeterna sterilia. Neque ab opere salutari removeri liberum arbitrium : hujus enim est motui gratiae in anima exsistenti vel obsequi vel se subtrahere, et quando ei obsequitur, ipsum illud obsequium est ex gratia et cum gratia.

V. 6. Declarat qualis sit sors palmitis infructuosi : SI QUIS IN ME ita NON MANSERIT, MITTETUR FORAS SICUT PALMES confractus, a vite avulsus, ET ARESCET, omni supernaturali vita privabitur, ET COLLIGENT EUM, ET IN IGNEM MITTENT, ET ARDET. Unde insinuatur impios a Christo voluntarie avulsos et ipsos fore inferni ignibus deputandos. — Notanda sunt in graeco verborum tempora : ἐβλήθη ἔξω... ἐξηράνθη... συνάγουσιν... βάλλουσι... καίεται : duo prima verba in aoristo, tria ultima in praesenti ponuntur.

V. 7. Contra, felix est condicio palmitis in Christo frugiferi, unde alterum motivum ei adhaerendi : SI MANSERITIS IN ME per fidem, ET VERBA MEA IN VOBIS MANSERINT per caritatem opera conformantem fidei, QUODCUMQUE VOLUERITIS PETETIS a Deo, ET FIET VOBIS. Cf. commentarium hujus (1 Jo. 5, 14) : *Quodcumque petierimus secundum voluntatum eius, audit nos.* Ita sane Christus loquitur, quia fructus vitae supernaturalis per orationem impetrandi sunt.

V. 8. Tertium motivum palmitibus ut Christo adhaerentes fructificent. IN HOC CLARIFICATUS EST PATER MEUS, UT FRUCTUM PLURIMUM AFFERATIS. Ergo bona opera justorum gloriam Deo procurant. — ET ita EFFICIAMINI MEI (ἐμοὶ) DISCIPULI in gradu perfectiori, in discipulatu meo semper proficientes. Videtur Christus hisce verbis maxime intendere fructum propagationis evangelii ab apostolis producendum, in quo opere se ut Christi discipulos ejusque vicarios palam exhibituri sint.

V. 9. Quartum motivum manendi in Christo : amor ex parte Christi ob quem amoris vicem ei rependere oporteat. SICUT DILEXIT ME PATER, sic ET EGO DILEXI VOS, non eodem gradu,

Digitized by Google

ut patet, sed ob similem rationem, ut versu 10. — MANETE IN DILECTIONE MEA : curate ut pergam semper vos diligere.

V. 10. SI PRAECEPTA MEA SERVAVERITIS, MANEBITIS IN DILECTIONE MEA, id est, ea condicione pergam vos diligere et ita vos vicissim me diligere probabitis, SICUT ET EGO PATRIS MEI PRAECEPTA SERVAVI (opere exsecutus sum), et ideo MANEO IN EIUS DILECTIONE, qua me hominem complectitur. Cf. comm. ad 10, 17. 18.

V. 11. HAEC LOCUTUS SUM VOBIS, UT GAUDIUM MEUM (ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ) IN VOBIS SIT. Quodnam hoc gaudium Christi? Respondit S. Augustinus : « quod dignatur habere in nobis, » id est, ut videndo vos manentes in me, de hac vestra frugifera perseverantia gaudere possim, ET simul, ex efficaci influxu amoris mei in VOS, GAUDIUM VESTRUM IMPLEATUR. Cf. Phil. 2, 2 et 1 Thess. 2, 19. Ita nos cum Tol., Luc. Brug., Salmerone. — S. Thomas vero et Beelen... : GAUDIUM MEUM : *quo gaudeo de divinitate mea*. Minus hoc placet.

Mutuae dilectionis norma

12. ***Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.*** **13.** ***Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*** **14.** ***Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis.*** **15.** ***Iam non dicam vos servos : quia servus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos : quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.*** **16.** ***Non vos me elegistis : sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis : et fructus vester maneat : ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.*** **17.** ***Haec mando vobis, ut diligatis invicem.***

V. 12. HOC EST PRAECEPTUM MEUM UT DILIGATIS INVICEM. Modo Christus ut dilectionis suae condicionem posuerat observa-

Digitized by Google

tionem mandatorum suorum. Nunc unum ex his mandatis prae ceteris tamquam *suum* (ἡ ἐντολὴ ἡ ἐμὴ) discipulis inculcat... SICUT DILEXI VOS, id est caritate omnium maxima qua quis etiam vitam pro amicis profundat. Ita ipse Christus :

V. 13. MAIOREM HAC DILECTIONEM NEMO HABET, qualis est mea in VOS, UT ANIMAM SUAM PONAT QUIS, mortem subeat PRO AMICIS SUIS. — At nonne *major* ea est dilectio qua quis animam suam ponat pro *inimicis* suis, juxta Rom. 5, 8? Respondeo : Comparatio Christi non cadit nisi in *quantitatem aestimationis*. Major dilectio ea dicitur quae plus dat ei quem diligit. — Ceterum, ut recte advertit S. Thomas, peccatores pro quibus Christus mortuus est vere erant ei amici, non quidem quasi *amantes* sed quasi *amati*.

V. 14. VOS AMICI MEI ESTIS, SI FECERITIS QUAE (ὅσα, *quaecumque)* EGO PRAECIPIO VOBIS, et in specie mandatum meum de fraterna dilectione.

V. 15. IAM NON DICAM (λέγω, *dico)* VOS SERVOS, ut antea quandoque feci (Jo. 12, 26; 13, 16), QUIA SERVUS NESCIT QUID FACIAT DOMINUS EIUS, dominus non solet secreta sua etc. servis suis concredere. VOS AUTEM DIXI AMICOS, QUIA sicut amicos carissimos vos tractavi, nam OMNIA QUAECUMQUE AUDIVI A PATRE MEO, scientiam divinam ab ipso cum divina natura habens, NOTA FECI VOBIS, capacitatis vestrae mensuram implendo. Cf. 16, 12. — S. August. istud *feci* exponit *faciam*, in vita scilicet beata futura; vel, *nota* nunc *feci* in spe.

V. 16. « Hic, ait S. Thomas, ponit amicitiae causam. » Quasi diceret : Tanta mea in vos amicitia tota est gratuita ex parte mea, et ideo tanto majoris facienda. Nam NON VOS ME ELEGISTIS in amicum vestrum, SED EGO ELEGI VOS in amicos meos, ET SIC electos et a me justificatos POSUI, constitui VOS UT EATIS (ἵνα ὑμεῖς ὑπάγητε) in mundum universum (Marc. 16, 15), ET FRUCTUM AFFERATIS salutis in vobis et in omnibus gentibus, ET FRUCTUS ille VESTER MANEAT in vitam aeternam. — Et

Digitized by Google

UT QUODCUMQUE PETIERITIS ad illum fructum pertinens... DET VOBIS (v. 7).

Lege in h. l. S. Augustinum egregie disserentem de gratuitate primae vocationis.

V. 17. HAEC omnia, quae modo dixi, MANDO VOBIS, inculco vobis de meo vestri amore, UT (eo fine ut) DILIGATIS INVICEM. — Aliter Patrizi : « Hoc est quod mando vobis, diligere invicem. » Etiam probabilis expositio. — Versiculus epiphonema continet.

Odium mundi in discipulos

18. ***Si mundus vos odit : scitote quia me priorem vobis odio habuit.*** **19.** ***Si de mundo fuissetis : mundus quod suum erat diligeret : quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.*** **20.** ***Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis : Non est servus maior domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur : si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt.*** **21.** ***Sed haec omnia facient vobis propter nomen meum : quia nesciunt eum, qui misit me.*** **22.** ***Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*** **23.** ***Qui me odit : et Patrem meum odit.*** **24.** ***Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent : nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum.*** **25.** ***Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est : Quia odio habuerunt me gratis.***

V. 18. Mutuae dilectioni discipulis commendatae opponitur mundi in eos odium, contra quod bonus Magister jam eos roborat, ad quod, ait S. Thomas : « primo rationes ex quibus eos consolatur proponit, secundo ipsas rationes exponit, tertio excusationes persequentium excludit. Ponit autem duas rationes ad eorum consolationem, quarum una sumitur ex exemplo (sui), secunda ex causa (persecutionum). » — SI MUNDUS ille nequam

Digitized by Google

VOS ODIT, ut facit, SCITOTE ad consolationem vestram, QUIA ME PRIOREM VOBIS ODIO HABUIT.

V. 19. Patet. Eligere de mundo idem est ac vocare ad fidem et justificare.

V. 20. Evolvit dictum versu 18. MEMENTOTE, ad vestram consolationem, SERMONIS MEI QUEM DIXI VOBIS pluries (Jo. 13, 16; Matth. 10, 24; Luc. 6, 40) : SI ME PERSECUTI SUNT, prout fecerunt, ET VOS PERSEQUENTUR; SI SERMONEM MEUM SERVAVERUNT pauci aliqui, ET VESTRUM SERVABUNT. Eadem quippe erit sors magistri et discipulorum. — Sunt qui exponant ita : Si sermonem meum hostili animo observaverint, ad eum carpendum, similiter et vestrum sermonem observabunt (Grotius, V. De Buck, etc.). Obstat huic interpretationi quod *servare sermonem* certum sensum in hoc Christi sermone habeat ex Jo. 8, 51. 52; 8, 23. 24; 14, 23; 17, 6. — Toletus vero ita : « Si meum sermonem servaverunt, a contrario sensu intellegitur : ut meum non servaverunt, nec vestrum igitur servabunt. » Non displicet haec interpretatio; primae tamen ex propositis jam libentius subscribimus.

V. 21. SED HAEC OMNIA FACIENT VOBIS PROPTER NOMEN MEUM : quia estis mei discipuli. Et ratio cur me in vobis impetant ea est, QUIA culpa sua NESCIUNT EUM QUI MISIT ME : nesciunt eum qui me misit esse Deum ipsum cui omnem suam fidem ac reverentiam et omne obsequium debeant, et sic me ut Messiam suum nolunt recipere.

V. 22 et 23. Clara sunt ex saepe expositis in commentario.

V. 24. SI OPERA NON FECISSEM IN EIS, QUAE NEMO ALIUS FECIT, intellege quoad modum et numerum. Christus miracula fecit quasi innumera, et quidem potestate sibi propria, et non raro explicite in confirmationem divinae suae missionis. Non ita in prodigiis sanctorum veteris testamenti. Cf. Marc. 1, 32-34; 6, 56; Matth. 8, 16.

V. 25. IN LEGE EORUM, Ps. 34, 19 : *Non supergaudeant*

Digitized by Google

mihi qui adversantur mihi inique : qui oderunt me gratis, et annunt oculis, ubi sensus litteralis videtur messianicus esse. Cf. Ps. 34, 18 et 21, 23. — UT ADIMPLEATUR : ideo haec faciant necesse est, ut adimpleatur hoc vaticinium. Vide dicta ad Jo. 12, 38. — GRATIS, id est, sine causa et ratione.

Tota haec Christi doctrina apostolis (Act. 5, 41) et deinceps martyribus, confessoribus omnibusque passim fidelibus, in sibi Ecclesiaeque ab impiis immissa tribulationum procella, ineffabilis consolationis, roboris et gaudii argumentum semper fuit.

Testimonium Spiritus sancti

26. ***Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me :*** **27.** ***Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.***

V. 26. CUM AUTEM VENERIT PARACLITUS... Nexus est : Isti increduli odio habuerunt me gratis. Hoc propheta praedixit, idipsum manifestabit venturus Spiritus sanctus. — VENERIT, ait, libere et sponte e caelo ad vos, non loci sed efficientiae novitate. — PARACLITUS, Spiritus sanctus qui vos consoletur in tantis tribulationibus, QUEM EGO Filius Dei MITTAM VOBIS ut a me procedentem. — A PATRE, a quo una cum divinitate habeo *spirationem activam*, per quam a Patre et a me procedit Spiritus sanctus tamquam ab uno principio. — Recole dicta ad 14, 26 de *missione* in divinis. — SPIRITUM VERITATIS, cujus ideo essentialiter verum est testimonium, QUI A PATRE PROCEDIT, estque proinde Patris Spiritus, cujus porro testimonium est auctoritatis divinae, ILLE TESTIMONIUM PERHIBEBIT DE ME, per miraculum adventus sui, per charismata primaevae ecclesiae communicanda, per prodigia ejus virtute ab apostolis aliisque fidelibus exercenda etc. — DE ME ut de Messia, justo et veraci, Patri consubstantiali.

Digitized by Google

Quaeritur cur non dixerit Christus : *qui a Patre et a me procedit.*

R. Quia Christus hic Spiritum sanctum proponit tamquam qui *pro se Christo* proferat *testimonium* divinae auctoritatis. Christi autem divinitas apud adversarios in quaestione supponebatur : hinc processio Spiritus sancti a Filio nihil auctoritatis divinae poterat apud istos Spiritui sancto conciliare. Processionem tamen a se implicite revelabat Jesus dicendo : Ego mittam. — Hinc evanescit Graecorum schismaticorum argumentum praecipuum quod ex omisso ET A ME, in hoc textu, reponunt. — Lege S. Thom. in h. l.

Secundum doctrinam praesenti textu enuntiatam, explicanda est sensu orthodoxo formula S. Joannis Damasceni etc. : « *Dicimus Spiritum sanctum procedere a Patre per Filium* (ἀπὸ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ), *at vero a Filio* (ἀπὸ τοῦ υἱοῦ) *esse non dicimus.* » Quatenus nimirum per praepositionem ἀπὸ intenditur *principium sine principio* (αἴτιον ἄναρχόν) ; per διά, *principium* habens *ab alio* ut sit principium. — Formula tamen catholica recepta est : *a Patre et a Filio*, seu *a Patre Filioque.*

V. 27. ET VOS, eo Spiritu repleti eoque inspirante, TESTIMONIUM simile PERHIBEBITIS de me, QUIA AB INITIO MECUM ESTIS : unde testimonium vestrum recipi mereatur. Cf. Act. 4, 20; 1 Jo. 1, 1 et Jo. 19, 35, ubi apparent apostoli de Christo testimonium perhibentes.

Digitized by Google

CAPUT XVI

Argumentum. Distinctius enuntiat Jesus quales persecutiones discipulos maneant, et cur nunc tandem eas praedicat (1-4). — Rursus tristatos solatur asserens discessum suum adventus Spiritus sancti esse condicionem (5-7). — Quid S. Spiritus circa mundum sit manifestaturus (8-11). — Quid circa discipulos ipsumque Jesum acturus (12-15). — Obscure aliquid a se de suo discessu dictum elucidat (16-22). — Christi nomine rogandus Pater (23-28). — Ex Christi verbis confirmata fides apostolorum. — Quos tamen futurae in passione sua dispersionis praemonet (29-32). — Tandemque ad plenam in se ob devictum mundum fiduciam animat (33).

Persecutiones tolerandae

1. ***Haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini.*** **2.** ***Absque synagogis facient vos : sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo.*** **3.** ***Et haec facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.*** **4.** ***Sed haec locutus sum vobis : ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis.***

V. 1. Arcte nectitur dictis in fine capitis XV. HAEC LOCUTUS SUM VOBIS, has vobis persecutiones, incredulitatem et odium mundi ejusdemque iniquitatis manifestationem per Spiritus sancti et vestrum testimonium, nunc praedixi, UT NON SCANDALIZEMINI, ne, dum videbitur mundus contra me triumphum agere, in fide vestra haesitetis.

V. 2. ABSQUE SYNAGOGIS FACIENT VOS. Graece ἀποσυναγώγους, *a synagogis extorres*, excommunicatione quadam expulsos. — SED, id est *immo vero* VENIT (ἔρχεται), instat HORA, UT OMNIS QUI INTERFICIT VOS ex legis mosaicae zelo

Digitized by Google

erroneo, ARBITRETUR OBSEQUIUM SE PRAESTARE DEO. Error tamen ille erit culpabilis in causa. Erit enim vincibilis. Talis fuit error Sauli christianos persequentis. Cf. 1 Tim. 1, 13; 1 Cor. 15, 9; Phil. 3, 6, ob quem tamen errorem Paulus se culpae reum fuisse existimabat. — Haec Christus de persecutionibus Judaeorum tantum dicit.

Aliter S. Augustinus (in h. l.) : « *Extra synagogas facient vos:* » sed nolite solitudinem formidare : separati quippe a congrega- » tione eorum, tam multos in nomine meo congregabitis, ut illi » metuentes ne templum quod erat apud eos, et omnia legis vete- » ris sacramenta deserantur, interficiant vos; sic fundentes san- » guinem vestrum, ut Deo se praestare arbitrentur obsequium. » Expositionem hanc suggessit sancto doctori particula SED enuntiationem incohans. Videtur tamen aequo subtilior, et parum adjunctis aptata : vix enim concipitur tantae persecutionis praedictionem potuisse tunc apostolis ut consolationis motivum proponi.

V. 3. ET HAEC FACIENT VOBIS, QUIA NON NOVERUNT PATREM, qua talem, NEQUE ME, qua Filium Dei et Messiam. — Istud *non noverunt* valet *noluerunt nosse*.

V. 4. UT... REMINISCAMINI QUIA EGO DIXI VOBIS et ex hac recordatione robur et consolationem et fiduciam accipiatis, scientes tales persecutiones nihil meae divinitatis persuasioni detrahere debere, cum ipse eas praedixerim.

Venturus Paraclitus abeunte Jesu

5. *Haec autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram : Et nunc vado ad eum, qui misit me; et nemo ex vobis interrogat me. Quo vadis?* 6. *Sed quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* 7. *Sed ego veritatem dico vobis : expedit vobis ut ego vadam : si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos.*

Digitized by Google

V. 5. HAEC AUTEM VOBIS AB INITIO meae vobiscum conversationis NON DIXI, QUIA VOBISCUM ERAM (1), et sic corpore et spiritu vobis praesens scandali pericula a vobis removebam. Subaudi : nunc autem dico, quia a vobis discessurus sum. ET NUNC VADO AD EUM, QUI MISIT ME. His dictis Dominum parumper tacuisse cogita, cum videret discipulos ob persecutionum praedictionem adeo tristitia occupatos ut ad ea quae de discessu suo dicebat non attenderent. Ideo eorum attentionem suscitat dicendo cum tono admirationis : NEMO EX VOBIS INTERROGAT ME, QUO VADIS? Nemo vestrum *nunc* cogitat de interrogando me ulterius circa discessum meum. — Antea interrogaverant (13, 36; 14, 5); nunc nihil dicunt.

V. 6. SED QUIA HAEC, de instantis vobis persecutionis furore, DIXI VOBIS, TRISTITIA IMPLEVIT COR VESTRUM, cum tamen audientes me abire, gaudere potius deberetis.

V. 7. SED tamen EGO VERITATEM DICO VOBIS; ergo credite mihi : nedum discessus meus, ut existimatis, vobis in malum cedat, erit vobis maxime utilis : EXPEDIT VOBIS UT EGO VADAM. Supra jam ostendit discessum suum utilem fore sibi ipsi (14, 28); nunc utilem discipulis probat. — SI ENIM... Ipsius mors, et per eam glorificatio apud Patrem, condicio est necessaria et sufficiens ut Spiritus sanctus ad apostolos veniat. Jam

Quaeritur quare Christi discessus talis condicio fuerit.

R. Non ex natura rei quae in Christo aliquam Spiritus sancti mittendi impotentiam supponeret : misit enim Spiritum qua Deus est, non qua homo. Sed ultima ratio est libera voluntas Dei ita disponentis. Cujus voluntatis possunt assignari plures rationes de congruo : *a)* Quo melius Spiritus sancti divinitas innotesceret : absente enim Filio, opera divina Spiritui deberi patebit. — *b)* Quia

(1) Id non pugnat cum Matth. 10, 17-22, ubi praedixerat discipulis : *Tradent vos in conciliis etc.* Duo enim nunc primum dicit Jesus : *expellendos eos a synagoga*, et *interficiendos sub praetextu honorandi Deum.* Utrumque supponit persecutionem valde pertinacem.

Digitized by Google

Spiritus sancti erat in Ecclesiam loco Christi succedere, ut Christi opus perficeret, ampliora in fideles dona effundendo. — *c)* Forte ex parte apostolorum ratio erat affectus vix non mere sensibilis erga Christi humanitatem ipsis corporaliter praesentem : absente Magistro affectus ille, licet sanctus, perfectior et spiritualis magis evasurus erat.

Quod autem ex his Christi verbis deducunt aliqui, imperfectorum esse Christi humanitatem contemplari, perfectos vero, omissa humanitate, soli Verbo inhaerere debere, falsum est et mysterio incarnationis injuriosum (1).

Arguendus mundus a S. Spiritu

8. ***Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de iustitia, et de iudicio.*** **9.** ***De peccato quidem : quia non crediderunt in me :*** **10.** ***De iustitia vero : quia ad Patrem vado : et iam non videbitis me :*** **11.** ***De iudicio autem : quia princeps huius mundi iam iudicatus est.***

V. 8. ET CUM VENERIT ILLE, ARGUET MUNDUM... ARGUET, ἐλέγξει, *convincet* (ita ut et mundo et ceteris omnibus fiat manifestum) MUNDUM perversum, ut patet ex v. 11, ubi de *principe hujus mundi.* DE PECCATO a mundo perpetrato, peccato incredulitatis in Christum (v. 9), ET DE IUSTITIA, ET DE IUDICIO.

V. 9 et 10. Primum membrum indicat totum contextum sic esse exponendum : De peccato, in eo consistente, quod non crediderunt in me; de justitia, in eo consistente, quod ego ad Patrem vado non amplius visibili modo reversurus ad vos; de judicio, in eo consistente, quod princeps hujus mundi jam judicatus (condemnatus) est. Sed ulterius

(1) Multis de hac opinione disserit S. Teresia, in Vita sua scripta a seipsa, cap. 22, Edit. gall. Bouix, p. 275-291.

Digitized by Google

Quaeritur de qua ***justitia*** Spiritus sanctus convincat mundum.

R. Christus ipse ita explicat v. 10° : QUIA AD PATREM VADO, ET IAM NON VIDEBITIS ME. Nihilominus haec ipsa Christi explicatio non uno sensu accipitur.

1ª sententia. *De justitia hominibus per fidem et gratiam Christi consequenda.* Ita August., Cyrill., Beda, Tolet. etc. Arguet mundum, falsam esse eam quam sibi arrogat justitiam, solamque veram esse quae a Christo ut fonte emanat, et id QUIA AD PATREM VADIT non amplius reversurus, siquidem unica oblatione Patrem placavit et peccatoribus justitiam promeruit.

Ratio praecipua hujus sententiae esse videtur usus loquendi N. T., in quo solet *peccato justitia* opponi. Unde nexum ita S. August. exponit : « De peccato quidem suo, de justitia vero arguitur aliena, sicut arguuntur de lumine tenebrae. »

Contra est *a)* non servari in hac expositione consequentiam contextus (vide supra). — *b)* non satis congrue exponi in hac sententia versum 10, praecipue *et iam non videbitis me.*

2ª sententia. *De justitia et innocentia Christi*, quem mundus persecutus est et ut sceleratum neci tradidit. Hanc justitiam meam manifestabit Spiritus sanctus, quia *ego vado ad Patrem*, ab eo glorificandus, quam gloriam meam et consequenter justitiam sanctis testabitur. — ET IAM NON VIDEBITIS ME in hac carnis meae humilitate. Ita Chrysost., Maldon., Luc. Brug., Beelen.

Ratio est explicatio a Christo data versu 10.

Contra est non liquide exponi τὸ ET IAM NON VIDEBITIS ME. Quid enim hoc ad justificationem Christi? Unde videtur τὸ *vado ad Patrem* non respicere gloriam apud Patrem consequendam, sed tantum discessum Christi ex hoc mundo, ob quem futurus sit invisibilis.

3ª sententia. *De justitia discipulorum.* Ita Patrizi : « De justitia vero, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me et tamen creditis. »

Digitized by Google

Rationes. 1) IUSTITIA haec opponitur PECCATO, de quo versu 9. Hoc autem peccatum est *incredulitas.* Ergo haec justitia erit *fides* in Christum. Non autem fides mundi, ut patet. Ergo fides discipulorum. — 2) Fides autem eo apparet illustrior quo objectum ejus est magis reconditum, secundum Jo. 20, 29, ubi de S. Thoma apostolo; et Heb. 11, 1. — 3) De tali jam fide arguetur mundus, quod eam sibi a discipulis ostensam amplexus non fuerit.

Contra est ellipsim illam, *et tamen creditis,* duriusculam videri neque etiam contextus consequentiam servari.

Conclusio. Tres expositiones habendae sunt ut probabiles; nulla plene satisfacit; secundam tamen praeferendam ducimus.

Quaeritur quale sit hoc ***judicium,*** κρίσις?

R. Est judicium ***condemnationis*** in mundum latae ipso facto quod non crediderit « in nomine unigeniti Filii Dei » (3, 18), et quod « sanctum et justum » interfecerit (Act. 3, 14). Quare autem ita condemnatus esse mundus arguetur? Respondet Jesus.

V. 11. QUIA PRINCEPS HUIUS MUNDI IAM IUDICATUS EST. Principis enim condemnatio certum est pignus condemnationis subditorum ejus. At ubi et quando princeps ille condemnatus fuit? In passione scilicet Christi, in qua hic moriens diabolum ejecit foras (12, 31). — Praeteritum tempus (graece perfectum κέκριται) ponit pro mox futuro. Hanc condemnationem daemonis manifestabit Spiritus sanctus in ruina idololatriae, energumenorum per signum crucis liberatione etc.

Et in genere Spiritus sanctus illam convictionem in mundo exercebit per ministerium apostolorum aliorumque quos sua gratia repleverit.

Filius a S. Spiritu clarificandus

12. ***Adhuc multa habeo vobis dicere : sed non potestis portare modo.*** **13.** ***Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem : non enim loquetur a semetipso : sed quaecum-***

Digitized by Google

que audiet loquetur, et quae ventura sunt annunciabit vobis. 14. Ille me clarificabit : quia de meo accipiet, et annunciabit vobis. 15. Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi : quia de meo accipiet, et annunciabit vobis.

V. 12. Vult Dominus sermonem terminare, licet multa sibi dicenda supersint, quae discipulorum captum excedant. Quaenam autem haec sunt?

Dicit Toletus : 1) Divinitas Spiritus sancti. Hanc Dominus saepe implicite docuerat, sed apostoli forte non intellexerant. — 2) Vera ratio regni messianici. — 3) Abrogatio legis veteris caerimonialis. — 4) Plura spectantia regimen Ecclesiae.

V. 13. CUM AUTEM VENERIT ILLE SPIRITUS VERITATIS, de quo supra (14, 17; 15, 26), DOCEBIT VOS OMNEM VERITATEM, ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, *deducet vos in omnem veritatem*, id est, dabit vobis intellegere et nosse omnem veritatem quam vobis habeo revelandam et nunc portare non potestis. — Ex his Christi verbis merito probatur revelationem christianam fuisse in apostolis completam. Haec enim verba directe apostolos respiciunt; indirecte universam ecclesiam docentem, quam apostoli ibi repraesentant. Ita ut apostolis primum, et postea eorum successoribus, Spiritus sanctus semper sit viam ostensurus *in omnem veritatem*, ac proinde nullo tempore veritatem incompletam eis exhibiturus. Vide 14, 16. 17. — NON ENIM LOQUETUR A SEMETIPSO, SED QUAECUMQUE AUDIET LOQUETUR. Hoc loco Christus exhibet Spiritum sanctum tamquam *legatum suum a se missum* : ideo dicit, NON LOQUETUR A SEMETIPSO, aget nempe sicut legatus dum defert mandata mittentis se. Ita Christus de se etiam loqui solet quatenus est Patris legatus (12, 49. 50). — SED QUAECUMQUE AUDIET LOQUETUR. Intellege : quae audiet *a me*. Debet enim complere in apostolis doctrinam Filii quam tunc portare non poterant. Hic profecto est sensus obvius, qui tenendus est, nisi manifeste ostendatur falsus. —

Digitized by Google

Ad haec verba praeclare disserit S. Augustinus (Tract. 99, nº 6-9) de processione S. Spiritus a Patre et a Filio. Locus prolixior est ut exscribatur, sed omnino legendus.

ET QUAE VENTURA SUNT ANNUNCIABIT VOBIS. Dabit igitur apostolis donum prophetiae, quo revera eos fuisse insignitos patet ex Apocalypsi; 2 Pet. 2, 1; Jud. 17. 18; quodque etiam post eos in Ecclesia perseveravit.

Nota. Ad rectam intellegentiam v. 14ⁱ et 15ⁱ sedulo notandum est, in V. T. praescientiam futurorum perpetuo apparere ut attributum incommunicabile divinitatis. Ita v. g. Is. 41, 22. 23; 44, 7; 45, 11; Dan. 2, 22. 47.

V. 14. ILLE ME CLARIFICABIT, divinitatem meam manifestam faciet, QUIA DE MEO ACCIPIET, ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται : sumet, tamquam ex thesauro, ἐκ τοῦ ἐμοῦ, de plenitudine scientiae meae *notitiam illam rerum futurarum*, et ita a me acceptam ANNUNCIABIT VOBIS. Accipiendo scilicet a me illam futurorum notitiam, manifestabit me illam notitiam habere ut propriam sicque ostendet me divinam habere naturam. Ad haec S. Chrysost. : « Et *quae ventura sunt annunciabit.* Hic maxime ostendit ejus » dignitatem : nam Dei maxime proprium est futura praedicere. »

V. 15. Hactenus ex veteri testamento edocti fuerant discipuli praescientiam futurorum solius Jehovae, seu Dei Summi (Patris), esse propriam; quomodo ergo poterit eam Spiritus sanctus accipere, seu desumere ex scientia *Filii?* Difficultatem praevenit Christus et solvit : OMNIA QUAECUMQUE HABET PATER, MEA SUNT, adeoque etiam futurorum praescientia. PROPTEREA DIXI cum veritate : QUIA DE ***MEO*** ACCIPIET, ET ANNUNCIABIT VOBIS. — Nota emphasim in ter repetito ἀναγγελεῖ ὑμῖν.

Secundum hanc interpretationem solide demonstratur ex hac pericopa *processio Spiritus sancti a Filio.* Spiritus enim sanctus, cum Deus sit, nequit a Filio accipere scientiam futurorum, nisi quatenus ab eo accipit *divinam naturam* quae cum illa scientia divina Filii identificatur. Praeterea, si Filius habet omnia quae

Digitized by Google

Patris sunt (praeter paternitatem, ut patet), sequitur Filium habere cum Patre communem *spirationem activam*, per quam procedit ab eo Spiritus sanctus. Nam haec nullam dicit oppositionem relationis inter Patrem et Filium, quare est de utroque praedicanda. Ergo processio a Filio est hujus pericopae sensus plenissimus, qui in ipsis Christi verbis necessario implicatur.

Jam de **interpretationibus a nostra diversis.**

1° ***Graecorum schismaticorum.*** *A) Quaecumque* ***a Patre*** *audiet, loquetur... quia de meo* ***Patre*** *accipiet.* Si enim voluisset dicere ***a se*** accipere Spiritum, dixisset, ἐξ ἐμοῦ. Igitur ἐκ τοῦ ἐμοῦ subaudiendum dicit πατρός. — *Omnia quae habet Pater mea sunt*, unde scientia et doctrina Patris mea sunt. *Propterea dixi : quia* DE PATRE *meo accipiet doctrinam* MEAM, *et annunciabit vobis*, *sicque accipiens* ***a Patre, me*** *tamen clarificabit.*

Ratio datur, quia 15, 26 dictus est Spiritus sanctus procedere a *Patre;* ergo ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται et poterat et debebat intellegi ἐκ τοῦ ἐμοῦ πατρός. Praeterea, si Spiritus sanctus procederet etiam *a Filio*, id sane hoc loco Christus dixisset : processio enim a Filio fuisset Spiritui sancto summa ratio Filium glorificandi.

Contra est *a)* graecitatem minime pati ut pronomen possessivum τοῦ ἐμοῦ referatur ad nomen in phrasi non expressum. — *b)* agi hic non de ratione quae S. Spiritum movere possit ad Christum glorificandum, sed de gloria divinitatis Christi hominibus manifestanda; ergo non erat commemoranda hic *processio*, qui actus est ad intra, sed doctrinae et praescientiae communicatio, cujus est terminus ad extra. — *c)* Jo. 15, 26 non excludit processionem ***a*** *Filio*, sed ab ea abstrahit, vel potius eam in *missione* satis revelat.

B) Quaecumque audiet ***a Patre,*** *loquetur... quia de iis quae mea sunt accipiet* ***a Patre*** ... Hunc, aiunt, esse Christi sensum manifestat versiculus 15, ubi explicat rationem ob quam potuerit merito dicere Spiritum accepturum de iis quae sua (Filii) essent.

Digitized by Google

Illam autem rationem dat quod *omnia quae* habet PATER, *mea sunt;* unde sic concludunt : cum Spiritus sanctus accipiat, utique a Patre, ea quae Patris sunt, eo ipso accipiet ab eo quae mea sunt. Quo ratiocinio Christus implicite negat a se procedere Spiritum sanctum. Nam si a Filio procederet Spiritus, per se pateret eum accipere a Filio ea quae sunt Filii, et ratio addita versiculo 15 supervacanea foret, immo falsa.

Contra est contextum potius postulare sensum : *quaecumque a me audiet, loquetur, et quae ventura sunt a me* revelata *annunciabit vobis* (vide commentarium). Igitur versiculus 15 exponendus est modo huic sensui congruo, prout in commentario praestitum est.

2° (S. Thom., Tol, etc.) ἐκ τοῦ ἐμοῦ exponunt *de mea divinitate accipiet et de ea annuntiabit vobis.* — Et versu 15 respondet Christus tacitae objectioni : Cum essentia quam accipit Spiritus sanctus sit Patris a quo procedit, cur Filius *suam* dicit? Responsio est : *quia omnia Patris mea sunt,* adeoque ejus virtus spiratrix tertiae Personae, ergo Spiritus etiam a me essentiam divinam accipit.

Contra est *a)* Non de Christi divinitate tantum annuntiaturus erat Spiritus sanctus sed docturus *omnem veritatem.* — *b)* Interpretatio haec versiculi 15 supponit Christum dicere versu 14, Spiritum sanctum accipere ea quae Filii sunt, non a Filio sed a Patre, et sic importune favet Graecis.

3° (Luc. Brug., Maldon. etc.) *Ille me clarificabit* quia non aliam ac meam doctrinam tradet, nam *de mea doctrina accipiet et annuntiabit vobis.* — At ne videatur a missione Spiritus Patrem excludere, addit : *Omnia quae habet Pater mea sunt,* ac proinde Spiritus Patris meus est : *propterea dico vobis vere, quia de mea doctrina accipiet.*

Contra est in hac sententia non congruam dari rationem versiculi 15. Hujus enim obvius sensus foret : Omnia Patris mea sunt; ergo doctrina et scientia Patris meae sunt : atqui Spiritus

Digitized by Google

sanctus accipit a Patre doctrinam Patris (ut ab eo procedens); ergo etiam accipit a Patre doctrinam meam. Unde rursus ex hoc textu flueret difficultas contra processionem a Filio, quae aliquo modo Graecis arma ministraret.

Explicatio quam admittimus hanc difficultatem prorsus removet, et est facilior, utpote ex contextu et parallelismo Scripturae melius fluens.

Modicum et iterum modicum

16. *Modicum, et iam non videbitis me : et iterum modicum, et videbitis me : quia vado ad Patrem.* **17.** *Dixerunt ergo ex discipulis eius ad invicem : Quid est hoc, quod dicit nobis : Modicum, et non videbitis me : et iterum modicum, et videbitis me, et quia vado ad Patrem?* **18.** *Dicebant ergo : Quid est hoc, quod dicit, Modicum? nescimus quid loquitur.* **19.** *Cognovit autem Iesus, quia volebant eum interrogare, et dixit eis : De hoc quaeritis inter vos, quia dixi, Modicum, et non videbitis me : et iterum modicum, et videbitis me.* **20.** *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, et flebitis vos, mundus autem gaudebit : vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* **21.** *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius : cum autem peperit puerum, iam non meminit pressurae propter gaudium : quia natus est homo in mundum.* **22.** *Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum : et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.*

V. 16. MODICUM temporis fluet spatium, ET (id est quo elapso, per hebraismum. Cf. Os. 1, 4; Agg. 2, 7; Is. 10, 25; Jo. 14, 19; Heb. 10, 37) IAM NON VIDEBITIS ME : ET ITERUM post prius modicum, alterum MODICUM temporis fluet spatium, ET hoc elapso VIDEBITIS ME, QUIA VADO AD PATREM, estque haec ratio

utriusque *modici* (1). — Prius MODICUM intendi a Christo spatium aliquot horarum ante mortem suam, satis convenit, at

Quaeritur quale sit ***alterum modicum.***

R. ***1ª sententia.*** (Cyrill., Chrysost., Beelen, Fillion etc.) Alterum *modicum* terminatur in ***adventu Spiritus sancti,*** in quo Spiritu sancto Christum apostoli gaudentes visuri sint.

Rationes. 1) *Quia vado ad Patrem* videbitis me, id est, ideo mittam Spiritum sanctum in quo me videbitis. — 2) Versus 23 vetat exponi de tempore post resurrectionem. Tunc enim discipuli Christum plura interrogarunt, v. g. Act. 1, 6; Jo. 21, 21.

Respondetur ad 1) Christus *vadit ad Patrem* per mortem et resurrectionem et ascensionem, quae tria sumuntur ad modum unius. Ideo τὸ *quia vado ad Patrem* recte explicat utrumque *modicum.* — ad 2) Versus 23 intendit *interrogationes* de discessu Christi et de sensu utriusque *modici* (v. 19 et 30). Tunc haec omnia eventu perspicua ipsis erunt, adeoque non erit cur de iis interrogent.

2ª sententia. (S. August., qui et 4am probat, Maldon. etc.) Prius modicum terminantes in Christi *ascensione*, alterum terminant in ***ultimo judicio*** seu altero Christi adventu.

Rationes. 1) Toto vitae praesentis tempore apostoli tristitiam passi sunt, mundo interim gaudente (v. 20). — 2) Versus 22 : *gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Hoc in beata vita tantum verificatur. — 3) Item non nisi tunc Christum nihil rogabunt, utpote omni scientia praediti et bonis omnibus affluentes.

3ª sententia. (Patrizi) Alterum *modicum* terminat in ***ascensione*** Christi, et sic intellegit : *et iterum modicum et*, illo elapso, *in ascensione mea videbitis me euntem ad Patrem.* Id est, τὸ *quia vado ad Patrem* vertendum esse : ***que je m'en vais à mon Père.*** Ita, ait, omnia plana fiunt et nitida in contextu.

(1) Sunt qui ita intellegant : Modicum erit temporis spatium quo non videbitis me; et iterum modicum erit quo videbitis me. Obstat parallelismus modo indicatus : Os. 1, 4; Agg. 2, 7 etc.

Digitized by Google

Contra est *a) quia vado ad Patrem* alibi proponi ut rationem allatam asserti praecedentis, ut Jo. 14, 28; 16, 10. Ergo non est probabile hic esse regimen τοῦ *videbitis me.* — *b)* parallelismum enuntiationis postulare ut terminetur in *videbitis me*, sicut prius membrum terminatur in *non videbitis me.*

4ª sententia. (S. August., S. Thomas, Tolet., Luc. Brug., Schanz etc.) Alterum *modicum* terminat in Christi ***resurrectione.*** S. August. : « Post paululum enim passus est, et non viderunt eum ; rursus post paululum resurrexit, et viderunt eum. »

Rationes. 1) Tunc revera Christum viderunt. — 2) Tunc gavisi sunt gaudio deinceps non amittendo (v. 20. 22). — 3) *Corporalis* praesentiae subtractioni opponi exspectatur *corporalis* praesentiae restitutio. — 4) Versus 22, ubi *videbo vos* de visione spirituali vix potest exponi : tali enim visione Christus suos videt semper. — 5) Istud *modicum* consolationem discipulis afferet; cogitanda ergo consolatio omnium proxima, quae est in resurrectione. — Hanc admittimus.

V. 17 et 18. Dedita opera aenigmatice locutus fuerat Dominus ut discipulis occasionem praeberet de sensu suorum verborum inquirendi, quo magis eorum attentio erigeretur ad explicationem quam daturus esset. Itaque nec duplex *modicum* capiunt nec nexum inter idipsum et *vado ad Patrem*. Christus tunc sermonem interruperat, et apostoli inter se colloquebantur voce satis demissa ut Christus ea quae dicerent naturali modo audire non posset (cf. v. 19, 30).

V. 19. COGNOVIT AUTEM IESUS omniscientia sua divina QUIA VOLEBANT EUM INTERROGARE de sensu verborum suorum. Ideo eos praevenit dicens : DE HOC QUAERITIS INTER VOS. Rem sibi innotescere manifestat... Sequitur explicatio, post prius MODICUM ipsos tristitia opprimendos, post alterum MODICUM tristitiam illam in perpetuum gaudium esse convertendam.

V. 20. ... PLORABITIS ET FLEBITIS VOS, triduo mortis meae (vide supra). Graece : κλαύσετε καὶ θρηνήσετε, *lamenta edetis*,

Digitized by Google

MUNDUS AUTEM, Judaei inimici mei, postquam me occiderint. GAUDEBIT et gaudio illo suo dolorem vestrum augebit : VOS AUTEM CONTRISTABIMINI interne, unde externe plorabitis... En MODICUM quo elapso *non videbitis me*. Sed post *iterum modicum* TRISTITIA VESTRA VERTETUR IN GAUDIUM, quando *videbitis me* vitae redditum et gloriosum.

V. 21. Duplicem illum statum et ab uno in alterum transitionem exemplo mulieris parturientis illustrat. Sic gloria Christi parienda est doloribus passionis ejus; apostoli autem ut erunt participes dolorum, ita et gloriae erunt. Et sicut in partu dolor brevis est, gaudium nati infantis diuturnum, ita etc. Cf. Mich. 4. 9. 10; Is. 26, 17; Jer. 4, 31; Os. 13, 13.

V. 22. NUNC QUIDEM TRISTITIAM HABETIS. Per prolepsim dicit *nunc*, quia omnino instat passio. — ITERUM AUTEM VIDEBO VOS oculis corporis mei post resurrectionem gloriosi, ET GAUDEBIT COR VESTRUM. Cf. Jo. 20, 20; Luc. 24, 41; 24, 52. 53; Act. 5, 41; 1 Pet. 1, 8. ET GAUDIUM illud VESTRUM de gloria mea deque vestra mecum unione certaque mecum percipienda mercede, NEMO TOLLET A VOBIS. Non nisi abusu propriae libertatis illud perdere potuissent. Et illud gaudium revera in apostolis, invito furore inferni, ineluctabile permansisse ostendunt acta et epistolae eorum. Cf. Act. 5, 41; 2 Cor. 7, 4; 1 Thess. 3, 9; Jac. 1, 2.

Christi nomine Pater rogandus

23. ***Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis : si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*** **24.** ***Usque modo non petistis quidquam in nomine meo : Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.*** **25.** ***Haec in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora cum iam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annunciabo vobis.*** **26.** ***In illo die in nomine meo petetis : et non dico vobis quia ego rogabo Patrem***

Digitized by Google

de vobis : 27. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, quia ego a Deo exivi. 28. Exivi a Patre, et veni in mundum : iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.

V. 23. ET IN ILLO DIE, post resurrectionem meam, ME NON ROGABITIS QUIDQUAM simile his quae modo interrogare volebatis : omnia enim haec quae vobis modo dixi erunt vobis ex eventu perspicua. — ROGABITIS, ἐρωτήσετε, *interrogabitis.* — Haec verba supponunt fore ut tunc, post alterum *modicum*, discipuli Christum possint quidem interrogare, sed tamen id non faciant quia non indigebunt. Hinc supponitur Christus tunc eis corporaliter praesens fore.

Sunt qui *rogabitis* exponant, *orantes postulabitis :* discipulos tunc non postulaturos a *Christo*, sed a *Patre*, juxta versum 23. Sed versu 30 idem verbum ἐρωτᾷ redit cum sensu evidenti *interroget.* Ergo et hic ita exponendum est.

AMEN, AMEN DICO VOBIS : SI QUID PETIERITIS... Accedit ad beatitatem qua deinceps fruentur certitudo omnia obtinendi quae rogaverint PATREM IN NOMINE Christi, id est per merita Filii infinite impetratoria, quae nobis applicanda donavit, ita ut quasi in persona Christi Patrem oremus. — DABIT VOBIS, in quantum vobis proderit, ut patet (1). S. Augustinus vim facit in regimine VOBIS : « Ita sane, ait, intellegendum est quod ait, *dabit vobis*, » ut ea beneficia significata sciantur his verbis, quae ad eos qui » petunt proprie pertinent. Exaudiuntur quippe omnes sancti pro » seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis vel » inimicis suis, vel quibuslibet aliis : quia non utrumque dictum » est, *dabit :* sed, *dabit vobis.* » S. doctorem in hac expositione mentem Christi assecutum esse non ausim affirmare. Dicitur hoc apostolis, at pro fidelibus omnibus valet.

(1) Lectio graeca probatior habet : ἄν τι αἰτήσητε τὸν πατέρα, δώσει ὑμῖν ἐν τῷ ὀνόματί μου. Sed contexta oratio v. 24[i] melius quadrat lectioni Vulgatæ.

Digitized by Google

Adverte Ecclesiam semper in nomine Christi orare Patrem, ideo semper aliquo modo exaudiri.

V. 24 USQUE MODO NON PETISTIS QUIDQUAM IN NOMINE MEO. Multa Judaeorum more petierant a Deo, sed nunquam Patrem per merita Filii oraverant. Non ideo increpari dicendi sunt, sed ut deinceps ita faciant moneri. — PETITE deinceps in nomine meo, ET ACCIPIETIS, UT *(ita ut)* GAUDIUM illud VESTRUM, quod nemo tollet a vobis, SIT PLENUM. — In hoc fidelibus plenitudo gaudii, quod sciant salvatorem suum in gloria summe beatum, seque per ejus merita omnibus abundare gratiis quibus Capitis sui gloriae cohaeredes efficiantur.

V. 25. HAEC IN PROVERBIIS LOCUTUS SUM VOBIS, id est sermone figurato, subobscuro, vobis parum intellegibili (ut v. 16. 20-23). VENIT HORA (graece ἀλλ' ἔρχεται), instat tempus vitae meae gloriosae, CUM JAM NON IN PROVERBIIS, παροιμίαις, LOQUAR VOBIS, SED PALAM, παῤῥησίᾳ, DE PATRE, ejus in Trinitate relationibus ejusque in opere redemptionis actione mirifica, ANNUNCIABO VOBIS, partim per meipsum post resurrectionem (Luc. 24, 25-27. 45), partim per Spiritum sanctum loquentem nomine meo (v. 13). — Apud Jo. 11, 11 Jesus loquitur ἐν παροιμίᾳ; 11, 14, idem dicit παῤῥησίᾳ.

V. 26. IN ILLO DIE, post resurrectionem et ascensionem meam, IN NOMINE MEO, per merita mea, PETETIS a Patre; ET NON DICO QUIA EGO ROGABO PATREM DE VOBIS. Hoc dicit Christus per *praeteritionem*, non per *exclusionem* : rogare quidem pro ipsis non omittet, sed etiam absque Filii interventu Pater apostolos ceterosque fideles Christum amantes, orantes *se* ultro exaudiet.

V. 27. IPSE ENIM PATER AMAT VOS, dilectione non solum *antecedente* sed et *consequente* et speciali, QUIA VOS ME Filium suum dilectissimum AMASTIS (πεφιλήκατε), ET CREDIDISTIS QUIA EGO Messias A DEO EXIVI.

Digitized by Google

V. 28. Ultima verba explicat intellegenda esse de incarnatione. EXIVI A DEO « non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum (Symb. Athan.), » ET VENI, id est *veniendo* IN MUNDUM; ITERUM, visibili praesentia sublata, RELINQUO MUNDUM, ET ita VADO AD PATREM secundum humanitatem meam.

Apostolorum fides quam instabilis

29. ***Dicunt ei discipuli eius : Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis.*** **30.** ***Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget : in hoc credimus quia a Deo existi.*** **31.** ***Respondit eis Iesus : Modo creditis?*** **32.** ***Ecce venit hora, et iam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis : et non sum solus, quia Pater mecum est.***

V. 29. ... ECCE NUNC PALAM LOQUERIS de discessu tuo, ET PROVERBIUM NULLUM DICIS, sicut modo de utroque illo *modico* faciebas. Putant saltem se nunc bene intellexisse. Dubitari tamen potest an sensum Christi plene intellexerint.

V. 30. NUNC SCIMUS QUIA SCIS OMNIA, etiam occultas mentium cogitationes (v. 19), ET NON OPUS EST UT QUIS TE INTERROGET, cum ipse paratam interrogationem ei respondendo praevenias. IN HOC CREDIMUS (IN HOC, *propter hoc*, per hebraismum) QUIA A DEO EXISTI. Occultorum cordis notitiam merito habent ut divinae scientiae effectum.

V. 31. RESPONDIT EIS IESUS : MODO CREDITIS? Interrogatio non est fidem eorum *negantis*, sed *parum firmam* esse insinuantis. Quod statim probat.

V. 32. ECCE VENIT (ἔρχεται) HORA, tempus, ET IAM VENIT (ἐλήλυθεν), omnino proxima est, UT (ἵνα, *ita ut)* DISPERGAMINI UNUSQUISQUE IN PROPRIA habitacula, ET ME SOLUM RELINQUATIS sicque fidem vestram valde instabilem ostendatis. —

Digitized by Google

Matth. 26, 31 et Marc. 14, 27 idipsum dictum narrant in via ad hortum. Hinc vel bis hoc Jesus monuit, vel probabilius admittendum est Jesum exiisse Jo. 14, 31. — ET nihilominus NON SUM SOLUS unquam, QUIA PATER MECUM EST assistens mihi (8, 29)

Christus victor mundi

33. ***Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum.***

V. 33. HAEC omnia (cap. XIV, XV, XVI) LOCUTUS SUM VOBIS, UT IN ME, mihi credendo meque diligendo, PACEM HABEATIS, non obstantibus omnibus tribulationibus quas vobis sustinendas praedixi. IN MUNDO post discessum meum PRESSURAM HABEBITIS, SED CONFIDITE, quia EGO VICI MUNDUM (proleptice dicit, per passionem et mortem suam). Unde et discipulis jam per Magistrum parta est de mundo victoria. Cf. 1 Jo. 5, 4. 5. — His verbis quasi epiphonemate sermonem suum Christus concludit.

APPENDIX

Paraphrasis exegetica totius sermonis, Jo. XIII, 33. — XVI, 33

Filioli mei, adhuc per modicum tempus vobiscum in hac mortali vita ero. Post discessum meum a terra (per ascensionem, intendit) quaeretis me vobis in tribulationibus sensibili praesentia opitulantem, et, sicut olim dixi Judaeis : Quo ego vado (in caelum), vos non potestis venire, hoc vobis dico modo : quamdiu volente Deo in hac mortali vita degetis, ad me in caelum non potestis venire.

Mandatum novum do vobis (novum perfectionis altitudine) ut diligatis vos invicem sicut ego dilexi vos (adeo ut sicut ego do vitam meam pro amicis meis, ita et vos ad idem parati sitis), ut ita diligatis et vos invicem. Ex hoc signo cognoscent omnes qui

Digitized by Google

vos viderint homines, vos esse meos genuinos discipulos, si dilectionem habueritis ad invicem.

Dixit ei Simon Petrus : Domine, quo vadis? Respondit Jesus : Quo ego vado (in passionem, intellegit, et gloriam caelestem) non potes me modo sequi, sequeris autem postea (quando tibi hora mortis advenerit). Dixit ei Petrus : Quare non possum te sequi modo in pericula subeunda? Vitam meam, si opus fuerit, pro te profundam! Respondit ei Jesus : Vitam tuam pro me profundes? Vere dico tibi : Non cantabit gallus hac ipsa nocte donec ter me neges esse magistrum tuum.

Non turbetur cor vestrum ob tot tristia quae vobis modo praedixi. Creditis utique in Deum, credite ergo etiam in me, qui a Deo missus sum. In domo Patris mei, ad quam tendo, mansiones sunt multae, ita ut ibi et mihi et vobis omnibus locus sit. Si non ita esset, numquid dixissem vobis me abire ad praeparandum vobis locum? Et si abiero, et praeparavero vobis locum, iterum veniam ad vos in morte vestra et in ultimo judicio, et accipiam vos ad meipsum in caelum, ut ubi ego semper sum ibi et vos sitis in aeternum. Ceterum et quo vadam scitis et qua via eo eundum sit. Dixit ei Thomas : Domine, nescimus quo vadas : et quomodo possumus viam scire? Dixit ei Jesus : Ego ipse sum via, quia sum veritas (per lumen fidei a me infusum) et vita supernaturalis (per gratiam sanctificantem a me fidelibus communicatam). Ego, inquam, sum via, et quidem ego solus : nam nemo venit ad Patrem, ad quem ego vado, nisi per me (fide illuminatus et gratia sanctificatus). Si cognovissetis me (secundum naturam meam divinam), Patrem meum (qui terminus est ad quem vado) utique cognovissetis; immo amodo cognoscitis eum et vidistis eum (in me, Filio ejus consubstantiali). Dixit ei Philippus : Domine, ostende nobis Patrem, fac eum nobis visibilem, et sufficit nobis! Dixit ei Jesus : Tanto tempore vobiscum sum : et nondum cognovisti me (Filium Dei)? Philippe, qui videt me, eo ipso videt Patrem (ut mecum natura identicum). Quomodo tu dicis : Ostende nobis

Digitized by Google

Patrem (quem dudum in me vidisti)? Non credis ergo, quia ego in Patre et Pater in me est unius divinae naturae identitate? Mihi certe id asserenti credere debetis. Verba enim quibus id assero, a me ipso non loquor (sed Pater per me loquitur). Unde omnem fidem haec verba merentur. Me autem loqui ut legatum a Patre meo, Deo, ipse per miracula a me patrata demonstrat : nam Pater qui in me est ipse facit opera illa prodigiosa. Credite ergo mihi dicenti me esse in Patre et Patrem in me. Vel si mihi ob verba mea non creditis, propter miracula mea credite.

(Dixi vobis de miraculis meis; plus dicam : tanta est efficacia fidei in meam divinitatem, qualem fidem nunc a vobis postulo, ut) qui credet in me, miracula qualia ego facio, et ipse faciat, et his majora etiam et effectu illustriora faciat : quod quidem ideo fiet, quia vado ad Patrem gloria mea potiturus, et virtutem meam thaumaturgam fidelibus meis relinquam. Et ubi ero in gloria Patris mei, quidquid operum mirabilium postulaveritis Patrem nomen meum interponendo (merita mea Patri praesentando) hoc ego faciam pro vobis, eo fine ut glorificetur Pater in Filio mirabilia per Patrem operante. Si quid (rem quamcumque) petieritis a me in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis me, mandata mea servate. Et tunc ego rogabo Patrem, et pro me discessuro alium consolatorem dabit vobis (et universae ecclesiae meae) ut maneat vobiscum usque ad consummationem saeculi, Spiritum veritatis (qui et substantialis veritas est et veritatis revelator infallibilis) quem mundus non potest accipere quia, omnis supernaturalis notionis incapax, non videt eum oculis fidei nec cognoscit eum; vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manet (propter gratiam sanctificantem) et in vobis erit postea (per specialem virtutem donorum suorum).

Ceterum neque ego ipse relinquam vos orphanos quales vos mors mea efficiet. Mox a morte resuscitatus veniam ad vos in corpore meo glorioso. Adhuc modicum temporis erit, quo elapso mundus perversus me jam non videbit amplius. Vos autem vide-

Digitized by Google

bitis me viventem et vos ipsi viventes (post resurrectionem meam usque ad adventum Spiritus sancti). Illo tempore, (Spiritu sancto in vos descendente) cognoscetis me esse in Patre meo (per divinae naturae identitatem), et vos in me (sicut palmites in vite fecundante), et ego in vobis (per gratiae) influxum et specialem praesentiam). Nam qui mandata mea accipit et opere servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum per intimos gratiae meae effectus.

Dixit ei Judas (non Iscariotes, sed Thaddaeus) : Domine, quid hoc est, quod te manifestabis nobis et non mundo? Respondit Jesus et dixit ei : (Ratio discriminis est discrimen dilectionis). Si quis diligit me, sermonem meum fide et opere servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum ego et Pater veniemus et mansionem apud eum in intimo animo ejus faciemus. At qui non diligit me (qualis est mundus), sermones meos non servat fide neque opere. (Et ita non in me tantum peccat sed et in Patrem) : nam sermo quem a me audistis, non est a meipso excogitatus, sed est ejus qui misit me, Patris, per os meum loquentis. Hinc est quod mundo non manifestabimus nos.

Haec hactenus locutus sum vobis, apud vos sensibili praesentia permanens. Consolator autem Spiritus, quem mittet Pater a me rogatus, ille vos (et successores vestros Ecclesiae magistros) docebit omnia et in memoriam revocabit omnia quaecumque dixero vobis. Profecturus igitur a vobis, pacem relinquo vobis : pacem, inquam, *meam* do vobis : non per vanam formulam quomodo mundus pacem dat, ego do vobis, sed reali quadam donatione gratiae. Ne ergo turbetur cor vestrum tristitia, neque formidet ulla pericula. (Non diu absens ero) : audistis enim me dicentem vobis : Vado quidem, sed brevi rursus veniam ad vos (post triduum). Si puro amore diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem per humanitatem meam; nam Pater Deus me homine major est : unde et apud eum mihi gloria summe

Digitized by Google

optanda continget. Et nunc haec omnia dixi vobis priusquam fiant, ut postquam facta fuerint, credatis me ea praescivisse, adeoque me fidem vestram in meam missionem divinam mereri.

Jam non multa loquar vobiscum. Adstat enim me invasurus Satanas, princeps mundi hujus. Et quidem in me nullam habet potestatem; sed ei jam me tradam sponte ut cognoscat mundus me diligere Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater moriendi per manus iniquorum, sic me facere. Surgite, eamus hinc.

Ego sum vitis vera supernaturalis, et Pater meus agricola est eam excolens. Omnem palmitem, in me vite illa insertum, non ferentem fructum (bonorum operum) tollet Pater meus; et omnem qui fert fructum emundabit (gratiis ulterioribus, probationibus etc.) ut fructum uberiorem afferat. Jam vos emundati estis palmites propter sermonem quem modo habui ad vos (quo vos affectibus inordinatis pluribus emundavi). Manete in me per dilectionem operosam, et ego manebo in vobis per gratiae influxum perennem. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit unitus viti; sic nec vos nisi in me mihi uniti manseritis. Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum; secus nullum, quia sine me nihil potestis facere quod fructiferum sit ad salutem. Si quis in me non manserit (per fidem et dilectionem), mittetur foras sicut palmes a vite avulsus et arescet; et colligunt eum et in ignem mittunt et ardet. Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis (a Patre meo in ordine salutis) et fiet vobis. Hoc enim vergit in gloriam Patris mei, ut fructum plurimum in ordine salutis afferatis et sic efficiamini perfecti mei discipuli. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea (ita in bono perseverantes ut mereamini a me semper diligi). Si praecepta mea servaveritis, manebitis in hac dilectione mea qua vos complectar, sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in ejus dilectione qua me prosequitur. Haec locutus sum vobis ut

Digitized by Google

et ego de vobis gaudere possim, et gaudium vestrum (ex efficaci influxu amoris mei in vos) plenum fiat.

Hoc est prae ceteris praeceptum meum, ut diligatis vos invicem, sicut dilexi vos. Majorem dilectionem nemo habet illa qua vitam suam profundat quis pro iis quos amat. (Talis autem mea est). Vos amici mei estis si feceritis quae ego praecipio vobis. Jam non dicam vos servos (ut antea quandoque vos vocavi), quia servus nescit quid faciat dominus suus; vos autem dixi amicos meos, et ut tales vos tractavi, quia quaecumque caelestis doctrinae audivi a Patre meo, nota feci vobis (quantum portare poteratis. Estque haec mea in vos amicitia plane gratuita. Nam) non vos me elegistis in magistrum, sed ego elegi vos in discipulos, et constitui vos ut eatis in mundum universum, et per verba et exempla fructum salutis afferatis, et ut fructus vester maneat in vitam aeternam, et ut quaecumque (ad illum fructum reportandum) rogaveritis Patrem per merita mea, det vobis.

Haec mando vobis eo fine ut diligatis invicem (et sic praecipuum illud praeceptum meum exsequamini. Cui mutuae dilectioni respondebit odium mundi in vos. Verumtamen) si mundus perversus vos odit, nolite mirari; scitote quoniam me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret : quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote, ad consolationem vestram, sermonis mei quem ego dixi vobis : Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt et vos persequentur. Si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt (Quod cum plerique non fecerint, neque vos id ab eis exspectetis). Sed haec omnia facient vobis propter nomen meum (propterea quod vos estis discipuli mei), quia nesciunt eum qui me misit Filium suum. Quae sane ignorantia in eis non est excusanda. Si enim non venissem in mundum per incarnationem meam, et non locutus fuissem eis, peccatum non haberent incredulitatis : nunc autem excusationem non habent de illo peccato suo. Nam qui

Digitized by Google

me odit, et Patrem meum (qui unum mecum est) odit. Si miracula non fecissem inter eos (in probationem missionis meae), qualia nemo alius fecit, peccatum incredulitatis non haberent : nunc autem et viderunt mea illa miracula, et nihilominus oderunt et me et (proinde etiam) Patrem meum. Sed res ita oportebat fieri ut adimpleretur quod scriptum est in sacro eorum volumine : *Quia odio habuerunt me gratis*, sine ulla ratione. (Neque id sola Scriptura manifestat. Sed et) cum venerit Consolator, quem ego mittam vobis a Patre (uti a me procedentem) spiritum veritatis, qui a Patre Deo procedit (adeoque veracitatis est divinae), ille etiam testimonium perhibebit de mea innocentia et divina missione (per prodigiosa opera quae in confirmationem doctrinae meae patrabit), et vos demum etiam perhibebitis de me testimonium quod credi mereatur, quia ab initio vitae meae publicae mecum conversamini.

Haec locutus sum vobis ut in adversis mihi et vobis obventuris non scandalizemini in fide haesitantes. A synagogis extorres facient vos Judaei; sed et tempus erit quo ad tantam rabiem veniet persecutio, ut quisquis interficiat vos, arbitretur se hoc ipso obsequium praestare Deo. Haec scilicet facient vobis quia neque Patris neque mei Filii rectam habebunt notitiam. Ego vero haec locutus sum vobis ut, cum venerit hora eorum qua ita in vos desaevire possint, reminiscamini me illas persecutiones vobis praedixisse, et inde animos ad eas sustinendas capiatis. Haec autem vobis non dixi ab initio meae vobiscum conversationis, quia vobiscum eram et vos praesens confortare poteram. Et nunc vado ad eum qui misit me; et nemo ex vobis nunc interrogat me : Quo vadis? Sed quia haec de persecutionibus dixi vobis, tristitia implevit corda vestra. Sed tamen ego veritatem dico vobis : ergo credite mihi. Expedit vobis ut ego proficiscar a vobis. Si enim non abiero, Consolator (Patre ita disponente) non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, vestram causam contra mundum agens, convincet mundum de peccato et

Digitized by Google

de justitia et de judicio. De peccato quidem incredulitatis obstinatae, quia qui de mundo sunt non crediderunt in me; de justitia vero (et innocentia) mea, quia vado ad Patrem gloria coronandus, et jam non videbitis me in carnis meae humilitate; de judicio vero condemnationis in Satanam prolatae, quia Satanas, princeps mundi, jam nunc (per mortem meam) condemnatus est.

Adhuc multa habeo vobis dicenda; sed abstineo : nam ea non potestis portare modo. Cum autem post discessum meum venerit ad vos ille Spiritus veritatis, docebit vos (id est, ecclesiam meam docentem) omnem veritatem, qualem ego vobis revelandam haberem. Non enim vos docendo loquetur a semetipso, quasi proprio nomine; sed quaecumque (a me) audiet loquetur, et quae ventura sunt annuntiabit vobis. Ille gloriam meam divinam ex eo manifestabit quod de mea scientia accipiet notitiam futurorum ut ea annuntiet vobis. Neque hoc miremini. Nam omnia quae habet Pater mea sunt, adeoque et futurorum praescientia (soli Deo propria). Propterea merito dixi : quia *de meo* accipiet et annuntiabit vobis res futuras.

Modicum (aliquot horarum) fluet spatium, quo elapso, non amplius videbitis me viventem; et iterum modicum (duorum dierum) fluet spatium, quo elapso, rursus videbitis me viventem, quia ad Patrem vado (per passionem, resurrectionem et ascensionem meam). Dixerunt ergo aliqui ex discipulis ejus ad invicem (submissa voce) : Quid est hoc quod dicit nobis : « Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me; » et « quia vado ad Patrem? » Dicebant ergo : Quid est hoc, quod dicit, modicum? Nescimus quid loquatur. Cognovit autem Jesus, intima eorum perspiciens, voluisse eos se interrogare, et dixit eis : De hoc quaeritis inter vos, quia dixi, Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me. En quid dicere velim. Amen, amen dico vobis : plorabitis et flebitis vos (post mortem meam), mundus autem gaudebit (ob necem meam); vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium

Digitized by Google

(ob resurrectionem meam). Mulier quando parit, tristitiam habet, quia venit hora sua pariendi; quando autem perperit puerum, jam non meminit pressurae parturitionis propter gaudium quod experitur quia natus est homo in mundo. Simili ratione, et vos igitur nunc quidem ob discessum meum tristitiam habetis; sed iterum videbo vos (e morte suscitatus), et tunc gaudebit cor vestrum et deinceps gaudium illud vestrum nemo tollet a vobis.

Et illo tempore gloriosae vitae meae nihil amplius interrogabitis me, quia non indigebitis. Vere dico vobis : si tunc aliquid petieritis a Patre per mea merita, dabit vobis. Hactenus nihil rogastis Patrem in nomine meo, per mea merita. Petite jam ita, et accipietis, ita ut gaudium vestrum plenum sit ob orationes plenissime exauditas.

Haec figurato sermone locutus sum vobis. Instat autem beata hora vitae meae gloriosae, cum jam nulla figura verborum utar, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis divina arcana. Illo tempore (Spiritu sancto pleni) in nomine meo rogabitis Patrem; et non dico vobis me rogaturum Patrem pro vobis (quod quidem facere soleo; sed non erit tunc necessarium) : ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis me a Deo exivisse; ideoque Pater sponte sua annuet petitionibus vestris. Exivi utique a Patre et veni in mundum (per incarnationem meam); iterum relinquo mundum et vado ad Patrem (per mortem, resurrectionem et ascensionem meam).

Dixerunt ei discipuli : Ecce nunc palam loqueris, et nullam adhibes figuram dictionis. Nunc scimus te omnia scire, etiam abdita cordis, uti modo ostendisti, neque opus esse ut quis te interroget, cum jam in antecessum cognoscas quid interrogare intendat : propter hoc credimus te a Deo exivisse. Respondit Jesus : Modo creditis? At cavete : instat enim hora, jam adest, qua dispergamini unusquisque ad propria et me solum in manibus impiorum relinquatis. Quamquam, ut vere, dicam, ego nunquam sum solus, quia Pater meus mecum est.

Digitized by Google

Haec locutus sum vobis ut per me pacem consequamini et teneatis. In mundo pressuram rerum adversarum habebitis; sed, confidite : ego vici mundum (unde et vos eum vincetis).

SCHOLION DOGMATICUM

A) **De divinitate Christi.** Dogma divinitatis Christi ejusque cum Patre consubstantialitatis egregie demonstratur ex Jo. 14, 7-11. Immo sabelliani ex illo loco dogma Trinitatis everti jactabant. « Si enim, aiebant, *qui vidit me, videt Patrem* dicit Christus, ergo Filius est Pater. » Ad illos refellendos, SS. Hilarius et Augustinus docuerunt, haec a Christo dici ob perfectam Filii ad Patrem *similitudinem*, adeoque per ea non tolli personarum distinctionem. Haec tamen SS. doctorum expositio facile admitti nequit. Nam 1) si is esset sensus verborum Christi, debuisset inter Patrem et Filium esse *similitudo sensibilis*, per quam Philippus, viso uno, potuisset et alterum agnoscere. Sed absurdum foret inter Patrem et Filium supponere similitudinem sensibilem. — 2) Christus ipse verba sua aliter explicat. Ideo, ait, qui *videt me, videt et Patrem, quia ego in Patre et Pater in me est*. Quae de similitudine, utut perfecta, dici nequeunt. Revelatur ergo verbis illis inter Filium et Patrem vera *identitas* ratione *naturae*, non tamen ratione *personae*, ut volebant sabelliani. Secus enim Christus non cohaereret sibi, qui toties se a Patre contradistinguit, et hoc ipso loco nostro dicit : *ad Patrem vado*. Ergo Filius est *alius* a Patre, et sic ruit sabellianus error; sed non est *aliud* a Patre, et sic statuitur *consubstantialitas* Filii cum Patre contra arianos.

B) **De Spiritu sancto.**

1) ***Personalitas S. Spiritus.*** Patet Christum semper loqui de eo tamquam de *persona*, eaque *distincta a Patre et a Filio*. Ipse enim « loquetur, docebit, in memoriam revocabit res intellegibiles, consolabitur fideles loco Christi, testimoniumque pro eo

Digitized by Google

perhibebit : » quae omnia opera sunt, non alicujus *virtutis impersonalis* dumtaxat, sed alicujus verae *personae*. Deinde, « mittetur a Patre et a Filio; a Filio accipiet scientiam; loquendo doctrinam Filii non loquetur a semetipso; Christi locum occupabit apud apostolos : » distinguitur ergo et a Patre et a Filio. Talem esse verborum Christi sensum obvium ipsi unitarii fateri coguntur, licet eum explicandum volunt per figuram dictionis. Quae explicatio non nisi ad perditae causae defensionem infeliciter excogitata esse apparet.

2) ***Divinitas S. Spiritus*** a Christo satis innuitur, cum promittat Spiritum sanctum tamquam eum qui sui apud discipulos locum teneat, majora etiam eis dona concedat et ob cujus adventum ipsius Christi discessus eis sit exoptandus. Ergo Spiritus sanctus nihilo minor est Filio; ergo est Deus.

3) ***Processio S. Spirius*** a Patre docetur 14, 26 et 15, 26, et a Filio 15, 26 et 16, 7, ex conceptu genuino *missionis* in divinis. Praeterea processio a Filio traditur egregie 16, 13-15 ex conceptu *communicationis doctrinae* et *scientiae* Filii Spiritui sancto facienda. Nequit enim ab una persona divina ad aliam ulla alia communicatio excogitari nisi communicatio identicae divinae essentiae. Sed in exponendo hoc argumento, omnino ostendendum est, Spiritum sanctum dici accipere ea quae sunt Filii *non a Patre*, sed *a Filio*, et evertenda objectio quae solet fieri ex v. 15, quasi ibi diceretur Spiritus sanctus accipere tantum *a Patre* ea quae sunt Filii.

4) ***Spiritus sancti in fideles adventuri condicio.*** Quomodo 14, 15 potest poni dilectio Christi tamquam condicio accipiendi Spiritum sanctum, cum haec ipsa dilectio et mandatorum observatio nequeant esse absque dono Spiritus sancti?

R. Apostoli tunc *mundi erant* (13, 10; 15, 3) adeoque Spiritum sanctum cum gratia sanctificante jam habebant; sed eis, ut merces eorum dilectionis in Christum, promittitur sensibilis ille cum specialibus donis conjunctus adventus Spiritus sancti. Item

Digitized by Google

adventus Filii cum Patre, de quo 14, 23, intellegi potest de ***gratia secunda***, gratiam primam praesupponente in illa ipsa dilectione; vel certe praesupponitur illa ***dilectio incipiens*** praevia ad justificationem impii, quae dilectio et ipsa est ex gratia. Eam tamen Spiritus sanctus non dat ut animae inhabitans, sed ut eam in transitu visitans (vide Trident., sess. VI, cap. 6.).

C) **De justorum internis donis gratiae.**

1) Ex 15, 5 recte probatur hominis impotentia ad actus supernaturales absque influxu gratiae Christi. Nihil tamen ibi revelatur de necessitate ***concursus Dei*** naturalis ad opera qualiacumque creaturarum. Agitur enim de illo influxu quem Christus habet in *fideles* sibi per fidem unitos, sicut vitis in palmites.

2) Multus est Dominus in hoc sermone, sed et S. Joannes in 1ª epistola sua, in inculcanda doctrina mutuae ***mansionis*** per quam anima fidelis sanctitatem consequatur. Conceptus ***mansionis*** ubique dicit aliquam ***adhaesionem*** seu ***unionem***. Dicuntur autem sive ***in*** anima justa, sive ***apud*** eam ***manere***, modo Pater cum Filio, (14, 23), modo solus Filius (15, 4. 5), modo Spiritus sanctus (14, 17). Haec tamen ***mansio***, cum sit opus ad extra, est totius SS. Trinitatis; solet autem a Patribus, post S. Paulum (Rom. 8, 11. 14. 26; 1 Cor. 3, 16; 6, 19; 2 Cor. 1, 22), specialius attribui Spiritui sancto, cum sit haec ***mansio*** effectus Dei in nos amoris (Rom. 5, 5). « Manet in nobis, ait Augustinus (in Jo. 6, 57), cum sumus ***templum ejus;*** » id est, per specialem praesentiam et unionem ut ***amantis cum amato***. — Sed et justi dicuntur ***in Christo manere*** (6, 57; 15, 4. 6. 7). « Manemus autem in Christo, dicit iterum Augustinus (ibid.) cum sumus ***membra ejus***, » id est, mystici ejus corporis cujus Christus caput est (Rom. 12, 5; 1 Cor. 6, 15; 12, 27; Col. 1, 18). Praeclare S. Paulus, Eph. 1, 22. 23) : ***Et omnia subiecit sub pedibus eius : et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quae est corpus ipsius, et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.*** — Sumus autem membra ejus per fidem et dilectionem operosam

Digitized by Google

(1 Jo. 2, 6. 24. 27; 3, 24; 4, 15. 16). Unde etiam apparet mansionem illam esse necessario ***mutuam*** inter Deum et animam.

Ex hac mansione Spiritus sancti in anima, qua haec deiformis efficitur, Patres graeci demonstrant divinitatem Spiritus sancti; et recte quidem : qui enim animam inhabitando deificat, Deus sit oportet. Exemplo sint verba S. Cyrilli Alex. (in Jo. 14, 17) : « Quod autem divinus et non diversae ab ipso Patre et Filio » substantiae sit Spiritus, nemini sanae mentis dubium esse puto, » atque ut id credam ratio necessaria nos adiget. Si quis enim » eum ex substantia Dei esse negat, quomodo creatura demum » erit Dei particeps accepto Spiritu? Aut quomodo templa Dei » nuncupabimur et erimus, si creatum aut alienigenam Spiritum » accipiamus, non autem illum qui ex Deo est? Quomodo naturae » divinae consortes, juxta sanctorum voces, si in creaturarum » numero collocatur, ac non potius ex ipsa natura divina procedit, » qui non ut alienus per ipsam in nos pervenit sed, ut ita dicam, » qualitas veluti quaedam deitatis est in nobis (ποιότης ὥσπερ τις » τῆς θεότητος ἐν ἡμῖν γινόμενον), et in sanctis habitat manetque » semper? » Et in Jo. 14, 18 : « Quodsi ex eo quod Spiritus in » nobis habitat, templa facti sumus Dei, quomodo non ex Deo » Spiritus, id est ex substantia ejus, qui Deum in nobis habitare » facit per seipsum? »

D) **De dotibus Ecclesiae.**

1) Ecclesiae competere donum ***miraculorum*** constat ex 14, 12. Id promittit Christus non solos apostolos habituros sed eum qui in se crediderit. Sed et donum ***prophetiae*** ei cum Spiritu sancto promitti merito concluditur ex 16, 13, quae verba apostolis dici videntur quatenus ecclesiam docentem vel ecclesiam universalem repraesentant (vide commentarium).

2) ***Infallibilitas doctrinalis*** Ecclesiae etiam concluditur merito ex textibus ubi promittitur ***Spiritus veritatis.*** Promittitur enim Spiritus sanctus iis quibus ab exordio Ecclesiae revera datus est, scilicet non solis apostolis sed et aliis fidelibus; neque

Digitized by Google

ipsis apostolis promittitur nisi ut Ecclesiam doceant, quod et per se et per successores efficere debeant. Cum praeterea ille Spiritus veritatis sit cum Ecclesia mansurus ***in aeternum,*** sequitur donum infallibilitatis in Ecclesia nunquam deficere posse.

Est quidem hoc argumentum bonum; cum tamen non sit omnino evidens Christi intentio promissiones illas suas extendendi etiam ad apostolorum successores, facilius infallibilitas Ecclesiae probabitur ex Matth. 28, 18-20; 16, 17-19, textibus evangelii S. Joannis in confirmationem accedentibus.

E) **De praeambulis ad fidem.**

1) Ex 15, 22. 24 probatur jugum fidei nemini imponi nisi habeat solida motiva credibilitatis, qualia esse miracula declarantur; ubi vero haec adsunt, fidem in Christum amplectendam esse, libere quidem, sed sub gravissima obligatione.

2) Ex 14, 29 et aliis locis similibus multis ostendit ipse Christus prophetiam eventu probatam, editam in confirmationem alicujus doctrinae, ejusdem veritatem et divinam originem demonstrare.

SCHOLION ASCETICUM

Totus ille sermo refertus est documentis asceticis quae in commentario exposita fuerunt. Placet hic praecipua in memoriam reducere.

1) Quanta cum fiducia orandum sit in nomine Christi seu interponendo apud Patrem merita Filii, apparet ex 14, 13. 14 et 16, 23. 24.

2) Nullam veram esse erga Christum dilectionem nisi eam quae se per observationem mandatorum manifestet, pluries inculcat Salvator, scilicet 14, 15. 21. 23. 24 et 15, 10.

3) Allegoria de vite et palmitibus egregie nos docet quomodo in ordine spirituali Christus agat in animas, et ipsae vicissim ab eo agantur : omnia per Christum, nihil sine Christo. Ignis autem

Digitized by Google

aeterni incendium eis intimatur qui Christo inhaerere noluerint (15, 1-6).

4) Justorum opera bona, ex gratiae Christi influxu prodeuntia, vere glorificare Deum, adeoque non esse inania, multo minus peccaminosa, contra protestantes ilico probabis ex 15, 8.

5) Ad quantae sublimitatis culmen ascendere debeat caritas christianorum in proximum, proposito exemplo suo declarat Christus 15, 12. 13.

6) Fore discipulos suos mundi persecutionibus semper et ubique obnoxios diserte praedicit Dominus; in quibus efficacissima consolationis argumenta insinuat fore exemplum ipsius Magistri et persecutionum causam (15, 18-21). — Mundum porro illum discipulos suos impetentem inexcusabilem esse ostendit 15, 22-25.

7) Nec minus in tolerandis aerumnis erigi nos debere spe futuri et aeternum mansuri gaudii asserit 16, 21. 22.

Digitized by Google

CAPUT XVII

Argumentum. Sollemnis Christi oratio ad Patrem qua, ut homo, orat 1° pro *se* : ut ipsum Pater clarificet (1-5). — 2° pro *discipulis* : ut det eis Pater perseverantiam in fide, praeservet eos a malo et sanctificet in veritate (6-19). — 3° pro *fidelibus* credituris per verbum apostolorum (20). — 4° pro *suis omnibus simul*, ut sint omnes unum secum et cum Patre, et secum in aeterna beatitate olim uniantur (21-26).

Christus orat pro seipso

1. ***Haec locutus est Iesus : et sublevatis oculis in caelum, dixit : Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.*** **2.** ***Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam aeternam.*** **3.** ***Haec est autem vita aeterna : Ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum.*** **4.** ***Ego te clarificavi super terram : opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam.*** **5.** ***Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui prius, quam mundus esset, apud te.***

V. 1. HAEC, integrum hunc sermonem, LOCUTUS EST IESUS, ET... Sententia hebraizans, pro : *Cum haec locutus esset Jesus, sublevatis*... Sermonem oratione concludit, « in quo, ait S. Thomas, datur nobis exemplum, ut quos instruimus verbo juvemus orationum suffragio. » Cf. Col. 4, 3. — SUBLEVATIS OCULIS IN CAELUM (Jo. 11, 41). « Per ista erudimur, ait S. Chrysost., attentionem in orationibus adhibendam, » — PATER. *Orat* ut homo ; Deum *Patrem* vocat, ut Deus — VENIT HORA passionis meae, quae est glorificationis meae ratio : — CLARIFICA me FILIUM TUUM, humanitatem meam in consortium gloriae tuae

Digitized by Google

exaltando. Clarificari enim debet tamquam Filius Dei in gloria Patris constitutus (Phil. 2, 6-11). — UT FILIUS TUUS CLARIFICET TE.

V. 2. Explicat Christus *modum* quo Patrem glorificet, nempe dando vitam aeternam omnibus quos dedit ipsi Pater, cujus rei a Patre accepit potestatem; siquidem (1) Pater dedit ei POTESTATEM OMNIS CARNIS, adeoque potestatem homines omnes vivificandi. Haec ei potestas collata est cum gloria resurrectionis, juxta Ps. 2, 7. 8 et Act. 13, 33 : *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae.* Cf. Matth. 28, 18. — Praeterea hanc potestatem Filio dedit Pater ab aeterno : pertinet enim ad divinitatem; sed et per unionem hypostaticam etiam eam Homo-Deus consecutus est. Hic vitam aeternam nobis promeruit per humanitatem, eam dat per divinitatem. — S. Augustinus bene et concinne : « Resuscita me, ut innotescas toti orbi per me. »

V. 3. Hoc loco VITA AETERNA hominum ostenditur esse Patris glorificatio. — HAEC EST VITA AETERNA, id est vitae aeternae *radix et ratio*, UT COGNOSCANT TE... Haec via est consequendae vitae aeternae : non quasi sola Patris et Filii cognitio sufficiat, sed quia cetera omnia hac cognitione nituntur. UT COGNOSCANT TE SOLUM VERUM DEUM, ET QUEM MISISTI IESUM CHRISTUM. Graece : ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν. Ex quo patet Christum non dicere, *solum Patrem* esse *verum Deum*, sed Patrem esse *unicum verum Deum*, per oppositionom ad falsos deos gentilium. Non ergo, quod volebant ariani, excluditur Filius sed implicite saltem includitur, ut qui cum Patre habet identicam divinitatem. Immo Patres nonnulli (August., Ambros., Hilar., Nazianz., Athan., Cypr., citati apud Toletum) volunt τὸ *solum verum Deum*, in textu, attributum esse

(1) SICUT, καθὼς, hebraismus est pro כַּאֲשֶׁר et sonat *siquidem,* ut Rom. 1, 28; 1 Cor. 1, 6; Eph. 1, 4.

utriusque, ita ut hic sit sensus : *ut cognoscant te et quem misisti Jesum Christum esse solum verum Deum :* qui sensus confirmatur ex 1 Jo. 5, 20. Haec expositio non est improbabilis. Altera tamen (Cyrill., Chrysost., Basil., Euthym.), magis obvia, refert τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν tamquam attributum ad *te* (Patrem) : unde Christus Patrem *Deum* dicat per appropriationem, sicut et Paulus (1 Cor. 8, 6) : *Nobis tamen unus est Deus, Pater..., et unus Dominus Iesus Christus.*

S. Chrysost. (in h. l.) : « *Solum verum Deum* ad differentiam » eorum qui dii non sunt, sic loquitur... Quid ergo? Non erit » Deus Filius? Si vero Deus Filius, et solius Patris, palam est et » verum esse, et ejus qui solus verus dicitur Filium. Quid ergo, » cum dicit Paulus : *An solus ego et Barnabas?* An Barna- » bam tollit? Minime; illud enim *solus* ad aliorum differentiam » ponitur. »

S. Cyrill. Alex. (in h. l.) : « Dominus noster Jesus Christus, » cum sciret cognitionem illam unius ac veri Dei conciliatricem » esse et quasi pronubam eorum quae dicimus bonorum (aeter- » norum), ipsam ait esse vitam aeternam, utpote matrem et nutri- » cem aeternae vitae, in sua quodammodo virtute et natura cau- » sas vitae parturientem et ad eum referentem. »

Seipsum Christus in toto contextu exhibet ut Dei Filium, adeoque in divinitate Patris suam propriam divinitatem implicite asserit; explicite autem hic se ponit cognoscendum, ut *missum a Patre Jesum Christum* (Messiam). Neque enim satis est ut cognoscant Patrem Filiumque ei consubstantialem; sed ejusdem Filii incarnati assumpta humanitas pari fide profitenda est. — De cognitione Spiritus sancti tacet : forte quia haec a Filio incarnato revelata erat adeoque credenda ob Filii auctoritatem.

Adverte quomodo hic se Filius designet. IESUM se vocat nomine proprio *hujus hominis;* QUEM MISISTI, divinam suam originem indicat; CHRISTUM demum se dicit ut propriam divinae missionis suae rationem declaret.

Digitized by Google

Quaeritur quaenam sit haec ***cognitio,*** in qua dicitur esse vita aeterna, utrum per ***fidem*** an per ***gloriam.***

R. *1ª sententia.* (Ambros., August., Hilar., Thom. Aq., multique scholastici) *Cognitio visionis beatificae.* Ideoque scholastici nonnulli hunc textum afferebant ad probandum essentiam beatitudinis caelestis in sola intellectuali Dei visione consistere.

Rationes. 1) Versus 2 : *ut... det eis vitam aeternam.* Vita autem aeterna quam dat Salvator est beatitas caelestis. — 2) Loci paralleli : 1 Jo. 3, 2 : *Scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est;* 1 Cor. 13, 12 : *Videmus nunc per speculum in aegnimate, tunc autem facie ad faciem.*

2ª sententia. (Cyrill., Euthym., Hilar. alibi, Tol., Mald., Luc. Brug., Beelen etc.) *Cognitio per fidem.*

Rationes. 1) Jo. 3, 36 : *Qui credit in Filium habet vitam aeternam;* Jo. 6, 40. — 2) Cognitio certe Christi hominis ad *essentiam* aeternae beatitatis non pertinet. — 3) Neque eidem conceptui congrueret oppositio illa inter Deum unum *verum* et *falsos* deos. — Haec tenenda.

V. 4. EGO TE CLARIFICAVI SUPER TERRAM, attributa tua hominibus manifestando, bonitatem praesertim et justitiam, quae in passione mea et morte apprime elucent. — Sequitur quomodo Patrem clarificaverit : OPUS redemptionis generis humani CONSUMMAVI, QUOD DEDISTI MIHI UT FACIAM. Cf. 19, 30 : *Consummatum est;* 4, 34 : *Cibus meus est ut... perficiam opus eius.* — DEDISTI MIHI, dando mihi humanam naturam. — Haec intellege per prolepsim dicta quoad passionem.

V. 5. ET NUNC (per prolepsim dicit sicut versu 4) CLARIFICA ME TU vicissim, PATER, APUD TEMETIPSUM *in caelo* (sicut ego tibi gloriam dedi *in terra)* CLARITATE QUAM HABUI, PRIUS, QUAM MUNDUS ESSET, APUD TE, in sinu tuo ab aeterno.

Nequit haec claritas intellegi claritas divinae naturae : haec

Digitized by Google

enim ut *danda* Filio Dei peti nequit, cum sit ipsa divinitatis aeterna essentia. Ergo postulatur danda Christo *ut homini*. At

Quaeritur quomodo Christo-homini postuletur danda ***claritas quam habuit ab aeterno.***

R. *1a sententia.* (S. August., S. Thom...) *Quam habui in aeterna praedestinatione, peto ut nunc meae humanitati conferatur*. Postulare scilicet Christum sibi dandam gloriam finitam humanitati suae ab aeterno praedestinatam.

Contra est *a)* valde improprie dici *hominem* ab aeterno aliquid habere apud Deum. — *b)* communis Patrum et interpretum sententia : valide enim hunc textum arianis opposuerunt ad Christi exsistendi aeternitatem vindicandam. — et alia argumenta infra exponenda.

2a sententia. Petitur *manifestanda hominibus gloria divinitatis Christi* (Luc. Brug...).

Contra est claritatem, de qua hic, esse debere apud Patrem. non apud homines. — *b)* v. 24, ubi postulatur ut electi eam Christi gloriam videant in caelo.

3a sententia. *Communica humanitati meae in caelis gloriam divinitatis meae, quam habui tecum ab aeterno* (Tolet. etc.). Non est humanitati ejus danda haec gloria quae propria divinitatis est, cum haec sit incommunicabilis; sed ejusdem *plenissima* licet finita *participatio*, quam post ascensionem humanitas Christi consequatur. Cf. Luc. 24, 26; 1 Cor. 15, 25; Phil. 2, 8. 9.

Contra est *a)* obvium sensum sonare claritatem *eamdem*, non tantum ejus *participationem*. — *b)* v. 24, ubi videtur referri Christi gloria *divina*, cujus *visio* debeat apostolos in aeternum beatos efficere.

4a sententia, quam sic enuntiat Jansenius Gandav. (in h. l.) : « Christum precari sibi homini omnino eamdem claritatem et gloriam quam, quatenus Verbum, reipsa habuit ante mundum; non quod humanitas Christi ejus gloriae esset capax, sed quod suae personae, quae jam simul erat homo et Deus, vellet in hu-

Digitized by Google

mana etiam natura dari eam gloriam quam eatenus tantum habuit in divina natura, hoc est, ut qui hactenus solum quatenus Verbum, habuit gloriam divinitatis, jam eamdem etiam haberet quatenus Verbum-caro, aut quatenus homo-Deus. » Et provocat ad Phil. 2, 6-11. — Theodorus Heracleotas : « Rogare igitur (Christum) nunc, ut ad illam gloriam a qua se exinaniverat reducatur. » Optime notat a Lapide, illam Christi hominis gloriam divinam ostendi in gloria humanae ejus naturae post ascensionem collata. Per hanc enim hic homo ostenditur esse Deus. Christus ergo *illam* per *hanc* a Patre postulat. Ita sentiunt SS. Cyrill. Alex. et Jerosolymit. (Thesauri c. 9); ita Maldon. et recentiores passim. Ita et nos.

Quae expositio facile conciliatur cum 3ª, cujus tamen incommoda non incurrit.

Eam sic evolvit S. Cyrillus Alex. : « Humana rursus divinis » conjungit (Christus), et mixta est quodammodo oratio, utraque » respiciens, quae nec dicentis personam ad integram potestatem » et gloriam Deo dignam nimis evehit, nec in humanitatis statu » subsidere prorsus sinit; sed unum quoddam ex utrisque tempe- » rat... Perfectis autem operibus, et dispensatione ad congruum » finem tendente, ad suam gloriam revertitur et veterem clarita- » tem recipit : verumtamen ut jam adhuc hominis forma indutus, » ac tamquam qui non habeat id quod petit. Omnia enim homini » a Deo sunt. Tametsi enim, in quantum Deus ex Deo genitus » est patre, gloriae divinae expers non erat, sed ignobili hoc » assumpto corpore dispensationis tempore eam quodammodo » contraxit, idcirco recte eam ceu revera absentem quaerit, idque » ut homo... Gloriam itaque suam, incarnatus nempe repetit. » Neque vero haec dicit, quod gloriae suae expers sit...; sed quod » ipsum suum templum ad gloriam sibi perpetuo inhaerentem » referat, immo vero cum sua carne seipsum ad illam recipiat. » propter quam ignobilitatem illam interea subiit. »

Digitized by Google

Pro suis discipulis

6. *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de
mundo. Tui erant, et mihi eos dedisti : et sermonem tuum serva-
verunt.* 7. *Nunc cognoverunt quia omnia, quae dedisti mihi, abs
te sunt.* 8. *Quia verba, quae dedisti mihi, dedi eis : et ipsi accepe-
runt, et cognoverunt vere quia a te exivi, et crediderunt quia tu
me misisti.* 9. *Ego pro eis rogo : Non pro mundo rogo, sed pro
his, quos dedisti mihi : quia tui sunt :* 10. *Et mea omnia tua
sunt, et tua mea sunt : et clarificatus sum in eis :* 11. *Et iam non
sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio. Pater
sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi : ut sint unum,
sicut et nos.* 12. *Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine
tuo. Quos dedisti mihi, custodivi : et nemo ex eis periit, nisi filius
perditionis, ut Scriptura impleatur.* 13. *Nunc autem ad te venio :
et haec loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in
semetipsis.* 14. *Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio
habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo.*
15. *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo.*
16. *De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo.* 17. *San-
ctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.* 18. *Sicut tu me
misisti in mundum, et ego misi eos in mundum.* 19. *Et pro eis
ego sanctifico meipsum : ut sint et ipsi sanctificati in veritate.*

V. 6. MANIFESTAVI NOMEN TUUM, Dei Patris creatoris et salvatoris per Filium, HOMINIBUS iis, QUOS DEDISTI MIHI DE MUNDO ex massa illa damnata (August.), e qua eos elegi, ita ut jam non sint de mundo (15, 19). — TUI ERANT aeterna electione, uti et creatione; ET MIHI in carne conversanti EOS DEDISTI discipulos, ET SERMONEM TUUM, quem ego eis locutus sum, SERVAVERUNT fide et operibus. Pater ab aeterno elegit eos et Filio suo homini dedit ut hic eos sibi in discipulos eligeret.

Digitized by Google

V. 7. NUNC, credentes in me, COGNOVERUNT QUIA OMNIA, verba et opera QUAE DEDISTI MIHI, ABS TE SUNT, te in me et per me loquente et operante (14, 10), adeoque haec divina sunt. Perfectius haec verificantur post descensum Spiritus sancti : unde possunt etiam intellegi per prolepsin dicta. Cf. 16, 30-32.

V. 8. Causa unde hoc cognoverint est, QUIA ego ex parte mea VERBA, QUAE DEDISTI MIHI, DEDI EIS, ET IPSI ex parte sua ACCEPERUNT docili aure et corde, ET consequenter COGNOVERUNT QUIA A TE EXIVI Deus de Deo, ET CREDIDERUNT QUIA TU ME per incarnationem meam MISISTI.

Quae dicit Christus a versu 6 ad 16 sensu *consequente* intellegi possunt de omnibus fidelibus tunc in Christum credentibus et de aliis qui postea credituri essent. Sensus litteralis est de solis apostolis, ut patet ex v. 12 et 17-19, ubi sermo, qui semper de iisdem procedit, exclusive apostolis convenit. Nonne ita Christus loquitur quia speciali modo in eis considerat ecclesiae suae fundamenta (Bossuet)?

V. 9. EGO, dilectus Filius tuus, PRO EIS ROGO te Patrem Deum. Quid roget, dicet infra. — NON PRO MUNDO ROGO. Hoc non dicit Dominus absolute : nemo enim quamtumvis perversus excluditur ab oratione illius qui pro crucifigentibus se rogavit veniam et pro omnibus mortuus est. Sed *tunc* non rogat pro mundo incredulo, sed pro *fidelibus* in se credentibus, pro quibus scilicet ea rogat quae mundus, id est societas impiorum, nequit accipere. Vide versus 11. 13. 15. 17. 19. — Si pro mundo rogaret, pro eo peteret paenitentiam et fidem... — Sunt qui velint Christum hic loqui de oratione sua *efficaci*, qualem non faceret unquam pro mundo, qua tali, quippe qui totus in maligno positus omnem gratiam obstinate respuit. Minus placet. — SED PRO HIS, QUOS DEDISTI MIHI per fidem, QUIA TUI SUNT. En motivum cur possit eos cum plena fiducia Patri commendare.

V. 10. ET MEA OMNIA TUA SUNT : unde et discipuli *mei* pariter *tui*; ET TUA MEA SUNT : unde qui *tui* sunt eo ipso sunt *mei*;

Digitized by Google

ET CLARIFICATUS SUM IN EIS, quatenus crediderunt me Filium tuum a te missum, quae *mea* gloria similiter *tua* est. Aequissime ergo *te* pro iis rogo, quorum non minus *te* quam *me* oportet esse sollicitum. Tales erunt apostoli praecipue post acceptum Spiritum sanctum. — His simul verbis Christus iterum suam cum Patre consubstantialitatem affirmat. Quae enim mera creatura absque impia blasphemia hoc modo Deum alloqui auderet?

V. 11. ET IAM, qua homo, NON SUM (brevi non ero) IN MUNDO, in terra, ET HI IN MUNDO SUNT, ET EGO AD TE VENIO. Ero igitur ego corporaliter ab eis avulsus. Ideo eos tibi commendo. — PATER SANCTE (sanctum invocat, quia sanctitatem praecipue pro discipulis petit), SERVA EOS IN NOMINE TUO, QUOS DEDISTI MIHI.

Quaeritur hic de ***vera lectione,*** utrum οὓς vel ᾧ δέδωκάς μοι. Item versu 12.

R. Versiculo 11 legunt οὓς codices aliqui Italae, Vulgata, versiones goth., copt., syriaca posterior, aethiopica; Patres : Athan., August., Leo, Epiphan. — Legunt ᾧ codices unciales vix non omnes inter quos א, A, B, C, aliique codices plerique. SS. Athan. et Cyrill. Alex.

Versiculo 12 fere omnes auctoritates sunt pro οὓς; legunt tamen ᾧ codices B, C additum prima manu, L, versio coptica, sahidica. Item S. Cyrill. Alex. — א omittit cum δέδωκάς μοι.

Vix non certum est S. Joannem non scripsisse οὓς in uno versiculo, ᾧ in altero. Quid scripserit non liquet.

IN NOMINE TUO, id est *tua virtute et gratia;* vel ut placet aliis, *in confessione nominis, veritatis tuae* quam ego eis revelavi. Hic alter sensus praeferendus est si legitur ᾧ δέδωκας. — UT SINT UNUM, SICUT ET NOS. Comparatio est, cujus alterum membrum patet, SICUT ET NOS : unitate divinae naturae in Patre et Filio identicae. Quae unitas cum sit incommunicabilis, jam apparet comparationis rationem esse tantum analogicam : hoc tamen comparatio ista importat, peti pro discipulis unitatem

Digitized by Google

quae inter homines possit esse perfectissima, eamque supernaturalem. Petitur unitas *intellectus* seu *fidei*, et *voluntatis* seu *caritatis mutuae supernaturalis*, eaque unitas non solum inter individuos, sed *unitas Ecclesiae socialis* quae in perfecta pastorum et ovium *subordinatione* consistat. — Triplex haec unitas eminenter in SS. Trinitate invenitur.

V. 12. Pergit Christus mentem orationis suae evolvere, idque propter adstantes discipulos. CUM ESSEM CUM EIS, EGO ipse SERVABAM EOS IN NOMINE TUO, QUOS DEDISTI MIHI, in confessione nominis tui, vel pro te, ut tuus legatus. Et quidem fidelissime munere hoc meo functus sum : siquidem QUOS DEDISTI MIHI CUSTODIVI, ET NEMO EX EIS PERIIT perditione animae per mortem in peccato, vel certe perditione per mortem corporis simul et animae (Luc. Br.), NISI FILIUS PERDITIONIS, Judas Iscariotes, filius perditionis per hebraismum dictus quia seipsum ultro in perditionem devoverat. — Ille non periit ob incuriam meam, sed UT SCRIPTURA IMPLEATUR quae ejus perditionem infallibili oraculo praedixerat. Igitur *Pater* ipse olim ejus perditionem praedixerat eventuram (Ps. 108, 8; etc.). Unde eadem *Filio* non poterat imputari. Potuisset quidem Christus absolute etiam Judam servare, majores ei gratias conferendo etc.; at simpliciter non potuit ob *voluntatem Patris* Judae perniciem permittentem, quam permissionem Pater in vaticinio declaraverat. — Observa (cum Bossuetio) particulam NISI resolvendam esse in *solummodo*, ita ut hic sit sensus : *Quos dedisti mihi custodivi omnes, et nemo ex eis periit; sed solummodo periit filius perditionis*. Judas non fuit Christo a Patre datus donatione perfecta et perpetua, neque a Christo conservatus, quia ipse conservari noluit. Qua ratione explicatur dictum Christi : *Quos dedisti mihi non perdidi ex eis quemquam* (Jo. 18, 9). De tali usu particulae *nisi* cf. Matth. 24, 36; Marc. 13, 32; Gal. 2, 16.

V. 13. NUNC AUTEM ab eis discedo et AD TE VENIO, ET HAEC verba orationis, pro eis ad te summa fiducia habitae, LOQUOR IN

Digitized by Google

MUNDO, adhucdum in eo positus, UT HABEANT GAUDIUM MEUM, quo ob unionem perfectam eorum de eis gaudeam, IMPLETUM IN SEMETIPSIS. Motivum impetrandi efficacissimum! Nihil enim potest esse Patri optatius quam si plenum possit dilecto Filio suo gaudium procurare. Cf. comment. in 15, 11.

V. 14. EGO DEDI EIS SERMONEM TUUM, ET MUNDUS EOS ODIO HABUIT. Novum motivum impetrandi : odium quo apostolos etc. prosequetur mundus, QUIA servantes sermonem Patris NON SUNT DE MUNDO. Vide ad 15, 18. 19.

V. 15. NON ROGO UT statim per mortem sanctam TOLLAS EOS DE MUNDO, sed ut in medio mundo constitutos SERVES EOS A MALO spirituali, peccato; vel accuratius : ἐκ τοῦ πονηροῦ, *a maligno personali*, *a diabolo*, principe mundi.

V. 16. DE MUNDO NON SUNT, SICUT ET EGO NON SUM DE MUNDO. Incipit nova petitio, quacum cohaeret versus hic tamquam exprimens motivum : DE MUNDO NON SUNT ... ideo *sanctifica eos...*

V. 17. SANCTIFICA EOS IN VERITATE. SERMO TUUS VERITAS EST. In graeco recepto legitur ἐν τῇ ἀληθείᾳ σου, pro qua lectione sunt documenta numero plura. At codices praestantissimi habent ut Vulgata (vide Tischendorf, edit. 8ª.) — Nota etiam graece ὁ λόγος ὁ σὸς ἀλήθειά ἐστι, sine articulo.

Quaeritur 1° quid significet ***in veritate.***

R. *1ª sententia.* IN VERITATE sumendum est adverbialiter : *vere*, *perfecte.*

Contra est statim sequi : *Sermo tuus veritas est.*

2ª sententia. *In veritate novi testamenti*, *non in figuris veteris testamenti.*

Contra est nullam hic fieri ad utrumque foedus allusionem, et statim sensum per sequentia determinari.

3ª sententia. *In doctrina veritatis quam eis nomine tui tradidi.* Sunt enim synonyma hic *veritas* et *sermo tuus*. Et statim

Digitized by Google

versu 18 sermo est de *missione apostolorum*. — Haec tenenda nobis videtur.

Quaeritur 2° quid hic significet ***sanctificare.***

R. 1ª *sententia.* *Interna animae sanctitate donare*. Ita SS. Cyrill., August., Chrysost. (qui et aliam probat), Thom. Aq. etc. Est enim, aiunt, haec significatio consueta in novo testamento. Cf. Rom. 15, 16; 1 Cor. 6, 11; 7, 14; Eph. 5, 26. 27; 1 Jo. 3, 3.

Contra est contexta oratio. Quid enim ad haec versus 18? Agitur enim in eo de missione apostolorum. — Quid versus 19? Quomodo enim se sanctificavit Christus qui ab incarnationis instanti habuit plenitudinem sanctitatis? — Affirmatio demum de consueta in N. T. significatione vocis ἁγιάζειν ad trutinam revocanda esset.

2ª sententia (S. Chrysost., Tol., Luc. Brug., Maldon., Hengstenberg, etc.). *Segregare et consecrare in ministerium aliquod sanctum*. Ita passim in V. T. (vide comment. in Jo. 10, 36). Unde sic S. Chrysost. : « Segrega eos verbo in praedicatione. » Qui sensus apprime convenit contextae orationi. Sic petit Christus ut Pater apostolos, a mundo (cujus non erant) segregatos, idoneos faciat et consecret evangelicae doctrinae praedicandae ministros, sicque confirmet in eis missionem quam ipse Filius eis dedit (v. 18).

V. 18. SICUT TU ME MISISTI IN MUNDUM, ut per doctrinae et gratiae dispensationem animas salvarem etc., ita ET EGO ipse MISI EOS IN MUNDUM, ad idem opus similibus mediis promovendum. Cf. Jo. 20, 21.

V. 19. ET PRO EIS, ut eis talem consecrationem obtineam, EGO SANCTIFICO MEIPSUM, meipsum consecro hostiam sacrificio immolandam, ut per merita mortis meae SINT ET IPSI SANCTIFICATI IN VERITATE. — S. Chrysost. : « Quid est, sanctifico » meipsum? Offero tibi sacrificium. Sacrificio vero omnia sancta » dicuntur, et proprie sancta quae Deo consecrata sunt. » — In

Digitized by Google

hoc igitur versu VOX SANCTIFICARE bis occurrens sumitur quidem eodem sensu generico at non specifico.

S. Cyrill. duas proponit expositiones, nostram et, *Ego propter eos sancto Spiritu sanctifico humanitatem meam.*

S. Thomas τὸ *sanctifico meipsum* exponit : *carnem pro eis assumo*, cui per unionem hypostaticam communico plenitudinem sanctitatis. — Est longius quaesitum.

Maldonatus hic videt allusionem ad sacrificia, quae sacerdotes in suam consecrationem offerre debebant. Tale sacrificium Christus seipsum suis praebet. — Satis placet, quamvis forte subtilius sit inventum.

Pro credituris in se

20. ***Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me :***

V. 20. Nunc oratio pro fidelibus omnibus. NON PRO EIS apostolis TANTUM ROGO, SED ET PRO EIS, QUI CREDITURI SUNT PER VERBUM EORUM et successorum eorum IN ME.

Pro suis omnibus simul

21. ***Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint : ut credat mundus, quia tu me misisti.***
22. ***Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis : ut sint unum,***
sicut et nos unum sumus. **23.** ***Ego in eis, et tu in me : ut sint consummati in unum : et cognoscat mundus, quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti.*** **24.** ***Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum : ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi : quia dilexisti me ante constitutionem mundi.*** **25.** ***Pater iuste, mundus te non cognovit; ego autem te cognovi : et hi cognoverunt, quia tu me misisti.*** **26.** ***Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam : ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.***

Digitized by Google

V. 21. UT OMNES UNUM SINT. En quod petit pro *omnibus*, sicut supra (v. 11) idipsum petivit pro apostolis. — SICUT TU PATER IN ME, ET EGO IN TE unius divinae substantiae identitate unimur, UT ET IPSI similiter per veram aliquam participationem analogam IN NOBIS UNUM SINT. Quomodo autem? Respondet S. Cyrill. Alex. : secundum animam per unionem omnium cum uno Spiritu sancto inhabitante et deificante; secundum corpus, per unionem omnium corporum cum corpore Christi eucharistico. Unio autem cum Christo eo ipso est cum Patre : ideo dicit, IN NOBIS. Vera haec expositio; addo tamen : haec duplex unio supponit unionem fidei, caritatis et subordinationis, quam procul dubio Christus hic petit etiam pro omnibus membris ecclesiae suae. — UT videndo hanc unionem mirabilem, CREDAT MUNDUS, quamtumvis perversus, QUIA TU ME MISISTI, cum in morali hoc miraculo digitum Dei nequeat non agnoscere.

V. 22. ET EGO CLARITATEM, QUAM DEDISTI MIHI, DEDI EIS, ...

Quaeritur qualis sit intellegenda haec ***claritas.***

R. 1ª *sententia* (S. Chrysost,, Euthym. etc.) *Donum miraculorum* et *mira animorum concordia.* Haec enim duo efficax erant fidei confirmandae argumentum, juxta v. 23.

Contra est *a)* Donum miraculorum non ordinatur ad uniendos apostolos, et sic non verificatur UT SINT UNUM, SICUT ET NOS. — *b)* Animorum concordiam Christus pro eis petivit *a Patre*; non igitur censetur eam *per se* jam donasse. Cf. v. 11. 20.

2ª *sententia* (SS. August., Thom. Aq. Fillion etc.). *Gloria humanitatis Christi* a Christo fidelibus aliquando communicanda.

Ratio est versus 24, ubi S. Augustinus intellegit claritatem Christo homini datam ab aeterno per praedestinationem.

Contra est *a)* hanc gloriam neque esse directe ad unionem discipulorum in terris ordinatam neque argumentum mundo pro divina Christi missione. — *b)* sic versum 24 non esse nisi explicationem versus 22, atqui tamen versu 24 petit dari claritatem *a Patre.*

Digitized by Google

3ª sententia. *Gloria divinae filiationis*, quam Pater dedit Christo per naturalem generationem, Christus justis per adoptionem, perficienda in beata visione.

Rationes. 1) Ita Jo. 1, 12 : *dedit eis potestatem filios Dei fieri.* — 2) Consonat Jo. 17, 5. 24, ubi de claritate divinitatis Christi. — 3) Hac divina filiatione revera arctissime uniuntur justi inter se, participando unam divinam Filii naturam; et haec potestas per quam Christus suis divinam adoptionem tribuit mundo demonstrat eum a Deo missum, eumque et nos a Patre summe dilectos, secundum 1 Jo. 3, 1 : *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.*

Ita S. Ambros. (De Fide, 4), Jansen. Gand. Schanz etc. — Habet solidam probabilitatem.

4ª sententia. *Gloria divinitatis*, quam Christus habuit ab aeterno et quam paulo ante discipulis suis communicaverat *dando eis SS. Eucharistiam.* — Sic enim eamdem carnem suam carni fidelium univit, et per eamdem eis divinitatem suam univit, unde omnes in Christo excellentissime inter se uniantur.

Rationes. 1) Obvium omnino erat ut Christus, loquens de unione discipulorum secum, commemoraret sacramentum illud unionis perfectissimae quod modo instituerat. — 2) 1 Cor. 10, 16. 17 : *Calix benedictionis... Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* — 3) Jo. 6, 57 : *in me manet, et ego in eo.* — 4) Hoc ipsum sacramentum egregium argumentum est divinae Christi missionis, sed et amoris Patris in nos : a Patre enim accepit Filius divinitatem suam quam dedit nobis. — 5) Versu 24 in illa sententia CLARITAS eodem sensu ac v. 22° venit. — Ita SS. Cyrill., Hilar.; Leont., Tol., Luc. Brug., Beelen. — Sententia etiam probabilis.

UT SINT UNUM inter se per communicationem divinitatis meae, SICUT ET NOS, sicut tecum unus sum per divinitatis ejusdem communicationem. — Patet τὸ *sicut* analogice tantum quamvis excellentissime in SS. Eucharistia verificari.

Digitized by Google

Praeclare de his S. Cyrillus Alex. (in h. l. : « Atque, ut brevius » dicam, et clarius, sibi ipsi datum esse ait Unigenitus quod » datum est suae carni : datum autem omnino a Patre per ipsum » in Spiritu. Modus enim unionis cum Deo aliam viam non » habet... Hanc ergo quae data est mihi, inquit, abs te, o Pater, » gratiam et gloriam, ut nimirum unum tecum sim, dedi eis, ut » sint unum sicut nos unum sumus. Unimur enim inter nos iis » modis quos prius diximus; unimur et Deo. Quo pacto vero, » Dominus clarissime nobis exposuit, suaeque doctrinae utilita» tem patefaciens : *Ego*, inquit, *in eis*, *et tu in me*, *ut sint* » *consummati in unum*. Est enim in nobis Filius, corporaliter » quidem, ut homo, nobiscum commistus et unitus per eulogiam » mysticam; spiritaliter autem ut Deus, sui Spiritus virtute et » gratia spiritum qui in nobis est instaurans in novitatem vitae, » et divinae suae naturae consortes faciens. »

V. 23. EGO IN EIS unione divinitatis, mediante corporis mei sacramento, ET (sicut) TU IN ME identica divinitatis substantia, UT ita sint CONSUMMATI IN UNUM, ut ad perfectissimam unionem promoveantur, ET COGNOSCAT per fidem MUNDUS ex mirabili illa sacramentali unione fidelium, QUIA TU ME MISISTI Deum de Deo, ET DILEXISTI EOS, SICUT ET ME DILEXISTI, elucente illa simili dilectione in ejusdem et Filio et fidelibus divinitatis communicatione (licet non eodem modo fiat haec communicatio). Cf. Jo. 3, 35, et commentarium.

V. 24. Ultima petitio pro discipulis, ut aeternae gloriae Christi fiant participes in caelis. PATER, VOLO (oro, vide Marc. 6, 25; 10, 35), UT UBI SUM EGO ab aeterno quoad divinitatem, post ascensionem quoad humanitatem, ET ILLI SINT MECUM post vitam eorum mortalem, UT VIDEANT facie ad faciem CLARITATEM MEAM, gloriam divinitatis meae, QUAM DEDISTI MIHI aeterna generatione (et humanitati meae communicaveris), QUIA in illa ipsa generatione DILEXISTI ME ANTE CONSTITUTIONEM MUNDI a tota aeternitate. — Ita exponimus juxta 17, 5 et 5, 20.

Digitized by Google

Alii volunt hanc claritatem esse humanitatis Christi quam ei contulit Pater ob dilectionem qua ab aeterno Christum hominem praevenit. — Minus placet, cum ob praedictum parallelismum cum 17, 5 et 5, 20, tum quia Christus videtur hic pro suis petere beatificam divinitatis visionem ut culmen bonorum.

V. 25. 26. Postulatam beatitatem nunc Patri ostendit esse *justum* et sibi et apostolis praemium. *Sibi* : quia NOTUM FECI EIS NOMEN TUUM, ET magis etiam NOTUM FACIAM, per Spiritum sanctum etc. — *Apostolis* : quia in media mundi incredulitate COGNOVERUNT QUIA TU ME MISISTI. — UT DILECTIO, QUA DILEXISTI ME, IN IPSIS SIT, ad eos quodammodo transeat, manifestetur autem per dona eximia gratiae, ET EGO IN IPSIS per intimam divinitatis praesentiam et perenne gratiae auxilium jugiter permaneam.

APPENDIX

Paraphrasis exegetica Jo. XVII

Cum haec locutus esset Jesus, sublevatis oculis in caelum, dixit : Pater venit hora (a tota aeternitate praedefinita) : clarifica Filium tuum, ut ipse Filius tuus clarificet te (hoc scilicet. modo) : Dedisti enim ei potestatem in humanum genus universum, ut omnibus quos dedisti ipsi (per mortem suam), conferat vitam aeternam (qua eis conferenda gloriam tuam procuret). Haec est autem hujus vitae aeternae obtinendae ratio ut cognoscant te, secus ac falsa numina, solum verum Deum, et quem misisti Jesum, Messiam esse credant.

Ego te clarificavi super terram : opus enim consummavi (redemptionis humanae) quod mihi faciendum dederas. Et nunc etiam tu, Pater, clarifica me, conferendo humanitati meae ut in ea refulgeat gloria illa quam habui, qua Deus, in sinu tuo priusquam mundus fieret, ab aeterno.

Digitized by Google

Manifestavi nomen tuum (attributa tua et doctrinam tuam) hominibus quos dedisti mihi de mundo perverso extractos. Tui erant et mihi eos dedisti discipulos : et sermonem tuum per me eis annuntiatum servaverunt. Nunc cognoverunt omnia quae dedisti mihi esse a te. Nam verba quae dedisti mihi loquenda, ego dedi eis; et ipsi acceperunt, et crediderunt te misisse me. Ego pro eis oro te : non pro mundo perverso (nunc) oro, sed pro his quos dedisti mihi discipulos, quia tui sunt. Sicut mea omnia tua sunt et tua mea sunt; et clarificatus sum per ipsos (in me credentes).

Et jam mox non ero in mundo vita temporali fruens, et hi in mundo sunt, et ego per ascensionem in caelum ad te venio. Pater sancte, (postquam ego abiero), serva eos in confessione nominis tui quos dedisti mihi : ut sint inter se unum sicut et nos. Quamdiu eram cum eis, *ego* servabam eos in confessione nominis tui. Quos dedisti mihi custodivi (ab omni pernicie) et nemo ex iis periit, sed periit solummodo (Judas) qui perditioni (ob culpam suam) debebatur. (Neque ejus perditio incuriae meae adscribenda est. Nam perire ille debebat) ut Scriptura impleretur quae ejus perditionem praedixerat. Nunc autem ad te venio : et haec loquor in mundo adhuc constitutus, ut habeant in se unde plene de eis gaudeam. Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus perversus eos odio habuit, quia non pertinent ad mundum, sicut et ego ad mundum non pertineo. Non rogo ut per mortem tollas eos de mundo sed ut serves eos ab hoste maligno. De mundo non sunt sicut et ego non sum de mundo. Consecra eos tibi in munere praedicandae veritatis, quae veritas est sermo tuae doctrinae. Sicut tu me misisti in mundum, ita et ego misi eos in mundum; et pro eis meipsum in victimam devoveo, ut sint et ipsi in veritate credenda et praedicanda inviolabiliter consecrati.

Non pro eis, discipulis hisce meis, rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum praedicationis eorum in me. Ut omnes unum sint (intellectu, voluntate, subordinatione) sicut tu,

Digitized by Google

Pater, in me es et ego sum in te, ut et ipsi in nobis uniti unum sint : ut credat mundus te misisse me (videndo hanc mirabilem ecclesiae meae unitatem).

Et ego claritatem (divinitatem) meam quam (per aeternam generationem) dedisti mihi, dedi eis (per gratiam sanctificantem et per sacramentum corporis et sanguinis mei eis traditum), ut sint unum sicut et nos unum sumus : ego in eis et tu in me, ut unionem habeant ad omnem perfectionis apicem consummatam : ut cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos sicut et me dilexisti.

Pater, volo ut ii quos dedisti mihi ibi sint mecum ubi ego sum in caelesti beatitate : ut videant claritatem divinitatis meae, quam dedisti mihi ante constitutionem mundi, quia dilexisti me ab aeterno.

Pater juste, unicuique secundum merita rependens, mundus perversus te non cognovit; ego autem te cognovi, et hi cognoverunt quia tu me misisti; et ego porro notum feci eis nomen tuum, attributa tua et doctrinam, et deinceps etiam notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me in ipsis sit (ceu praemium fidelitatis), et ego in ipsis (per intimam cum eis unionem et gratiae praesens auxilium).

SCHOLION DOGMATICUM

A) Pro ***divinitate Christi*** argumenta praebent v. 5. 21. 24. Versiculis 5 et 24, ex aeternitate exsistendi probatur Christus esse supra omnem creaturam adeoque Deus. Nam haec aeternitas in veteri testamento habebatur ut attributum divinitatis. — Versus 21 consubstantialitatis dogma confirmat.

B) Pro ***unitate, ut est nota Ecclesiae,*** recte afferuntur versus 11. 21. 22. 23. Vult enim Christus ut ex illa unitate credat mundus divinam suam missionem. Et nulla ratio est dubitandi quin eam unitatem pro fidelibus suis petierit oratione efficaci,

Digitized by Google

non secus ac pro eis efficaciter petiit caelestem gloriam versu 24. — Tandem cum illa unitas debeat analogice repraesentare unionem inter Patrem et Filium adeoque esse perfectissima, sequitur inter fideles debere esse unitatem intellectuum per fidem, voluntatum per caritatem, ordinis seu regiminis per debitam subordinationem. Patet autem unitatem fidei et regiminis exsistere absque miraculo non posse sine *principio unitatis* in docendo et regendo, a Christo stabilito. Oportet ergo (quod ex aliis fontibus directe et clare probatur) ut sit in Ecclesia docendi et regendi legitima auctoritas suprema, omnia ad unitatem dirigens.

C) Ejusdem docendi auctoritatem ***infallibilem esse,*** nobis videtur posse confirmari ex versiculis 17-19, ubi petitur a Christo, ut apostoli, quos misit sicut ipsum misit Pater, sint *sanctificati in veritate*, id est *in doctrina divina*. — Dico *confirmari* : nam ipsa *missio* praedicandi veritatem verba Christi aliquousque posset verificare. Vix tamen videtur proportio inter apostolorum meram missionem et inter mortem quam Christus pertulit (v. 19) ut eis obtineret illam in veritate sanctificationem. — Digna vero proportio est si donum infallibilitatis pro eis rogari admittitur.

D) Pro ***universalitate redemptionis*** argumento est versus 2, ubi Christo data dicitur potestas super omnes homines, *ut det eis*, omnibus scilicet, *vitam aeternam*.

Digitized by Google

CAPUT XVIII

Argumentum. Jesus cum discipulis suis tendit in hortum olivarum, ubi se sponte tradit turbae armatae a Juda ductae, quam tamen antea verbo prostraverat (1-7). — Petrum volentem Magistrum gladio tueri prohibet, et turbae interdicit ne discipulis manus injiciat (8-11). — Jesus vinctus ducitur ad Annam : prima negatio Petri (12-18). — Deinde ductus ad Caipham, ab illo pontifice interrogatus alapa caeditur. Altera et tertia negatio Petri (19-27). — Ducitur ad Pilatum, qui accusatores primum remittit (28-32); deinde tamen Jesum interrogat et innoxium pronuntiat (33-38). — Barabbae Christus a populo postponitur (39-40).

Jesus se tradit inimicis

1. Haec cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans Torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, et discipuli eius. 2. Sciebat autem et Iudas, qui tradebat eum, locum : quia frequenter Iesus convenerat illuc cum discipulis suis. 3. Iudas ergo cum accepisset cohortem, et a Pontificibus, et Pharisaeis ministros, venit illuc cum laternis, et facibus, et armis. 4. Iesus itaque sciens omnia, quae ventura erant super eum, processit, et dixit eis : Quem quaeritis? 5. Responderunt ei : Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus : Ego sum. Stabat autem et Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. 6. Ut ergo dixit eis : Ego sum : abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. 7. Iterum ergo interrogavit eos : Quem quaeritis? Illi autem dixerunt : Iesum Nazarenum.

V. 1. HAEC CUM DIXISSET IESUS, EGRESSUS EST civitate : Christus enim (ut probabilius opinamur) inter eundum a cenaculo ad hortum pronuntiaverat partem sermonis capitibus XV et XVI

Digitized by Google

contentam (vide commentarium ad 14, 31 et 15, 1); cum autem pervenisset ad torrentem Cedron, qui ibi secundum urbis parietes fluebat, censendus est cum discipulis suis paululum substitisse ut orationem capitis XVII ad Patrem funderet, qua terminata, transeundo torrentem civitate egressus est.

— TRANS TORRENTEM CEDRON. In graeco recepto : πέραν τοῦ χειμάῤῥου τῶν κέδρων, *trans torrentem cedrorum*. Aliqui tantum codices habent τοῦ κέδρου. Nihil tamen dubitandum quin Joannes scripserit τοῦ κέδρων vel κέδρον. Noverat enim nomen hebraicum, in V. T. saepe occurens, קִדְרוֹן, *turbidus*. — Dicitur graece χείμαῤῥος, id est *hieme fluens*. Aestivo quippe tempore siccus erat. Ita Gulielmus Tyrius. — Cur speciatim ille transitus hic notatur? Probabiliter ob 2 Sam. 15, 23, ubi David fugit ante Absalom et typum Christi passuri gessit. — UBI ERAT HORTUS, in villa Gethsemani (גַּת שְׁמָנָא, *gath-schemanê, cupa olei)*. Haec villa sita erat ad montem olivarum (Luc. 22, 39) ex parte orientali civitatis. — Jesus procul dubio possessore hujus praedii familiariter utebatur, vel certe hortus erat publicus.

V. 2. FREQUENTER CONVENERAT ILLUC, ultimis praesertim diebus. Cf. Marc. 11, 11. 19; Luc. 21, 37, ubi referunt Jesum solitum tunc fuisse noctes agere Bethaniae in monte olivarum.

V. 3. COHORTEM, τὴν σπεῖραν, quam ducebat tribunus, ὁ χιλίαρχος (v. 12), ergo e militibus romanis bene multis constantem, quae, si qua pro Jesu oriretur populi seditio, vim vi repellere posset (1)... MINISTROS, ὑπηρέτας, puta e custodia templi etc. — CUM LATERNIS..., quamvis esset plenilunium, ut vel in abditis locis Jesum invenirent.

V. 4. IESUS ITAQUE SCIENS, id est, quamvis sciret. Quod sedulo notat Joannes, cum ad argumentum divinae scientiae

(1) Cohors erat praetoria, qualis usque ad 600 capita numerare solebat. Ejus magnam certe partem in hortum convenisse merito concluditur ex eo quod ipse χιλίαρχος ibi aderat imperans.

Digitized by Google

Jesu tum ut constaret eum sponte passionem suam obire. — PROCESSIT, post acceptum Judae osculum. Judas enim antecedebat eos (Luc. 22, 47). Jesus nedum fugeret, PROCESSIT, ET DIXIT EIS : QUEM QUAERITIS? Interrogat ut occasionem praebeat τῷ *Ego sum*. Haec interrogatio non supponit eos non percepisse signum datum a proditore. Viderant quidem; sed vel Christi procedentis majestate vel ejusdem omnipotenti voluntate prohibebantur quominus ilico in eum irruerent.

V. 5. STABAT... IUDAS... CUM IPSIS, post osculum statim ad eos reversus.

V. 6. ABIERUNT RETRORSUM, ac si ab adversario in pectore perculsi essent, ET CECIDERUNT supini IN TERRAM, Judas sane cum ipsis. — Ratio hujus prodigii duplex erat : ut Christus inimicis gratiam paenitentiae praeberet et eis palam faceret ipsos nihil in se posse nisi quatenus permitteret.

Suos tuetur, Petrum corripit

8. ***Respondit Iesus : Dixi vobis, quia ego sum : si ergo me quaeritis, sinite hos abire.*** **9.** ***Ut impleretur sermo, quem dixit : Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*** **10.** ***Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum : et percussit pontificis servum : et abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen servo Malchus.*** **11.** ***Dixit ergo Iesus Petro : Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?***

V. 8. Dum se inimicis suis tradit Jesus, efficaci verbo jubet eos ne discipulos tangant.

V. 9. SERMO ILLE (17, 12) est de morte animae, a qua praeservat discipulos, non sinendo eos comprehendi. Comprehensi enim facile in peccatum incidissent. — Lucas Brug. existimat Christum locutum esse de morte utraque, quod etiam admitti potest. — Christum vero ad Patrem dixisse de morte animae, et

Digitized by Google

evangelistam ad mortem corporis verba ejus accommodasse, merito rejicitur.

V. 10. SIMON ERGO PETRUS... Solus Joannes eum nominat. Synoptici nomen percutientis discipuli tacent, forte quia Petrus, quando scribebant, nondum obierat. — A solo etiam Joanne datur nomen servi *Malchus* (מַלְכָּא, *rex);* quem solus utique videtur cognovisse, quippe qui esset notus pontifici (v. 15).

V. 11. ... CALICEM QUEM DEDIT MIHI PATER... Metaphora est Hebraeis usitata : Pater familias ad mensam calicem domesticis suis propinabat. Interrogatio est admirantis, et enuntiantis se ad passionem ire ut obediat Patri.

Jesus apud Annam

12. ***Cohors ergo, et tribunus, et ministri Iudaeorum comprehenderunt Iesum, et ligaverunt eum :*** **13.** ***Et adduxerunt eum ad Annam primum, erat enim socer Caiphae, qui erat Pontifex anni illius.*** **14.** ***Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudaeis : Quia expedit, unum hominem mori pro populo.*** **15.** ***Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, et alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, et introivit cum Iesu in atrium pontificis.*** **16.** ***Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, et dixit ostiariae : et introduxit Petrum.*** **17.** ***Dixit ergo Petro ancilla ostiaria : Numquid et tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille : Non sum.*** **18.** ***Stabant autem servi, et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se : erat autem cum eis et Petrus stans, et calefaciens se.***

V. 12. TRIBUNUS, ὁ χιλίαρχος, is qui praeerat omnibus militibus romanis arcem Antoniam occupantibus. — ET MINISTRI IUDAEORUM, qui et ipsi adjuvabant, COMPREHENDERUNT IESUM.

V. 13. ET ADDUXERUNT EUM AD ANNAM PRIMUM. Solus

Digitized by Google

Joannes hoc habet. τὸ PRIMUM satis insinuat, eos deinde Jesum adduxisse ad Caipham, quod ex Synopticis notum erat et hic ideo a Joanne dici non debebat. — Datur autem ratio cur Jesum duxerint ad Annam. ERAT ENIM SOCER CAIPHAE, QUI ERAT PONTIFEX ANNI ILLIUS. Annas erat vir in ordine sacerdotali auctoritate praecellens. Teste Josepho (Ant. 18, 2, 2) quinque filios suos post se pontifices summos numeravit. — Sunt qui putent, Judam Annae praedam suam ostendere debuisse ut proditionis pretium reciperet. At sufficit ratio data ab evangelista. — PONTIFEX ANNI ILLIUS, id est illo anno. Jam a pluribus annis Caiphas erat summus pontifex et mansit toto tempore regiminis Pilati. Frequens tamen pontificum mutatio inducere poterat modum loquendi : *pontifex anni illius*. Vide ad Jo. 11, 49.

V. 14. Vide ad 11, 50.

Quaeritur utrum quae a versu 15 narrantur acta sint ***in domo Annae,*** an ***in domo Caiphae.***

R. Sola dubitandi ratio est versus 24 : *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem*. Sed quod ibi dicitur habendum est ut difficultas (proprio loco solvenda) contra certam sententiam : omnia scilicet quae narrantur a versu 15 ad 23 acta fuisse in domo Caiphae.

Nam 1) acta sunt in domo τοῦ ἀρχιερέως, qui unus erat Caiphas (v. 15. 19. 22). — 2) Petri triplex negatio facta est in domo Caiphae, ut patet ex Synopticis (Matth. 26, 58. 69-75; Marc. 14, 54. 66-72; Luc. 22, 55-62). — 3) solius summi pontificis erat Jesum interrogare (v. 19) in medio synedrio, *ubi scribae et seniores et omnes sacerdotes convenerant* (Matth., Marc.).

V. 15. SEQUEBATUR AUTEM IESUM SIMON PETRUS a longe (Marc. 14, 54) ET ALIUS DISCIPULUS, ambo reversi a fuga quam in horto ceperant. ALIUS iste DISCIPULUS graece dicitur ὁ ἄλλος μαθητής (cum articulo) estque ipse evangelista, qui pluries hoc vocabulo se designat. Ita Jo. 20, 2. 3. 4, ubi etiam addit : *quem*

Digitized by Google

amabat Iesus. — ERAT NOTUS PONTIFICI adeoque etiam familiae ejus. Et quia notus potuit intrare.

V. 16. PETRUS AUTEM, qui non erat notus et ideo intrare cum Joanne non audebat, STABAT AD OSTIUM FORIS. Advertens autem Joannes Petrum post se non intrasse, EXIVIT ex atrio in quod jam intraverat. — Atrium istud horto claustrali monasterii non absimile erat. — ET DIXIT OSTIARIAE, petens ut amico suo aperiret, ET sic INTRODUXIT PETRUM. Jesus tunc intus erat in aula summi pontificis. Quo tunc Joannes se contulerit prorsus latet. Non apparet denuo nisi juxta crucem Domini.

V. 17. Prima Petri negatio. — ANCILLA OSTIARIA. Ex Synopticis noveramus eam fuisse *unam ex ancillis summi sacerdotis.* Novit haec ancilla Joannem esse Jesu discipulum, unde conjicit etiam Petrum, a Joanne introductum, discipulum esse Jesu : interrogat ergo ut certior fiat. Antea dixerat adstantibus : *Et hic cum illo erat.* (Luc 24, 56).

V. 18. ERAT... PETRUS CUM EIS STANS, ET CALEFACIENS SE. Ibi Petrum stantem videt ancilla et vultum ejus ad lumen carbonum flammantium agnoscit (Luc. 22, 56). Servi illi erant ibi sub dio adeoque *foris* (Matth.) quoad aulam concilii, et *deorsum* (Marc.) quoad eam aulam et quoad vestibulum portae : nam e vestibulo ad atrium per gradus aliquot descendebatur. Ignis accensus erat *in medio atrii.* — Domus Caiphae adhuc reliquiae supersunt, in quibus supradicta verificantur (De Buck). — Dum ibi versabatur Petrus, Jesus erat in aula summi sacerdotis, quae sita erat e regione vestibuli. — Petrus autem post negationem primam *exiit foras ante atrium,* ad vestibulum se conferens, et tunc factum est prius gallicinium nocturnum quod solus Marcus commemorat (Marc. 14, 68).

Jesus apud Caipham

19. ***Pontifex ergo interrogavit Iesum de discipulis suis, et de doctrina eius.*** **20.** ***Respondit ei Iesus : Ego palam locutus sum***

Digitized by Google

mundo : ego semper docui in synagoga, et in templo, quo omnes Iudaei conveniunt : et in occulto locutus sum nihil. **21.** *Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis : ecce hi sciunt quae dixerim ego.* **22.** *Haec autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens : Sic respondes pontifici?* **23.** *Respondit ei Iesus : Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo : si autem bene, quid me caedis?* **24.** *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.* **25.** *Erat autem Simon Petrus stans, et calefaciens se. Dixerunt ergo ei : Numquid et tu ex discipulis eius es? Negavit ille, et dixit : Non sum.* **26.** *Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam : Nonne ego te vidi in horto cum illo?* **27.** *Iterum ergo negavit Petrus, et statim gallus cantavit.*

V. 19. PONTIFEX, Caiphas scilicet, adstantibus illis de synedrio qui comprehensioni Christi adfuerant (vel forte coram toto synedrio) Jesum noctu interrogat. Postridie mane (Luc. 22, 66) coram toto synedrio res acta est, nisi jam nocte etiam coram toto synedrio comparuerit Christus. Cf. Matth. 26, 57; Marc. 14, 53. — DE DISCIPULIS : quid sibi vellet assiduus ille discipulorum comitatus; numquid ad seditionem commovendam? ET DE DOCTRINA EIUS, in ea ansam accusationis de blasphemia quaerens.

V. 20. Jesus de *discipulis* nihil respondit : satis enim constabat eos non esse nisi *doctrinae auditores* : ideo de hac doctrina respondisse satis erat. Affirmat autem de DOCTRINA, eam fuisse palam et coram toto populo propositam ET, ait, IN OCCULTO LOCUTUS SUM NIHIL, quod sit publicae meae doctrinae contrarium. Sic enim intellegendum hic est responsum. Jesus enim multa solis discipulis dixerat, sed non ideo doctrina ejus secreta fuit. — S. August. (in h. l.) : « Ergo et hoc ipsum » quod ab ipso dici videbatur occulte, quodammodo non dice- » batur in occulto : quia non ita dicebatur, ut ab eis quibus

Digitized by Google

» dictum fuerat taceretur; sed ita potius, ut usquequaque » praedicaretur. »

Commentatores ascetici aliam solent dare explicationem silentii a Christo servati circa discipulos. Nolebat, aiunt, famae illorum detrahere, nihil quippe boni potuisset de iis proferre qui turpi fuga Magistrum modo dereliquissent. Non adeo placet haec explicatio : tacita enim discipulorum fuga, multa sane optimus Magister reperisset quae potuisset ad eorum laudem in medium adducere.

V. 21. QUID *ME* INTERROGAS? Non est reprehensio, sed modo dictorum logica conclusio. Doctrina mea publica fuit : recte igitur provoco ad testimonium auditorum, quorum potius testimonium quam meum in re mea valere debet. — ECCE HI SCIUNT.... Sunt qui velint Christum hic assidentes synedristas indigitasse, quod non est improbabile (Tol.); alii referunt pronomen *hi* ad auditores Christi generatim. Graece : ἐπερώτησον τοὺς ἀκηκοότας, τί ἐλάλησα αὐτοῖς, ubi τί ἐλάλησα est habendum ut regimen verbi ἐπερώτησον.

V. 22. DEDIT ALAPAM, ῥάπισμα, quod non tantum *alapam* sonat, sed *ictum* manu, fuste etc. inflictum. Syriaca versio habet ܡܚܝܗܝ ܥܠ ܦܟܗ, *percussit eum super maxillam ejus.* Accedit Matthaeum (5, 39) habere ῥαπίσει, *alapam dederit.* Favet igitur versioni vulgatae et parallelismus N. T. et traditio priorum saeculorum per versiones syriacam et latinam repraesentata. Cf. etiam Is. 50, 6. Ita etiam S. Cyrillus exponit. Fueritne ista alapa inflicta nuda manu an manu chirotheca correa vel ferrea armata, tacet traditio. Hoc alterum non est improbabile, si MINISTER ille fuerit unus de custodia templi, ut habet Cyrillus (qui rationem alapae dat, quod ille verbis Christi se notatum putaret. Cf. Jo. 7, 45. 46. Sufficiens tamen ratio innuitur in evangelio hic, quod scilicet vellet ille homo se pontifici gratum facere ejus honorem vindicando). — SIC arroganter RESPONDES PONTIFICI?

Digitized by Google

V. 23. Mite responsum impudentissimo servo dat Dominus, quo inflictam sibi in pontificem contumeliae calumniam avertat. Legitimae enim auctoritati, etiam in homine pravo, sua semper debetur reverentia.

In haec S. August. : « Si cogitemus quis acceperit alapam, » nonne vellemus eum qui percussit, aut caelesti igne consumi, » aut terra dehiscente sorberi, aut correptum daemonio volutari, » aut aliqua hujusmodi qualibet poena, vel etiam graviore puniri? » Quid enim horum per potentiam jubere non potuisset per » quem factus est mundus, nisi patientiam nos docere maluisset » qua vincitur mundus? »

Post haec Caiphas, auditis testibus et dimisso concilio, Jesum damnatum servis suis et templi apparitoribus permisit. Qui Jesum ex aula duxerunt in atrium et ibi multis conviciis impetiverunt.

Sunt qui velint Jesum post condemnationem fuisse in carcere illa nocte servatum et ibi a servis pontificis contumeliis affectum. Probabilius tamen putamus haec convicia Christo illata fuisse in atrio, quod ministris pontificis permissum fuisse ex historia negationum Petri novimus. Ultimam forte noctis partem egit Jesus in carcere, nisi tota nocte ludibriis ministrorum expositus manserit.

Mane rursus congregatum fuit synedrium (Matth. 27, 1; Marc. 15, 1; Luc. 22, 66) ut Jesum condemnatum morti traderet

V. 24. ET MISIT EUM ANNAS LIGATUM AD CAIPHAM PONTIFICEM. Hic versiculus seriam facit difficultatem (1). Itaque

Quaeritur de rerum hic narratarum ***ordine historico.***

Notandum prius, particulam *et* deesse in graeco, ubi tantum legitur ἀπέστειλεν. Aliqui codices addunt οὖν vel δὲ. Unde haec phrasis non debet necessario necti praecedentibus tamquam se-

(1) S. Cyrillus habet haec post versiculum 13; sed talis lectio nullam habet pro se testimonium codicum vel versionum. Codex 225 habet ea post πρὸς Ἄνναν πρῶτον.

Digitized by Google

quela historica; sed potius consideranda est ut aperiens novam narrandi seriem, de negatione nempe Petri secunda. Primam negationem Petri narraverat evangelista v. 17 et 18, et, interjecta interrogatione pontificis, pergit nunc ad secundam, et incipit : MISIT EUM ANNAS... Quorsum autem hoc commemorat?

R. 1a sententia. Annas habitabat in domo Caiphae, et in suis aedibus Christum interrogavit; ubi etiam minister Jesum alapa percussit. Neque obstat Annam vocari ἀρχιερέα : nam ita et Lucas eum vocat (3, 2). Si ita res se habuit, perfecte servatur series rerum historica, ut passim fit a S. Joanne : prima scilicet negatio Petri acta est in atrio pontificis, Jesu versante coram Anna; secunda et tertia in eodem atrio, Jesu versante coram Caipha.

Contra est a) Jo. 18, 13. 14. 24 solus Caiphas dicitur ἀρχιερεύς : ergo et v. 19 et 22 non alius ac Caiphas potuit designari. — *b)* Textus Lucae (3, 2) non est ad rem : ibi enim de pluribus pontificibus sermo est, hic de uno, qui cum articulo dicitur ὁ ἀρχιερεύς.

2a sententia. MISIT est pro ***miserat***, ut saepe in N. T. Ita Jo. 18, 26 : ***abscidit***; Matth. 26, 48 : ***dedit***; Marc. 16, 14 : ***crediderunt***. Evangelista ergo post narratam interrogationem Jesu apud Caipham, ita explicat quomodo Jesus, quem ductum ad Annam dixerat, apud Caipham fuerit interrogatus.

Contra est a) Non videtur sufficiens ratio, cur, si potuit evangelista id omittere ante v. 15, nunc demum id ponat. — *b)* Si haec fuisset mens Joannis, clarius eam pro more suo exposuisset.

Est tamen probabilis sententia.

3a sententia. MISIT non est pro ***miserat***, sed est tempus historicum. Ponitur scilicet haec phrasis ut moneamur secundam Petri negationem actam fuisse dum Christus duceretur ab Anna ad Caipham. Annas enim, aiunt, vel habitabat in domo Caiphae, in ea occupans aedium partem (Hengst., Fouard, p. 45); vel certe tunc in eadem ac Caiphas domo versabatur (Patrizi) : unde

Digitized by Google

quando Jesus ab Anna ad Caipham ducebatur transire per atrium Caiphae debuit (1).

Contra est Jerosolymis ostendi domum Annae aliam a domo Caiphae; haec tamen traditio valde incerta est.

Hanc sententiam adoptamus, ideo praesertim quod optime dat rationem interruptae narrationis negationum Petri : prima facta fuerit Christo apud Annam versante, aliae postquam Annas Christum dimiserat.

Unde sic : *Misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.* ***Tunc*** autem *erat Petrus stans et calefaciens se.*

V. 25. ERAT AUTEM SIMON PETRUS STANS, ET CALEFACIENS SE in medio atrii, quo post pusillum (Luc.) reversus fuerat. DIXERUNT ERGO EI plures, quorum unum memorat Lucas; dicunt autem Matthaeus et Marcus ancillam ostiariam et aliam circumstantibus (ad januam, ut videtur) dixisse : *Et hic erat cum Iesu Nazareno;* quibus Petrus negavit cum juramento. Cogita eum tunc a vestibulo venisse ad medium atrium, ubi unus primum, deinde multi simul ei dixerint quae hic dicta ponuntur, et habebis totum complexum secundae negationis, prout a quattuor evangelistis refertur.

V. 26. Tertia negatio *quasi horae unius* spatio (Luc.) post secundam. Rursus plures Petrum alloquuntur, cognato Malchi insistente, ut qui eum in horto vidisset. Magnum sane Petro periculum ob abscissam aurem!

V. 27. ITERUM ERGO NEGAVIT PETRUS, jurans et anathematizans (Marc. 14, 71); ET STATIM GALLUS CANTAVIT, auroram praecinens : unde apparet impletum vaticinium Christi, Jo. 13, 38. Tunc *conversus Dominus respexit Petrum* (Luc. 22, 61). Ergo circa auroram Christus in atrio erat in conspectu Petri. Vel

(1) Sunt qui velint Christum ita transeuntem *respexisse Petrum*. Sed obstat quod hic aspectus fuit post negationem tertiam, quae facta est hora una Luc.) post secundam.

Digitized by Google

tunc versabatur in manibus ministrorum ipsi illudentium vel certe, e carcere ad synedrium eductus (Luc. 22, 66), per atrium transiit. — Ob illum aspectum *recordatus est Petrus verbi Domini... et egressus foras flevit amare.* (Luc. 22, 61. 62).

Jesus Pilato sistitur

28. ***Adducunt ergo Iesum a Caipha in praetorium. Erat autem mane : et ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* 29. *Exivit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit : Quam accusationem affertis adversus hominem hunc;* 30. *Responderunt, et dixerunt ei : Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* 31. *Dixit ergo eis Pilatus : Accipite eum vos, et secundum legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudaei : Nobis non licet interficere quemquam.* 32. *Ut sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus.***

V. 28. ADDUCUNT ERGO IESUM, cum factus esset dies, mane (Matth., Marc., Luc.) synedristae omnes A CAIPHA IN PRAETORIUM (πραιτώριον), ubi praeses romanus jus dicebat. Praesides romani in Palaestina solebant quidem Caesareae residere, sed diebus festivis majoribus Jerosolymis degebant ad seditiones etc. praecavendas vel reprimendas (Jos. Bell. jud., 2, 14, 3). Occupabant tunc palatium regium, quod Herodis olim fuerat, situm in monte Sion (Jos. ib. 2, 14, 8). Videtur tamen Pilati praetorium tunc fuisse in arce Antonia. Hoc certe concordat traditioni a saeculo IV Jerosolymis vigenti. Vide Fouard, op. cit., p. 81-83. — ERAT AUTEM MANE, puta hora nostra septima. Pilatus fuerit a synedristis praemonitus ut eos ante consuetam horam (nonam) reciperet; ET IPSI NON INTROIERUNT, sed remanserunt ante porticum ad quam ascendebatur per gradus viginti octo, cujus adhuc supersunt vestigia. — UT NON CONTAMINARENTUR, juxta traditiones pharisaeorum, SED UT MANDUCARENT eo ipso die,

Digitized by Google

ante solis occasum, PASCHA, sacrificium ***chagiga***, quod 15° Nisan offerendum erat (vide dissert. praev. ad cap. XIII, p. 352-355).

V. 29. EXIVIT ERGO PILATUS, quem Joannes nunc primum nominat et tamen non dicit eum esse illum praesidem de quo statim supra : eum ergo notum supponit ex Synopticis. — AD EOS FORAS, sistens se in porticu supradicta ET DIXIT : QUAM ACCUSATIONEM AFFERTIS... Vult Pilatus, jure sibi competente, ab examine causae exordiri.

V. 30. ... SI NON ESSET HIC MALEFACTOR et ut talis a nobis convictus et judicatus, NON TIBI TRADIDISSEMUS EUM morte plectendum. Minores poenas synedrium per seipsum infligere poterat; causae capitales quoad examen et exsecutionem praesidi Syriae, et tunc, ex hujus delegatione, procuratori Judaeae reservatae erant. Volunt per audaciam impedire quominus Pilatus causam instruat et obtinere ut, incognita causa, ipsorum judicium confirmet. Hoc eorum consilium probe perspiciens Pilatus vult eos dimittere, dicens :

V. 31. ACCIPITE EUM VOS, ET SECUNDUM LEGEM VESTRAM IUDICATE EUM. Quibus verbis Pilatus cedit jure suo, et permittit Judaeis ut ipsi Jesu causam terminent. — Data facultate Judaei uti renuunt, volentes sane necis Christi invidiam a se avertere et in Romanos rejicere. Ideo respondent : Non possumus, NOBIS NON LICET INTERFICERE QUEMQUAM. Haec utique potestas ipsis ablata fuerat.

V. 32. Ita Judaei inscii fecerunt, UT SERMO IESU IMPLERETUR QUEM DIXIT, spiritu prophetico, SIGNIFICANS QUA MORTE ESSET MORITURUS, morte nempe crucis sibi a ***gentilibus*** inferenda. Ita Matth. 20, 19; Jo. 3, 14; 8, 28; 12, 32-34. Secundum legem *Judaeorum* Jesus, damnatus blasphemiae, lapidari debuisset (Lev. 24, 14).

Prima apud Pilatum interrogatio

33. *Introivit ergo iterum in praetorium Pilatus, et vocavit*

Digitized by Google

Iesum, et dixit ei : Tu es rex Iudaeorum? 34. Respondit Iesus : A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? 35. Respondit Pilatus : Numquid ego Iudaeus sum? Gens tua, et pontifices tradiderunt te mihi : quid fecisti? 36. Respondit Iesus : Regnum meum non est de hoc mundo : Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Iudaeis : nunc autem regnum meum non est hinc. 37. Dixit itaque ei Pilatus : Ergo rex es tu? Respondit Iesus : Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati : omnis qui est ex veritate audit vocem meam 38. Dicit ei Pilatus : Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Iudaeos, et dicit eis : Ego nullam invenio in eo causam.

Propositione sua rejecta, non jam audet Pilatus Judaeis invitis causam Jesu a se removere.

V. 33. Igitur Judaei, coacti accusationes proferre, tres enuntiant (Luc. 23, 2) : *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram et prohibentem tributa dare Caesari, et dicentem se Christum regem esse.* Pilatus circa tertiam solam interrogat Jesum : duae enim priores tertia nitebantur. Interrogat Jesum in praetorio seorsum. Jesus ergo ductus a satellitibus romanis ascendit scalam et venit in aulam porticui adjacentem. Pilatus DIXIT EI : TU ES REX IUDAEORUM? Haec enim erat tertia accusatio. Intendit Pilatus Christum interrogare, num seipsum dicat eximium illum regem temporalem Messiam, qualem noverat Judaeos praestolari.

V. 34. A TEMETIPSO HOC DICIS quasi qui, ut praeses, per temetipsum contra me rebellionis suspicionem acquisieris, AN ideo tantum interrogas quia ALII TIBI DIXERUNT DE ME? Ita Christus, ut Pilati mentem ad iniquitatem accusationis attentam faciat.

V. 35. RESPONDIT PILATUS, probe sciens *quod per invidiam tradidissent eum* (Matth. 27, 18), et aegre ferens se in hac causa

Digitized by Google

molesta versari : NUMQUID, ait, EGO IUDAEUS SUM, qui per meipsum possim de rebus quae inter vos agitantur cognoscere? GENS TUA ET PONTIFICES tui, primores Judaeorum et in sacris eorum versati, TRADIDERUNT TE MIHI : QUID FECISTI unde rationem te accusandi habeant?

V. 36. Inanem esse Judaeorum accusationem statim Jesus ostendit. Se regem esse non absolute negat sed, ait, REGNUM MEUM NON EST DE HOC MUNDO : non est mundanum, sed spirituale, desursum est adeoque nihil Caesaris regnum offendit. Et ita esse constat : nam SI EX HOC MUNDO ESSET, MINISTRI MEI, quos tunc ut omnes regnum affectantes armatos mecum haberem, UTIQUE DECERTARENT... NUNC AUTEM, ut patet ex adjunctis, REGNUM MEUM NON EST HINC.

Christus non dicit, *non est in hoc mundo*. Est enim regnum ejus vere *in* hoc mundo, sicut discipuli ejus in mundo sunt (17, 11); sed sicut ipsi non sunt *de* hoc mundo (17, 14), ita et Christi regnum non est *de* hoc mundo. Hic non excluduntur ab Ecclesia *externi regiminis* jura; immovero jus habet Ecclesia adhibendi omnia media externa quae conducunt ad regnum spirituale supernum tuendum ac promovendum, et nulli potestati quae sit *de hoc mundo* licet hoc jus in aliqua re infringere.

Egregie S. Augustinus (in h. l.) : « Dicit quidem in prophetia » de Deo Patre : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion* » *montem sanctum eius* : sed Sion illa et mons ille non est de hoc » mundo. Quod est enim ejus regnum nisi credentes in eum, » quibus dicit : *De mundo non estis, sicut et ego non sum de* » *mundo?* Quamvis eos esse vellet in mundo : propter quod de » illis dixit ad Patrem : *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut* » *serves eos ex malo.* Unde et hic non ait, *Regnum meum non est* » in *hoc mundo*; sed *non est* de *hoc mundo.* Et cum hoc probaret » dicens, *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei* » *utique decertarent, ut non traderer Iudaeis* : non ait, *Nunc* » *autem regnum meum non est hic*; sed, *non est hinc.* Hic est

Digitized by Google

» enim regnum ejus usque in finem saeculi, habens inter se » commixta zizania usque ad messem; messis enim finis est » saeculi, quando messores venient, id est angeli, et colligent de » regno ejus omnia scandala; quod utique non fieret, si regnum » ejus non esset hic. Sed tamen non est hinc; quia peregrinatur in » mundo : regno suo quippe dicit, *De mundo non estis, sed ego* » *elegi vos de mundo*. Erant ergo de mundo, quando regnum ejus » non erant sed ad mundi principem pertinebant. »

V. 37. ERGO tandem aliquando REX ES TU? RESPONDIT IESUS : TU DICIS vere QUIA REX SUM EGO. At ecce quale est regnum meum : EGO IN HOC NATUS SUM secundum carnem, ET AD HOC VENI IN MUNDUM per incarnationem, UT TESTIMONIUM PERHIBEAM VERITATI, ut verbis et operibus veritatem supernaturalem doceam eique homines subjiciam adeoque OMNIS QUI EST EX VERITATE, qui amat veritatem addiscere et cupit ei vitam suam conformare AUDIT VOCEM MEAM estque subditus meus in meo illo regno veritatis. En igitur regnum meum.

V. 38. Christi sensum non assequens DICIT EI PILATUS, nonnihil impatiens : QUID EST VERITAS? Graece τί ἐστιν ἀλήθεια; (sine articulo). — Responsum interim audire Pilatus parum curat; ideo, illud non exspectans, ITERUM EXIVIT AD IUDAEOS, ET DICIT EIS : EGO, quod ad me attinet, NULLAM INVENIO IN EO CAUSAM, nullum crimen poena dignum. Intellexit enim totam causam Jesu in quaestione non civili nec politica sed mere religiosa versari.

Jesus Barabbae postponitur

39. ***Est autem consuetudo vobis ut unum dimittam vobis in Pascha : vultis ergo dimittam vobis regem Iudaeorum?*** **40.** ***Clamaverunt ergo rursum omnes, dicentes : Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.***

Digitized by Google

V. 39. Persistentibus Judaeis in accusando Christo, Pilatus eum misit ad Herodem (Luc. 23, 5-15), volens ita causam Jesu a se removere; at cum Herodes Jesum rursus ad Pilatum remisisset, aliud jam hic excogitat medium se a ferendo judicio eripiendi. Verba igitur faciens non ad synedristas sed ad universum populum, ait : EST... CONSUETUDO VOBIS, UT UNUM DIMITTAM VOBIS IN PASCHA, quemcumque petieritis (Marc. 15, 6) : VULTIS ERGO DIMITTAM VOBIS REGEM IUDAEORUM, regem vestrum? Non enim latuisse Pilatum videtur, pluries populum voluisse Jesum regem proclamare indeque ortam esse in eum synedrii invidiam. Cf. Synopticos et Jo. 6, 15. — Alterum simul Christo opponit Barabbam, alterutrum liberandum populo permittens.

V. 40. Tunc, persuasi a pontificibus et senioribus, CLAMAVERUNT RURSUM sicut antea OMNES de turba DICENTES : NON HUNC dimitte, SED BARABBAM. — ERAT AUTEM BARABBAS LATRO, seditiosus homicida (Marc. 15, 7; Luc. 23, 19) (1).

(1) De significatione nominis hujus latronis non convenit. Alii illud dicunt aramaice fuisse בַּר אַבָּא, *filius patris,* quae forma omnino respondet nomini graece scripto βαραββᾶς. Alii, cum S. Hieronymo, adoptant scriptionem בַּר רַבָּא, *filius magistri.* Altera litera ר facile potuit excidere, ex eo quod Syri non adhibeant *dagesch* ad litteras duplicatas exprimendas. — Utra opinio sit probabilior investigare non vacat.

Digitized by Google

CAPUT XIX

—

Argumentum. Jesus flagellatur et spinis coronatur (1-3). — A Pilato populo exhibitus, ad mortem crucis damnandus exquiritur, ut qui Filium Dei se fecerit (4-7). — De quo novo crimine Jesum Pilatus rursus interrogat et innocentem repertum dimittere iterum tentat (8-12). — Sed intentata sibi inimicitia Caesaris, pro tribunali sedens, Jesum mortis condemnat et necandum tradit (13-16). — Crucifigitur Jesus inter duos latrones (16-18). — Crucis inscriptio (19-22). — Vestimenta Jesu inter se partiuntur milites, vaticinium ita implentes (23. 24). — Matrem suam Joanni commendat Jesus (25-27). — In siti sua aceto potatus, aliud vaticinium implet Jesus, et omnibus consummatis moritur (28-30). — Latronum franguntur crura, non Jesu; cujus latus lancea aperitur, et ita duplex in eo vaticinium verificatur (31-37). — Joseph et Nicodemus corpus Jesu honorifice sepeliunt (38-42).

Jesus flagellatur et spinis coronatur

1. ***Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, et flagellavit.*** **2.** ***Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius : et veste purpurea circumdederunt eum.*** **3.** ***Et veniebant ad eum, et dicebant : Ave, rex Iudaeorum : et dabant ei alapas.***

V. 1. TUNC, postquam populus Barabbam prae Jesu postulaverat, PILATUS, volens populum ad misericordiam commovere, APPREHENDIT, ἔλαβεν, *sumpsit* IESUM, ET FLAGELLAVIT per manus militum romanorum. Joannes ponit ἐμαστίγωσε, Marcus, latinis auribus loquens, latino verbo φραγελλώσας idem significat (15, 15), neque aliter translator Matthaei (27, 26). Si Christus fuisset a Judaeis verberatus, ictibus non ultra 39 fuisset impetitus; sed supplicium a romano judice indictum per manus

Digitized by Google

militum fieri debuit et more Romanorum, apud quos nullus erat verberum praefixus numerus. Duplicis generis ad illam poenam instrumenta adhibebant Romani, *virgas* et *flagella* seu *flagra*. Illis rarius et fere contra minus abjectae condicionis sontes, his plerumque contra vilis sortis homines utebantur. Efformabantur autem flagella ex loris conjunctis quattuor, quae vel animalium talis seu ossiculis vel duri ligni frustulis exasperabant : unde eis nomen, ***horribilia flagella***. Ad crucem damnati ante confixionem flagris caedebantur, sive ante deductionem ad supplicii locum sive in ipsa deductione. Christus quidem flagellatus fuit ante latam contra ipsum mortis sententiam, ut miserabili corporis ejus statu populus ad misericordiam flecteretur; post pronuntiatam vero crucis condemnationem non fuit iterum caesus (ut quidam immerito contenderunt) sed flagellatio jam tolerata ei pro supplicio crucifixioni praevio fuit. Jesum non virgis sed flagellis fuisse percussum concluditur cum ex vocabulis a Joanne et a Matthaeo et Marco adhibitis (ἐμαστίγωσε, φραγελλώσας) tum ex intentione Pilati, qua acerrime esset in Jesum verberibus saeviendum, quo certius vulnerum ejus acerbitati plebs compateretur.

Apud Romanos flagellationis supplicium immani crudelitate inferebatur. Refert Ulpianus (De poenis, lib. 8) « ministrorum immanitate multos sub ejusmodi flagellis interiisse; » et Philo (In Flacc., § 10) de quibusdam nobilioribus Judaeis a Flacco comprehensis, ita scribit : « ... jussit nudatos flagellari, tamquam » scelestos et nocentes, ut concisi verberibus, aliquot mox ut inde » sunt elati exhalarent animam, reliqui desperata salute cum » diuturno morbo conflictati sint. »

Christum ad columnam duos pedes cum dimidio altam flagellatum fuisse antiquitatis traditio refert. Peregrinus Burdigalensis, qui anno 333 sacra loca invisit, haec scribit : « Et columna adhuc » ibi est, in qua Christum flagellis ceciderunt (Ed. Wesseling, p. 590). » Et S. Hieronymus (Epitaph. Paulae) : « Ostende-

Digitized by Google

» batur illi columna, ecclesiae porticum sustinens, infecta cruore » Domini, ad quam vinctus dicitur flagellatus. » Quae columna, anno 1233 Romam deducta, reponitur in aliquo sacello ecclesiae S. Praxedis.

Locus flagellationis erat extra praetorium, ut colligitur ex Marc. 15, 15. 16, ubi evangelista post factam mentionem flagellationis addit : Οἱ δὲ στρατιῶται ἀπήγαγον αὐτὸν ἔσω τῆς αὐλῆς, ὅ ἐστι πραιτώριον. Ergo flagellatione peracta ductus est Jesus in praetorium. Antiqua traditio est, flagellationem actam fuisse in loco subterraneo sito e regione praetorii ex altera parte plateae (1). Spineae coronae impositio facta est in ipso atrio praetorii, loco subdiali militibus permisso.

V. 2. ET MILITES, non jussi sed sponte, Judaeis forte nativam hominum immanitatem pecunia exstimulantibus, tota scilicet congregata cohors (id est, quotquot ex cohorte aderant : integram enim cohortem adfuisse parum est probabile, nam 600 fere capita, ubi completa erat, numerabat) PLECTENTES, πλέξαντες, *cum plexissent* CORONAM DE SPINIS, pileoli formam habentem (2), VI IMPOSUERUNT CAPITI EIUS, et arundinem in dextera ejus, ad instar sceptri regalis, ET VESTE PURPUREA, chlamyde seu pallio militari CIRCUMDEDERUNT EUM, detractis prius vestibus (Matth. 27, 28. 31). — Purpura insigne erat regiae vel imperatoriae dignitatis. Aderat igitur ad ludibrium integer regalis apparatus. — Restabat ei reddendum subjectionis obsequium.

V. 3. ET VENIEBANT AD EUM, alii post alios, et genuflexi

(1) Ita de illo aedificio V. De Buck (*Passieboeksken*, p. 172) : « Dit gebouw » stond langs den anderen kant der straat, vijf en twintig stappen omtrent van » den grooten trap van 't Pretorium. Er was aldaar eene onderaardsche zaal, » zeven of acht stappen groot in 't vierkant, overdekt met een tamelijk verheven » gewelf. Zij is later veranderd in eene zeer fraaie kapel ; maar in de handen der » Turken gevallen, is zij een beestenstal geworden. » Cf. Mislin, *Les saints Lieux*, t. 2, p. 159.

(2) De corona spinea aliisque instrumentis passionis vide Rohault de Fleury, *Les reliques de la Passion*.

Digitized by Google

(Marc.) adorabant eum, ET DICEBANT : AVE REX IUDAEORUM : ET DABANT EI ALAPAS. Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus (Matth. 27, 30), quo immani ludibrio vulnera capitis Jesu miserabili modo exacerbabant.

Narrationes Matthaei et Marci ita procedunt ac si condemnatio Christi a Pilato pronuntiata fuisset *antequam* milites Christum spinis coronarent (Matth. 27, 26-31; Marc. 15, 15-20). Sed narratio Joannis aperte dicit contrarium (19, 5-16). Ergo sensus obvius Matthaei et Marci in hac re deserendus est et ex Joanne explicandus. Dicendi sunt Synoptici in narranda coronatione Christi non intendisse ordinem aliquem temporum sequi.

Ecce homo

4. Exivit ergo iterum Pilatus foras, et dicit eis : Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. 5. (Exivit ergo Iesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum :) Et dicit eis : Ecce homo. 6. Cum ergo vidissent eum Pontifices, et ministri, clamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Accipite eum vos, et crucifigite : ego enim non invenio in eo causam. 7. Responderunt ei Iudaei : Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.

V. 4. EXIVIT ERGO ITERUM PILATUS FORAS ad populum secum ducens Jesum, qui in miserabili coronationis apparatu, vulneribus plenus et fluens sanguine, scalas viginti octo ascendere coactus fuerat; ET DICIT EIS, sperans se posse plebem, olim Jesu addictissimam, lamentabili spectaculo ad misericordiam commovere : ECCE ADDUCO VOBIS EUM FORAS, UT COGNOSCATIS QUIA NULLAM INVENIO IN EO CAUSAM, adeoque non habeo unde eum condemnem et in praetorio retineam. Dimittendum ergo implicite declarat, licet id explicite enuntiare vereatur.

Digitized by Google

V. 5. EXIVIT ERGO IESUS PORTANS CORONAM SPINEAM, ET PURPUREUM VESTIMENTUM. De arundine nihil dicitur. — ECCE HOMO! Vox est misericordiam provocantis (Hebraismum redolet : הִנֵּה הָאִישׁ).

V. 6. Statim ac eum viderunt PONTIFICES ET MINISTRI templi, praeeuntes populo ne forte misericordia moveretur, CLAMABANT DICENTES : CRUCIFIGE, CRUCIFIGE EUM : ad crucis supplicium eum condemna! Populus seductus assentitur : idipsum enim universa turba succlamasse legitur apud Synopticos. — DICIT EIS PILATUS : ACCIPITE EUM VOS, ET CRUCIFIGITE : EGO ENIM id facere non possum, quia NON INVENIO IN EO CAUSAM. Haec cum impatientiae et indignationis significatione Pilatus, quasi diceret : « Ipsi facite, si audetis! » Verba sunt non concedentis sed scelus horrentis.

V. 7. NOS LEGEM HABEMUS, ET SECUNDUM LEGEM illam nostram DEBET MORI, QUIA FILIUM DEI SE FECIT (Levit. 24. 16). In ceteris amandati, ad blasphemiae tandem crimen recurrunt, ob quod Jesum in synedrio damnaverant. — Hinc patet Judaeos τὸ *filium Dei*, qualem se Jesus dicebat, intellexisse de filiatione divina propria et naturali : filium enim Dei adoptivum quilibet justus se dicere absque blasphemia potest. — Nec dicas sub hoc nomine eos forte intellexisse Messiam. Nam antea jam frustra apud Pilatum accusaverant Jesum, quod diceret *se Christum regem esse*.

Ultima interrogatio

8. ***Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit.*** **9.** ***Et ingressus est praetorium iterum : et dixit ad Iesum : Unde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei.*** **10.** ***Dicit ergo ei Pilatus : Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te?*** **11.** ***Respondit Iesus : Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.***

Digitized by Google

12. ***Et exinde quaerebat Pilatus dimittere eum. Iudaei autem clamabant dicentes : Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris : omnis enim, qui se regem facit, contradicit Caesari.***

V. 8. MAGIS TIMUIT, ne reapse Jesus esset filius alicujus dei, cujus si condemnaret filium, iram in caput suum concitaret.

V. 9. UNDE ES TU oriundus? A quo tu patre, vel ubi natus? — IESUS AUTEM RESPONSUM NON DEDIT EI. Inutilis enim fuisset divinae generationis revelatio viro ethnico, qui istius generationis mysterium non intellexisset vel certe non credidisset.

V. 10. DICIT ERGO EI PILATUS, spe frustratus ideoque iratus : MIHI, procuratori Romanorum, NON LOQUERIS? Et tamen maxime tua interest mihi respondere, cum vita et mors tua in manu mea sint. NESCIS QUIA...?

V. 11. RESPONDIT IESUS, volens jactantiam Pilati retundere et simul eum hortari ad rectum usum potestatis quam a Deo ipsi permissam haberet. — Habebat tunc potestatem in Jesum Filium Dei, *quia venerat hora ejus*. — Sensus ergo : Quamtumvis sis praeses romanus, ADVERSUM ME tamen nihil posses, nisi permitteret Deus.

Ut ex modo dictis patet, non agitur in hoc textu de *origine divina auctoritatis politicae*, ut nonnulli volunt. Vox enim *potestas*, ἐξουσία, hic non sonat *auctoritas*, sed *nocendi facultas*. Dicit enim Jesus, *adversum me*. Est scilicet haec *potestas tenebrarum* tunc exerceri ac debacchari permissa (Luc. 22, 53).

PROPTEREA, διὰ τοῦτο. Particula haec seriam facit difficultatem. Non enim apparet nexus idearum. Sunt qui velint nullum hic insinuari nexum, sed particulam esse merae transitionis.

Alii subaudiunt : Cum tu in hac re agas solum ut instrumentum invidiae aliorum, PROPTEREA...

Alii : Quia tu divinam meam generationem capere non potes, PROPTEREA...

Alii ; Quia tu legitima frueris potestate, PROPTEREA qui me

Digitized by Google

tradidit tibi MAIUS PECCATUM HABET, ut qui injuste tradidit me justae auctoritati. Admitti nequit ex supradictis.

Alii : Quia permissa tibi illa facultate nonnisi invitus contra me uti paratus es, PROPTEREA... Haec supplenda esse suadet versus sequens. Magis placet.

QUI ME TRADIDIT TIBI, senatus Judaeorum, MAIUS PECCATUM HABET, ut qui sponte et libere necem meam procurat. Hinc etiam ille majorem quam tu Dei vindictam in se concitat.

Scopus Christi in hac responsione fuisse videtur ut Pilato aperte ob oculos poneret iniquitatem expostulatae ab eo condemnationis. Pilati tamen crimen aliquousque excusat, ut hominis non perversi cor emolliat et ad meliora trahat.

V. 12. ET EXINDE, ἐκ τούτου, *ex hoc tempore* (non recte Syrus : ܡܛܠ ܗܳܕܶܐ, *propter hoc)* — QUAEREBAT palam et directe DIMITTERE EUM. Antea quaesierat sive causae cognitionem a se removere sive populum inducere ut dimittendum postularet. Nunc velle se eum dimittere populo declarat. — IUDAEI (synedristae) AUTEM CLAMABANT, ad minas efficaces confugientes : SI HUNC DIMITTIS, NON ES AMICUS CAESARIS, sed fautor in Caesarem rebellantis : OMNIS ENIM, QUI SE REGEM FACIT, CONTRADICIT CAESARI, a quo solo regia potestas danda vel tollenda dependet.

Adverte Pilatum post ultimam interrogationem Jesum intus in praetorio reliquisse (v. 13).

Mortis sententia

13. ***Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Iesum : et sedit pro tribunali, in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha.*** **14.** ***Erat autem parasceve Paschae, hora quasi sexta, et dicit Iudaeis : Ecce rex vester.*** **15.** ***Illi autem clamabant : Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus :***

Digitized by Google

Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices : Non habemus regem, nisi Caesarem. 16. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur.

V. 13. Timor ne Caesaris favore frustretur Pilatum jam ad summam iniquitatem determinat. Caesares noverat inclinatos ad audiendas accusationes Judaeorum contra praepositos suos. Cf. Jos., Ant., 18, 4, 2. Ideo sententiam laturus, ADDUXIT FORAS IESUM in porticum, ET SEDIT PRO TRIBUNALI, IN LOCO QUI DICITUR LITHOSTROTOS, λιθόστρωτος, *lapidibus stratus.* — HEBRAICE (aramaice) AUTEM GABBATHA (גַּבְּתָא, *locus elevatus*, a radice גבב, quae in *Pael* significat *levavit).* Nomen tribunalis addit Joannes, ut constet cum requisita sollemnitate sententiam fuisse in Jesum latam (1).

V. 14. Eventi tam momentosi diem etiam et horam specificat evangelista. ERAT AUTEM PARASCEVE PASCHAE, id est pridie sabbati sollemnitatis octiduanae Paschatis (vide Dissert. praev. c. XIII, p. 355-359), HORA QUASI SEXTA diei, id est circa meridiem.

Huic temporis definitioni a S. Joanne hoc loco propositae adversari videtur Marc. 15, 25 : *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum.* Quomodo potuit hora quasi *sexta* condemnari qui hora *tertia* crucifixus est?

Quaeritur ergo de ***duobus locis conciliandis?***

R. *1ª sententia* est, S. Joannem hic sequi modum computandi Graecorum, qui et noster est; Marcum vero modum Judaeorum. Igitur Jesum condemnatum fuisse circa horam nostram sextam matutinam, puta sexta cum dimidia, crucifixionem vero incepisse hora nostra nona matutina, Jesum porro sex ferme horas crucis supplicium tolerasse. Ita Beelen, Langen etc.

(1) Tribunal *lithostrotos* apud profanos scriptores notissimum apparet. Sueton. (Caes. 46) dicit gubernatores quandoque secum tulisse lapillos varii coloris ad hujusmodi superiora loca sternenda.

Digitized by Google

Rationes. 1) Joannes scribebat pro Graecis, quibus modus computandi Judaeorum minus notus esse debebat. — 2) Alibi certe morem Graecorum adoptat, v. g. 12, 12 et 20, 19 (vide commentarium). — 3) Haec sola videtur conciliationis via possibilis; secus enim vel textibus vis est inferenda vel alterutrius est supponenda fuisse facta corruptio. Neutrum rationalistae bonae fidei persuadebis. — 4) In hac sententia sola congruum temporis spatium assignatur parandae cruci, quaerendis duobus latronibus et viae dolorosae conficiendae.

Contra est minime probabile esse totam judicialem actionem apud Pilatum, missione ad Herodem etiam complicatam, potuisse ita summo mane et tam cito peragi, ut orto vix sole sententia in Christum esset pronuntiata. Synedrium certe convenit *ut factus est dies;* tunc duxerunt Christum in concilium suum, et solemni ritu interrogatum de blasphemia condemnarunt. Deinde duxerunt illum ad Pilatum (Luc. 22, 66 ad 23, 1). Vix igitur potuit Christus sisti coram Pilato ante horam nostram sextam. Neque est credenda tanta populi multitudo summo mane fuisse congregata ante praetorium.

2ª sententia textum Marci sic intellegit : *Erat autem hora tertia ex quo crucifixerunt eum.*

Ratio est, non raro a sacris scriptoribus poni perfectum pro plus quam perfecto tempore (v. g. Jo. 18, 26; Matth. 26, 48; Marc. 16, 14), quod si admittitur hic usurpatum fuisse, sensus propositus per hebraismum explicatur.

Contra est quod in eodem contextu Marcus loquitur de horis *sexta* et *nona* tamquam de punctis diei determinatis; nihil porro aliter licet intellegere horam illam *tertiam*, quam similem diei determinatam temporis epocham.

3ª sententia. Hora *sexta* apud Joannem, intellegi potest praecessisse horam *tertiam* secundum Marcum, ratione habita modi quo Judaei tempora diei computabant.

Nam apud Judaeos singula trium horarum intervalla ab ortu

Digitized by Google

usque ad occasum solis dicebantur respective hora *tertia*, *sexta*, *nona*, retento per totam seriem primae horae nomine. Ita paulo ante horam nostram duodecimam nondum expleta erat *hora tertia;* ex alia parte a nostra hora decima cum dimidia ad duodecimam usque dici poterat esse *hora quasi sexta.* Pone ergo Jesum fuisse condemnatum hora nostra undecima et crucifixum paulo ante meridiem, habebis condemnationem *hora quasi sexta*, crucifixionem vero *hora tertia.* Hac autem vix peracta crucifixione, aderat hora sexta a qua *tenebrae factae sunt... usque ad horam nonam* (Matth. 27, 45), et hora hac nona, post tres horas in cruce exactas, Jesus exspiravit.

***Contra est** a)* parum probabile esse Marcum, in minutis adjunctis adeo studiosum, horam *tertiam* dixisse quando sexta proxime instaret. — *b)* non facile potuisse omnia inter condemnationem et crucifixionem terminari tam brevi intervallo ut illa hora quasi sexta pronuntiata, haec etiam ante sextam peragi potuerit. — *c)* nulli certe rationalistae talem solutionem persuaderi posse.

4ª sententia. Etiam apud Marcum legendum *hora sexta.* Jam saeculo IV Eusebius Caesariensis hanc proposuit difficultatis solutionem. Contendit scilicet, apud Marcum « amanuensis id esse erratum quod ii qui primum evangelia exscripserunt haud senserint. Nam cum litera Γ *tertiam* significet horam, ϛ autem episemon *sextam;* cumque hi characteres permultam habeant inter se similitudinem; mendose litteram Γ ... ad ϛ figuram redactam » fuisse (1) (vide Maï, Nova Patrum bibliotheca, t. 4, p. 299. 300).

Rationes. 1) Hujus solutionis simplicitas. — 2) Pro ea afferri possunt nota unius codicis Italae, versio syriaca posterior et

(1) Pro figura ϛ etiam adhibebatur digamna F ad designandum numerum 6. Jam litterae F et Γ etiam valde similes sunt.

Digitized by Google

versio aethiopica. — 3) S. Hieronymus (Brev. in Ps. 77) dicit : « *Error scriptorum.... multi ϛ putaverunt esse* Γ. »

Contra est non concipi quomodo error ille amanuensis sui (primi, ut supponitur) Marcum penitus latere potuerit et ab eo ipso non fuerit emendatus. Vix ullum certe exstat documentum in quo legatur in evangelio Marci : *Erat autem hora sexta* (vide Tischendorf ad Marc. 15, 23).

5a sententia. Apud S. Joannem legendum *hora tertia.*

Alii scilicet, ut Patrizi et V. De Buck, supponunt errorem librarii inversum in Joannis textum irrepsisse; ita ut apud Joannem ϛ sit positum pro Γ.

Rationes. 1) Facilius potuit S. Joannem in ultima senectute scribentem latere similis error ab amanuensi suo commissus. — 2) Sat multa sunt testimonia pro lectione τρίτη apud Jo. 19, 14 : scilicet codices D (tertia manu) L, X, Λ; minusculi quattuor, Chronicon paschale S. Petro Alex. tributum, ubi sic de lectione τρίτη : « secundum quod accurata biblia habent et autographum » evangelistae, quod usque nunc servatur... in Ephesiorum san- » ctissima ecclesia (Migne, P. G., t. 18, p. 518). » Praeterea Severus Antiochenus in Catena et Ammonius in Scholio supponunt fuisse Γ mutatum erronee in ϛ (vide Tischendorf in h. l.). Nonnus demum confirmat lectionem τρίτη apud Joannem. — 3) Hora sexta ineunte Christus jam dudum pendebat in cruce, ut innuitur apud Synopticos.

Haec ultima explicatio nobis etiam praeplacet.

Omitti potest explicatio S. Augustini (Tract. in Jo. 117, 1) : Marcum loqui de ea crucifixione quam hora tertia (paulo ante sextam) peregerint Judaei per linguas suas, ubi clamaverunt : *Crucifige, crucifige eum.* Contexta enim oratio S. Marci nimis clare procedit de crucifixione actuali, non virtuali tantum.

Minus etiam hac placet altera a S. Augustino proposita, qua scilicet intellegenda sit in textu Jo. 19, 14 hora *sexta,* non *diei*

Digitized by Google

istius sed *parasceves* seu *praeparationis* ad immolationem veri paschatis, Christi; cujus praeparationis initium desumendum sit ab hora diei nona (juxta morem Graecorum ita dicta) quando synedrium Christum mortis damnarat.

Conclusio. Secundum eam quam veram putamus Joannis lectionem *(hora quasi tertia)*, Jesus mortis damnatus fuit circa horam nostram nonam matutinam, et (teste Marco) crucifixus ante horam nostram decimam. Tenebrae autem durarunt ab hora nostra duodecima ad tertiam pomeridianam. Consequenter admittimus Jesum saltem horas quinque in cruce pependisse.

ET DICIT IUDAEIS : ECCE REX VESTER. Quare hoc dixit Pilatus? — Vel ad personae identitatem statuendam, vel ad criminis caput ante condemnationem enuntiandum, vel ad petitionis eorum iniquitatem ostendendam, qua scilicet regem suum dudum exspectatum ad necem postularent.

V. 15. ILLI AUTEM CLAMABANT : TOLLE! TOLLE!... Seditiosis clamoribus respondent, omnem jam discussionis speciem repudiantes. — REGEM VESTRUM (in hoc epitheto vim facit) CRUCIFIGAM? Quae injuria esset haec nationi vestrae! — NON HABEMUS REGEM NISI CAESAREM. Ita in aestu furoris Messiam suum abnegant et propriae servituti palam subscribunt ipsi PONTIFICES.

V. 16. Jam resistendo impar Pilatus TRADIDIT EIS ILLUM UT CRUCIFIGERETUR.

Crucifixio Jesu

16. ***Susceperunt autem Iesum, et eduxerunt.*** **17.** ***Et baiulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariae, locum, Hebraice autem Golgotha :*** **18.** ***Ubi crucifixerunt eum, et cum eo alios duos hinc et hinc, medium autem Iesum.***

SUSCEPERUNT AUTEM IESUM, et exuerunt eum chlamyde (Matth.) et spineam coronam abstulerunt (De Buck), et induerunt

Digitized by Google

eum propriis vestibus, quod nisi ablata spinea corona facere non potuissent. *Erat enim tunica inconsutilis.* Vide tamen dissert. p. 498 et 499. — ET EDUXERUNT e civitate ad supplicii locum. Ducebant eum milites romani iidem qui eum spinis coronaverant (Matth. 27, 31).

V. 17. ET BAIULANS SIBI CRUCEM, funibus, ut moris erat, umeris alligatam, EXIVIT IN EUM, QUI DICITUR CALVARIAE, LOCUM, HEBRAICE AUTEM GOLGOTHA. Nomen CALVARIAE positum fuit a translatore latino pro voce graeca Κρανίου, quae et ipsa forte nomen loci non erat, sed tantum graece explicans nomen aramaicum GOLGOTHA. *Calvaria*, in lingua hebraica proprie dicta, sonat גֻּלְגֹּלֶת *(gulgoleth)* a radice גלל, *volvit.* Dialectus palaestinensis habebat inde deductam vocem גֻּלְגַּלְתָּא *(gulgaltha)*, vel dempto altero ל, גֻּלְגָּתָא *(gulgâtha).* — Syriace ܓܓܘܠܬܐ *(gogultho).*

Calvaria nunc est intra moenia civitatis; sed ante cladem Jerosolymorum iste collis erat extra urbis ambitum (1).

V. 18. UBI CRUCIFIXERUNT EUM, ET... ALIOS DUOS... MEDIUM AUTEM IESUM, quasi nequissimum.

DISSERTATIO

De crucifixione Domini (2)

Quaeritur 1° ***an Christus crucifixus fuerit cum corona spinea.***

R. Res est dubia valde.

Rationes affirmandi. 1) Ita refert evangelium apocryphum Nicodemi (cap. 10) : « Et quando venerunt ad locum (crucifi-

(1) Calvariam et sepulcrum Christi ibi fuisse ubi nunc exstat ecclesia S. Sepulcri erudite demonstrat Langen, *Die letzten Lebenstage Jesu*, p. 363-421.

(2) Prae ceteris consulendi : Justus Lipsius, *De cruce.* — Bynaeus, *De morte Jesu Christi*, l. 3, c. 5, 9-16. — Gretser, *De sancta cruce*, t. 1, 1, 16-24. —

Digitized by Google

» xionis)... coronam de spinis imposuerunt super caput ejus. » — 2) Ita Tertullianus (Adv. Jud., c. 13) « Christus suis tempo- » ribus lignum umeris suis portavit, inhaerens cornibus crucis, » corona spinea in capite ejus circumdata. » — 3) Antiquissima quae exstat crucifixi imago (saec. V) refert Christum cum corona murali. — 4) Evangelistae non dicunt coronam cum chlamyde fuisse ablatam. — 5) Cum Christum crucifixerint nomine affectati regni idque in ipsa inscriptione crucis testati sint, non videtur improbabile eos coronam, insigne regni affectati, in sacro Christi capite reliquisse vel etiam post exutam tunicam denuo imposuisse.

***Contra est** a)* non potuisse Christum jam ad supplicii locum ducendum, tunica inconsutili desuper contexta per totum indui, quin spinea corona detraheretur. Non est autem probabile eam, tunc detractam, denuo fuisse impositam, cum post condemnationis sententiam latam omnia videantur juxta mores Romanorum fuisse peracta. — *b)* testimonium evangelii Nicodemi debita carere auctoritate : sic enim se habet ac si corona spinea fuisset Christo primum in Calvaria imposita. Dicit enim : καὶ στέφανον ἐξ ἀκανθῶν..., absque articulo.

Conclusio. Cum de forma tunicae Christi non satis constet, ut decernatur eam non potuisse detrahi nisi per caput, et relinquendae crucifixo coronae probabilis ratio assignetur, nihil obstat quominus cum antiqua traditione admittatur Jesum spinis coronatum in cruce pependisse.

Quaeritur 2° *an fuerit absque ullo vestimento crucifixus.*

Rationes affirmandi. 1) Mos erat cruciarios configendi *nudos.* Hoc et latini et graeci scriptores affirmant. — Non tamen haec

Jahn, *Archaeologie*, t. 4, p. 361-371. — B. Lamy, *Harmonia evangelica,* ad Jo. 19, 16 : Dissertatio de cruce. — *Joodsche oudheden* (anonymi), t. 1, p. 710-731. — Allioli, *Blibische Alterthumskunde,* t. 1, p. 42-46. — Langen. *Die letzten Lebenstage Jesu,* p. 302-323, ex quo pleraque hujus dissertationis me desumpsisse profiteor. — Friedlieb, *Archaeologie der Leidensgeschichte,* p. 127 sq. — Fouard, *La passion de N. S. Jésus-Christ,* p. 123-139. — Reinke, *Die Messianischen Psalmen,* t. 1, ad Ps. 22.

Digitized by Google

nuditas excludebat aliquod velamentum renibus circumpositum. Ita Dion. Halicarn. (1, 80) : γυμνοὺς ὑπερζωσμένους τὴν αἰδῶ. Virgil. (Georg. 1, 299) : « Nudus ara, sere nudus », id est sane, non sine levi tegumento. Sed et apud Hebraeos : 2 Sam. 6, 20. 14, dicitur David coram arca saltasse *nudatus*, et tamen *erat indutus ephod lineo*. Jo. 21, 7, dicitur Simon Petrus in navicula laborans *nudus*, non certe absque ullo indumento. — 2) Romani ab omnimoda corporis nuditate abhorrebant. Ideo et athletas et gladiatores jubebant succinctis pugnare lumbis, pueri in scholis item partibus inhonestis velatis, cetera nudi, castigabantur. Ergone publico conspectui cruciarios sine velamine exposuissent? — 3) Huc etiam referri videtur vaticinium Christi ad Petrum : ***Cum autem senueris, alius te cinget, et ducet quo tu non vis***, quod cum sibi oppositum habeat : ***Cum esses iunior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas***, nequit intellegi de vinculis quibus esset Petrus in crucem tollendus. — 4) Evangelium Nicodemi diserte dicit (c. 10) : ἐξέδυσαν αὐτὸν τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, καὶ περιέζωσαν αὐτὸν λέντιον. — 5) Antiquissimae imagines Jesum crucifixum exhibent cum perizomate ad genua usque descendente; ergo saltem quando istae conficiebantur persuasio erat Christum velamine fuisse in cruce circumdatum.

Contra afferuntur testimonia Patrum: Ambrosii (in Luc. 10, 110), Augustini (Civ., 16, 2; Adv. Faust., 12, 23), Athanasii (Sermo de Cruce, n. 20) etc., conferentium nuditatem Christi cum nuditate Adami in statu innocentiae et Noachi in tentorio dormientis. — Merito tamen dubitatur utrum Patres ad talem expositionem adducti fuerint per traditionem historicam an potius per textus evangelici processum.

Conclusio. Nullis certe documentis historicis prohibebitur quis opinari Christum in cruce succinctis renibus pependisse; immo idipsum videtur probabilius.

Quaeritur 3° *fuitne crux Christi erecta ante an post crucifixionem.*

Digitized by Google

R. Modus loquendi antiquorum scriptorum supponit cruci jam praevio erectae solitos fuisse affigi cruciarios. Dicunt enim *tollere*, *agere*, *ferre*, *dare* in crucem; item *excurrere*, *ascendere*, *salire* in crucem. Ita et Christo factum scribunt Nonnus poeta et Pseudo-Greg. Naz., in carmine de Christo patiente. An unquam alio modo crucifixio facta sit, merito dubitatur. Justus Lipsius (De Cruce, 2, 7) unum citat textum ex actis S. Pionii martyris : « Ultro se vestimentis spoliavit et, in caelum suspi» ciens ac Deo gratias agens, super lignum seipsum extendit, » militique tradidit ut clavis configeretur... Eum igitur ligno » fixum erexerunt. » Cetera omnia antiquitatis testimonia crucem antea erectam vel diserte dicunt vel certe insinuant. Ita Cicero (In Verrem, de Suppl.) : « Quid attinuit, cum » Mamertini... crucem fixissent post urbem in via Pompeia, » te jubere figere in via quae Rhegium spectat? » Idem (Pro Rabirio) : « In campo Martio crucem ad civium supplicium » defigi et constitui jubes. » Flav. Jos. (De Bell. jud., 7, 6, 4) : « Bassus jussit defigi crucem, tamquam statim in ea suspensurus » Eleazarum. » Neque alium fuisse morem Persarum, vide 1 Esd. 6, 11 : *Ut omnis homo qui hanc mutaverit iussionem, tollatur lignum de domo ipsius, et erigatur, et configatur in eo.* — Ut autem talis ordo servaretur res ipsa suadebat. Facilius enim multo erat crucem solam erigere et figere et ad eam miserum funibus primum deinde clavis aptare, quam lignum humano corpore gravatum movere et constituere.

Conclusio. Opinio ergo vulgaris, Christum cum cruce fuisse elatum, vix ulla videtur probabili ratione posse defendi.

Quaeritur 4° ***quot fuerint Christi corpori configendo clavi adhibiti.***

R. Manus ambas singulis fuisse clavis foratas in confesso est. Recentiores aliqui rationalistae (1) opinati sunt pedes non clavis

(1) Irrito eruditionis apparatu hoc adstruere conatus est Paulus *(Memorabilien,* t. IV, p. 36 sq.), quem alii fere sequuntur.

Digitized by Google

sed funibus dumtaxat fuisse adstrictos. Secus non potuisse Christum paucis post mortem diebus libere pedibus incedere, ambulare etc.!! Ex historia nullam positivam pro se rationem afferunt, sed toti sunt in excipiendo contra rationes sententiae contrariae. Igitur hae sunt

Rationes cur etiam pedes confixi fuisse credendi sint. 1) Psalmus 21 (22), 17 : *Foderunt manus meas et pedes meos,* quod vaticinium universa traditio christiana de Christo intellegit ad litteram. — 2) Luc. 24, 39. 40, ubi Christus discipulis ostendit *manus* et *pedes* in testimonium veri corporis sui eis praesentis. In loco autem parallelo, Jo. 20, 20, *ostendit eis manus et latus.* Ad quid manus et latus, nisi quia cicatrices vulnerum veritatem suscitati corporis referebant? Ergo et *pedes,* quia cicatrices vulnerum idem testabantur. — 3) Tertull. (Adv. Marcion., 3, 19) : « Si adhuc quaeris dominicae crucis praedica- » tionem, satis jam tibi potest facere vigesimus primus psalmus, » totam Christi continens passionem... : *Foderunt,* inquit, » *manus meas et pedes,* quae propria est atrocia crucis. » Dum autem scribebat Tertullianus, crucis supplicium saepe adhibebatur. — 4) S. Justinus (Tryph., ed. Col., p. 324) : « Dum » crucifigerent eum, perforarunt incussis clavis manus et pedes » ejus. » Ipse etiam viderat cruciarios. — Adde Novatian. (De Trinit., 10), Euseb. Emes. (Edit. Aug., p. 38), Athan. (De Incarn., 35), August. (Enarr. 2 in Ps. 21). — 5) Apud Plautum (Mostell., 2, 1, 13) de aliquo servo crucifigendo : « Ego dabo ei talentum primus, qui in crucem excucurrerit, » sed ea lege, ut offigantur bis pedes, bis brachia. » — 6) Exstant Moguntiae tres urnae cineres cruciariorum continentes, in quibus tres clavi reperti, duo minores, unus major (Reinke).

Respondet Paulus ad 1) Falsam esse lectionem כָּרוּ, *foderunt.* — Genuinam eam optime ostendunt interpretes christiani (1)

(1) Idipsum demonstravi in meo *Spicilegio dogmatico-biblico,* t. 2, p. 121-126.

Digitized by Google

— ad 2) Christum in pedibus ostendisse livorem e pressura vinculorum! — ad 3) et 4) Patres illos ita locutus esse ex praeoccupata opinione de sensu messianico Ps. 21 (22), 17. — At si novissent apud Romanos pedum clavos non fuisse in usu, vel vaticinium hoc de Christo ad litteram non exposuissent, vel certe monuissent, in Christum fuisse per pedum transfixionem praeter morem saevitum. — ad 5) Ibi a servo supplicium solito saevius praenuntiari : insolitam autem in eo fuisse confixionem pedum. — At clare elucet insolitum indicari, quod et manus et pedes offigantur *bis*.

Conclusio. Tenendum igitur clavos adhibitos fuisse saltem tres. Utrum vero pedes singulos clavos habuerint, an uno grandiori simul fuerint confixi duo pedes superpositi, vix ullo posset antiquitatis testimonio elucidari (1). Multo certo facilius poterant pedes duobus quam uno clavo perforari et cruci aptari.

Quaeritur 5° ***utrum crux Christi habuerit sustentaculum sive pedum sive corporis.***

R. 1° De ligno suppedaneo nihil novit antiquitas; primus de eo loquitur Greg. Turon. saec. VI (De glor. mart., 1, 6). Idipsum tenet in cruce Christi appositum fuisse Ps.-Greg. Naz. (Christus patiens, v. 664) : πόδας δὲ καθήλωσαν ἐν πηκτῷ ξύλῳ. Hic auctor probabilius ad VI saeculum pertinet (Langen, p. 311). Excogitatum procul dubio fuit, quia videretur corpus crucifixi Domini non potuisse absque ullo fulcro solis manuum pedumque clavis sustentari : pondus scilicet corporis debuisse manuum nervos rumpere et ita totam corporis massam praecipitem dare. — Sed, praeterquam quod falsum est non sufficere nervos manuum et pedum ad sustinendum corporis pondus, objecto incommodo

(1) Afferuntur quidem versus Nonni (in Joann. 19, 91 seq.) : ἀμετφήτῳ δὲ πεπαρμένον ἄζυγι γόμφῳ διπλόον ἦτορ ἔχοντα μιῇ τετορημένον ὁρμῇ, ποσσὶν ὁμοπλεκέεσσιν. « Grandi vero transfossum (et) singulari clavo utriusque pedis » pectusculum habentem uno ictu terebratum, pedibus simul complicatis. » Uberiora vero documenta desiderantur.

non minus apte providebat cuneus in media cruce dispositus, de quo

2° Crucem habuisse cuneum aliquem in medio quo cruciarius insideret ac veluti inequitaret, antiquorum auctoritate firmatur, Ita S. Justinus (Tryph., n. 91) : « Et illud in medio defixum » lignum (ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον ξύλον) ut cornu ipsum etiam » eminet, in quo invehuntur (ἐποχοῦνται) ii qui crucifiguntur. » — S. Iren. (Haer., 2, 24) : « Ipse habitus crucis fines et summi- » tates habet quinque, duos in longitudine et duos in latitudine » et unum in medio, in quo requiescit qui clavis affigitur. » — Tertull. (Adv. Marcion., 3, 18) : « Nam et in antenna navis, » quae crucis pars est, extremitates cornua vocantur, unicornis » autem media stipitis, palus. » — 6) Huc referri videntur verba quae leguntur apud Senecam (Epist. 101) : « Hanc (vitam) » mihi, vel acuta si sedeam cruce, sustine. » Quam tamen crucem J. Lipsius putat stipitem esse per medium hominem transmittendum.

Contra affertur, in crucis imaginibus nullum hujusmodi cornus lignei apparere vestigium. — At ratio in promptu est : Nam ad saeculum usque V nudam tantum crucem referebant imagines christianae; in ea autem, sicut omittebantur clavi, sic et cuneus ille, aspectui parum gratus, appingi non debuit. Quando vero coeperunt imagines ipsum Christum crucifixum venerationi exhibere, linteum renibus circumpositum non sinebat cuneum crucis medium visibilem apparere. Unde paulatim memoria istius sustentaculi sublata, scabellum pedum in medium prodiit.

Conclusio. Vix dubitandum est crucem Domini cornu ligneo hujusmodi fuisse instructam.

Quaeritur 6° ***qualis fuerit figura crucis dominicae.***

R. Crux proprie dicta triplicis est speciei : *decussata*, quam et crucem S. Andreae dicere solent, figurae X; *commissa*, duplici constans ligno, ita ut brevius longiori in ipso capite committatur neque aliquid huic superemineat, figuram porro referat

Digitized by Google

litterae T; *immissa*, in qua caput longioris ligni breviori superemineat, ita ut tota crux figuram exhibeat signi †. Porro Christi crucem fuisse immissam his defenditur

Rationibus. 1) S. Justin. (Tryph., n. 91) : « Rectum unum » est lignum a quo est suprema pars in cornu sublata, cum » alterum lignum aptatum est. » — S. Iren. (Haer., 2, 24), vide supra ad q. 5, p. 504. — Ps.-Hieron. (in Marc. XV) : « Ipsa species » crucis, quid est nisi forma quadrata mundi? Aves, quando volant » ad aethera, formam crucis assumunt. Homo natans per aquas, » vel orans, forma crucis visitur. » — Tertull. (Apol., 16) tropaeis et vexillis figuram crucis inesse dicit. — Minuc. Fel. (Octav., 29) « Signum sane crucis naturaliter visimus in navi, cum velis » tumentibus vehitur;... et cum homo porrectis manibus Deum » veneratur. » Max. Taur. (De cruce, Hom. 2) : « Caelum » quoque ipsum hujus signi figura dispositum est. Nam cum » quattuor partibus distinguitur, oriente, occidente, meridiano ac » septentrione, quattuor quasi crucis angulis continetur. » — 2) Christi crucem quattuor cornua habuisse diserte pronuntiat S. August. (Tract. in Jo. 118, 5) : « ... Alta est (crux Christi) in » cacumine, quo transversum lignum sursum versus exceditur. » — Nonnus vocat crucem Christi δόρυ τετράπλευρον. — Sedulius (Carm. pasch., 5, 190) : « Quattuor inde plagas quadrati colligit » orbis. » — 3) Titulum crucis imposuerunt *super caput* Christi (Matth. 27, 37), et *super crucem* (Jo. 19, 19). Ergo vel eminenti desuper ligno titulum affixerunt, vel certe ita cuspide infixerunt, ut ipse titulus, cruci eminens ex *commissa* quasi *immissam* efficeret.

Contra est *a)* Multo facilius et solidius conficiebatur crux commissa quam immissa. — *b)* Antiquissima monumenta saepius referunt imaginem crucis commissae quam immissae. Haec ante saeculum V vix apparet. Reperta tamen et ipsa in catacumbis, in tumulis coemeterii Domitillae, saeculo IV antiquioribus. Item inventa in duobus sigillis, quorum aetas saeculum V superat.

Digitized by Google

Conclusio. Inter crucem commissam et immissam difficilis est electio. Vulgata certe crucis christianae figura satis commendatur, quia crux Christi, si non ex duplicis ligni dispositione, ratione certe superpositae inscriptionis immissa fuisse censenda est.

EXPOSITIO TEXTUS

Crucis inscriptio

19. ***Scripsit autem et titulum Pilatus : et posuit super crucem. Erat autem scriptum : Iesus Nazarenus, Rex Iudaeorum.*** **20.** ***Hunc ergo titulum multi Iudaeorum legerunt : quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Iesus : Et erat scriptum Hebraice, Graece, et Latine.*** **21.** ***Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudaeorum : Noli scribere, Rex Iudaeorum : sed quia ipse dixit : Rex sum Iudaeorum.*** **22.** ***Respondit Pilatus : Quod scripsi, scripsi.***

V. 19. SCRIPSIT AUTEM (scribi jussit in folio ligneo dealbato) ET TITULUM PILATUS, ad morem Romanorum (Sueton., Caligula, 32), ET POSUIT, poni jussit SUPER CRUCEM. Titulus continebat nomen rei et supplicii causam. Quod et in casu praesenti observatum est. Christum enim damnarat Pilatus ut regnum affectantem. Maligne tamen posuit : REX IUDAEORUM.

V. 20. PROPE CIVITATEM, uno milliario distans a centro, ERAT LOCUS... ET quia ERAT SCRIPTUM HEBRAICE, id est aramaice, GRAECE, ET LATINE.

Aramaice ita : ישוע נצריא מלכא דיהודיא (1).

Graece : Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων.

Rohault de Fleury in suo opere de reliquiis Passionis solida dat argumenta pro opinione quae tenet triplicem inscriptionem

(1) Cum punctis vocalibus hoc modo foret scribendum :
יֵשׁוּעַ נֹצְרָיָא מַלְכָּא דִיהוּדָיֵא.

Digitized by Google

fuisse *latinam*, at characteribus hebraicis, graecis et latinis exaratam. Fragmentum certe Romae servatum graecis litteris scriptum habet titulum latinum, litteris sinistrorsum dispositis : ƆIYONƎꟼAZAH (1). Triplex, aiunt, adhibitum fuerit alphabetum, quo facilius ab omnibus legi posset. — IUDAEI illi censendi sunt aliquid de lingua latina potuisse intellegere.

Neque ex alia parte (ut habet Langen, in h. l.), improbanda conjectura est, Marcum referre inscriptionem ut erat latine : *Rex Iudaeorum*, Lucam, ut erat graece : οὗτός ἐστιν ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, Joannem, ut erat hebraice : *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum*.

V. 22. Ulterius de importuna illa causa audiendi impatiens Pilatus quidquam immutare recusat. Judaei interim in hoc titulo propriam condemnationem legere poterant, quod Messiam suum crucifixissent.

Partitio vestium

23. *Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, (et fecerunt quatuor partes : unicuique militi partem) et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.* 24. *Dixerunt ergo ad invicem : Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. Ut Scriptura impleretur, dicens : Partiti sunt vestimenta mea sibi : et in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem haec fecerunt.*

V. 23. ACCEPERUNT VESTIMENTA EIUS, quae de more ipsis concedebantur. Quot fuerint ista vestimenta non liquet. Pallium, puta, cingulum et forte sandalia. Acceperunt ET TUNICAM, χιτῶνα, vestem interiorem quae nudo corpori immediate adhaerebat ; nisi praeterea Jesus interculam gereret. — INCONSUTILIS, ἄῤῥαφος,

(1) In originali diphthongus YO scribitur uno signo ligato, quod typis exprimere non potuimus. — H saepe reperitur pro N in inscriptionibus.

Digitized by Google

non consuta ex pluribus pannis; ἐκ τῶν ἄνωθεν indicat unde contextura exordiretur.

V. 24. NON SCINDAMUS EAM : scissa enim ad nihil foret utilis. — UT SCRIPTURA IMPLERETUR, id est Ps. 21 (22), 19. UT est vel explicativum vel finale : finale tamen ex parte divinae Providentiae liberos hominum actus dirigentis, non vero ex parte militum qui inscii vaticinium impleverunt. Psalmus 21, unde hoc vaticinium desumptum est, totus messianicus est sensu litterali. Est quasi elegia Christi in cruce agonizantis.

Nota est expositio mystica Patrum in Christi tunica inconsutili individuam Ecclesiae unitatem figurari celebrantium. S. August. (in h. l.) : « Quadripartita vestis Domini Jesu Christi » quadripartitam figuravit ejus ecclesiam, toto scilicet, qui » quattuor partibus constat, terrarum orbe diffusam, et omnibus » eisdem partibus aequaliter, id est concorditer distributam. »

Paulo aliter S. Cyrill. (in h. l.) : « Partes orbis quattuor sortitae sunt quodammodo et impartibiliter habent sacrosanctum » Verbi indumentum, hoc est corpus ejus. In minutas enim partes » singillatim distributus, et uniuscujusque animam cum corpore » sanctificans per suam carnem Unigenitus, integre et indivise est » in omnibus, unus exsistens ubique. »

Jesus matrem Joanni commendat

25. ***Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, et soror matris eius Maria Cleophae, et Maria Magdalene.*** **26.** ***Cum vidisset ergo Iesus matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suae : Mulier, ecce filius tuus.*** **27.** ***Deinde dicit discipulo : Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.***

V. 25. STABANT AUTEM IUXTA CRUCEM, παρὰ τῷ σταυρῷ, apud seu prope crucem. Synoptici *a longe stetisse mulieres* tradunt. Sed conciliatio facilis. Steterint non omnino prope

Digitized by Google

crucem, a qua a militibus prohibebantur, sed nec ita longe ut Jesum loquentem audire non possent; vel etiam, remotae prius, postea proprius accedere potuerint. — SOROR MATRIS EIUS MARIA CLEOPHAE, ἡ τοῦ Κλωπᾶ. Nomen aramaicum videtur fuisse חַלְפַי (Chalpai), *Alphaeus*. Unde haec mulier fuerit uxor Alphaei seu Cleophae (vel, ut vult Patrizi, filia Cleophae. Vide supra, p. 209, et simul proinde *mater Jacobi filii Alphaei* (Matth. Marc.) (qui Alphaeus in opinione Patritii censendus est avus Jacobi et Joseph). Teste Hegesippo (apud Eus., H. E., 3, 11), Cleophas ille erat frater S. Josephi, adeoque Maria Cleophae *soror* matris Jesu saltem per affinitatem (1). — ET MARIA MAGDALENE, sed et *Salome*, *mater filiorum Zebedaei* (2), ut novimus ex Matthaeo et Marco, *et aliae multae quae simul cum eo* e Galilaea *ascenderant Ierosolymam* (Marc. 15, 41).

V. 26. ... DICIT MATRI SUAE : MULIER, γύναι. Non dicit *Mater*, quia jam moriturus desinet in hac mortali vita esse filius ejus; vel etiam ne hac appellatione nimium eam dolore percellat. Appellatio γύναι reverentiam potius quam alium minus benevolum affectum denotat (vide ad 2, 4). ECCE, iste deinceps pro me erit FILIUS TUUS adeoque filii obsequia tibi rependet. En

(1) Dico *saltem* per affinitatem. Nam videtur et ejus fuisse consanguinea. Patrizi opinatur Mariam Cleophae fuisse B. Virginis patruelem *(cousine germaine du côté paternel)*.

(2) Sunt qui putent eam quae a Joanne dicitur *soror matris eius* esse ipsam *Salome*, matrem evangelistae, qui in enumeratione omisisset καὶ ante Μαρία ἡ τοῦ Κλωπᾶ. Quomodo enim, aiunt, propriam ibi matrem tacuisset? Fuisse tamen omissam copulam καὶ valde abhorret a Joannis scribendi ratione. — Si vera esset haec opinio, S. Joannes fuisset cognatus Domini (qualis tamen nusquam nominatur), et haec fuisset specialis ratio cur ei Jesus matrem commendasset moriturus (Fouard). — Facile, ut nobis videtur, explicatur apud Joannem omissio nominis Salome, si supponatur haec mulier vel tunc nondum ad Calvariam advenisse (a Synopticis certe non nominatur nisi post narratam mortem Jesu) vel adfuisse quidem, sed in alio caetu ac filius suus. Alias enim multas, praeter eas quae ab evangelistis nomine designantur, agoniae Christi adfuisse, aperte tradunt Matth. 27, 55; Marc. 15, 40. 41.

Digitized by Google

quomodo optimus filius matri suae prospiciat. Cur autem Joanni matrem commendat? Quia Joannes erat DISCIPULUS QUEM DILIGEBAT, cui ideo matrem suam tamquam pretiosissimum amoris pignus donavit. Et, ut canit Ecclesia : ***huic matrem virginem virgini commendavit*** (Hieron., De vir. illustr.).

Deserendus omnino est S. Cyrillus Alex. (in h. l.), ubi haec habet : « Addo his, Dominum matri quae in scandalum ceciderat, » et perperam de passione judicabat, providere debuisse... Cum » ergo intimas ejus cogitationes agnosceret, eam optimo praeceptori tradidit, nempe discipulo, qui mysterii altitudinem » exponere recte et idonee poterat. »

V. 27. DEINDE DICIT DISCIPULO : ECCE, ipsa deinceps erit MATER TUA et tu, qua filius, eam tamquam matrem diliges ac fovebis. ET EX ILLA HORA ACCEPIT EAM DISCIPULUS ille IN SUA, εἰς τὰ ἴδια, id est, ut aliqui volunt, in ***domum suam***, non in domum quam propriam possideret (omnia enim apostoli pro Christo reliquerant), sed in domo in qua habitabat. — Traditio est B. Virginem in domo Joannis mansisse usque ad beatam mortem suam. — Patrizi vertit εἰς τὰ ἴδια, ***inter ea quae sua erant***. Beelen : ***tot zich***. Quae expositio praeplacet, quia pressius inhaeret textui. Christus commendavit quidem matrem discipulo, at non videtur discipulum vicissim matri commendasse, quamvis nequeat dubitari B. Virginem materno plane amore Joannis erga se sollicitudinem rependisse.

Quaeritur itaque quid sentiendum sit de vulgata illa propositione, Joannem tunc sub cruce gessisse personam omnium fidelium, immo omnium hominum, nobisque omnibus tunc a Christo Mariam in matrem datam fuisse nosque ei ut filios commendatos.

R. Sensu litterali loci hujus evangelici id certe non dicitur : ibi enim tantum docemur Christum voluisse ante mortem suam matris orbitati subvenire, procurando ei refugium apud dilectionis discipulum, unde *ex illa hora accepit eam discipulus in sua.*

Digitized by Google

Sed nec reperta hactenus (quantum novimus) haec propositio est apud ullum Patrem ante Rupertum (saec. XII), qui dicit B. Virginem tunc totum genus humanum vitae peperisse, ideoque Christum cuicumque discipulo, si adfuisset, idipsum dicere potuisse quod Joanni dixit.

Igitur haec propositio nequit ex evangelio erui nisi sensu *accommodato*, magna tamen reverentia digno : siquidem jam adeo universali consensu profertur ut videatur sensum catholicum exprimere. — Interim verissimum fundamentum maternitatis Mariae quoad nos situm est in relationibus fraternitatis adoptivae quas cum Filio Dei per ejus incarnationem obtinuimus.

Nostra etiam facimus quae scripsit cl. D. Van Steenkiste (in Ev. S. Matth. 3ª ed. t. 3, p. 1265) ad quaestionem : « An verba » Christi in cruce ad matrem suam et ad S. Joannem adhiberi » possunt ad commendandam nostram devotionem erga B. Ma- » riam Virginem? Utique possunt, sed sensu quodam deducto ex » sensu litterali per paritatem rationis, hoc modo : per verba illa » voluit Jesus ut Joannes Mariam in terris honoraret et coleret » tamquam matrem suam, et hoc quidem propter amorem Jesu, » quia hujus mater erat : nos etiam, qui sicut Joannes sumus » discipuli Jesu eumque diligimus (ut par est), votis Jesu obse- » quemur honorando matrem ejus in caelis gloriosam, quippe » quae tanto dignior sit nostra veneratione quanto gloria ejus in » caelo superat dignitatem ejus in terris. »

Jesus aceto potatus exspirat

28. ***Postea sciens Iesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit : Sitio.*** **29.** ***Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius.*** **30.** ***Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit : Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum.***

Digitized by Google

V. 28. POSTEA SCIENS IESUS QUIA OMNIA reliqua, quae de se in Scriptura praedicta et Patris consilio praedefinita erant, jam CONSUMMATA SUNT, UT CONSUMMARETUR SCRIPTURA (Ps. 68, 22) DIXIT : SITIO. Verbum hoc dicit, non adeo ut intolerabili siti qua premebatur levamen accipiat, quam ut militibus occasionem praebeat acetum sibi in potum offerendi.

V. 29. VAS ERGO ERAT POSITUM ACETO PLENUM. Sunt qui velint in vase isto positum fuisse acetum pro potu communi militum quod dicebatur *posca* (Beelen, De Buck). — Alii putant hoc acetum cruciariorum causa ibi adfuisse, quo nimirum milites vel reos a deliquio excitarent vel fluentem sanguinem reprimerent. Sic enim melius explicatur cur statim calamum et spongiam ad manum habuerint. Ita Luc. Brug. Et videtur nobis probabilius. — ILLI AUTEM SPONGIAM PLENAM ACETO HYSSOPO, calamo hyssopi (Marc. 15, 36) CIRCUMPONENTES, OBTULERUNT ORI EIUS. Joannes plurali numero dicit, Marcus, unum ex eis id fecisse : suppone ceteros consensisse, unum porro pro ceteris acetum porrexisse. Sed et Lucas (23, 36) habet, milites istos Christo illusisse. — Hyssopi calamus exiguus est : ergo duos tantum vel tres pedes corpus Christi a terra videtur elevatum fuisse.

V. 30. CUM ERGO ACCEPISSET, bibisset ACETUM ut Scripturam impleret, DIXIT : CONSUMMATUM EST. Id omne intendit ad quod missus fuerat. — ET INCLINATO CAPITE, κλίνας τὴν κεφαλήν, quod antea ad caelum erectum tenuerat, TRADIDIT SPIRITUM, sponte, in manus Patris (Luc.). — In hac capitis inclinatione S. Chrysostomus prodigium videbat : solent enim, ait, homines mori capite erecto. Hoc tamen videtur minus accurate dictum. Neque est cur hanc inclinationem capitis prodigiosam fuisse dicamus, sed potius Christi in nos amoris significativam.

Digitized by Google

Jesu latus aperitur

31. ***Iudaei ergo, (quoniam Parasceve erat) ut non remanerent in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, et tollerentur.*** 32. ***Venerunt ergo milites : et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo.*** 33. ***Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura.*** 34. ***Sed unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua.*** 35. ***Et qui vidit, testimonium perhibuit : et verum est testimonium eius. Et ille scit quia vera dicit : ut et vos credatis.*** 36. ***Facta sunt enim haec ut Scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo.*** 37. ***Et iterum alia Scriptura dicit : Videbunt in quem transfixerunt.***

V. 31. IUDAEI ERGO, (QUONIAM PARASCEVE ERAT) ἐπεὶ παρασκευὴ ἦν, sine articulo : *parce que c'était vendredi*, pridie sabbati, UT NON REMANERENT IN CRUCE CORPORA SABBATO, quod cum solis occasu incipiebat. — Erat hoc vetitum non lege romana sed judaica; nam, juxta Deut. 21, 22, debebant cadavera suspensorum eodem die deponi. — ERAT ENIM MAGNUS DIES ILLE SABBATI, utpote secundus dies azymorum... UT FRANGERENTUR EORUM CRURA, et sic crurifragio interempti TOLLERENTUR. Apud Judaeos solebant interfectorum *cadavera* solum in cruce suspendi et ante occasum solis deponi. Romani homines vivos cruci affigere et in ea relinquere solebant donec exspirarent et cadavera putrescerent. Jesus quidem vivus cruci affixus fuerat cum latronibus, sed sollemnitas magni sabbati non sinebat corpora in cruce manere : ideo Judaei crurifragii supplicio lentae in cruce mortis angustias compensare volebant. — Quandoque Romani cruciarios etiam bestiis immissis devorandos tradebant.

V. 32. VENERUNT ERGO MILITES alii forte, ad hoc missi...

Digitized by Google

V. 33. UT VIDERUNT EUM IAM MORTUUM (vel tunc primum hoc viderunt vel iterum corpus attente considerantes), NON FREGERUNT EIUS CRURA : inutile quippe fuisset.

V. 34. SED UNUS MILITUM; ut nullum posset de vera morte ejus dubium esse, LANCEA LATUS EIUS APERUIT (graece ἔνυξε, *perfodit)*, ita ut cor transverberaret et sic, si adhuc viveret Jesus, certam ei mortem inferret. Utrum dextrum an sinistrum latus perfoderit, non liquet : illud probabilius, secundum versionem aethiopicam et evangelia apocrypha Nicodemi et Infantiae (Bisping).

ET CONTINUO EXIVIT, εὐθὺς ἐξῆλθεν, SANGUIS ET AQUA.

Quaeritur quomodo hoc factum sit, ***naturaene viribus an miraculo.***

R. ***1ª sententia*** supponit duplex miraculum : alterum quod e corpore mortuo sanguis *fluxerit*, cum sit in eo naturaliter coagulatus; alterum quod fluxerit *aqua*, quae naturaliter in regione cordis non invenitur. — Confirmatur, aiunt, ex eo quod evangelista in ea re prodigium agnovisse videtur (35).

2ª sententia, nullum fuisse miraculum. Nam per mortem sanguinis coagulati globulos, separatos ab umore quem *serum* vocant, una cum *sero* (quod Joannes vocat aquam, et revera vix aliud quam aquam continet) effluxisse.

Si dicas neque serum aquam proprie esse nec globulos istos proprie sanguinem.

Respondent. Sufficit vulgaris aestimatio, physiologica analysi non discutienda. — Quod si ita, factum de quo Joannes hic loquitur, probat Jesum antea vere mortuum fuisse.

Contra affertur *a)* Declaratio Innocentii III (3 Decretal., tit. 41, c. 6), ubi agit de quaestione : Quid consecratio efficiat in aquam vino calicis infusam? « Illud autem, ait, est nefarium » opinari, quod quidam dicere praesumpserunt, aquam videlicet » in phlegma converti. Nam et de latere Christi non aquam, » sed umorem aquaticum mentiuntur exisse, non attendentes,

Digitized by Google

» quod de latere Christi duo fluxerunt sacramenta, et quod non » baptizantur in phlegmate sed in aqua. » Sed ita non damnatur, ***aquam*** illam fuisse *serum*, cujus ex decem partibus novem aqua constant, sed illam fuisse *phlegma*, quod, secundum theoriam medicalem tunc receptam, unus erat ex quattuor umoribus, qui contradistinguebantur a quattuor elementis, quorum aqua unum erat. Unde supponebatur in phlegmate nihil aquae inveniri. — Sed praeterea *b)* peritissimi physiologi nunc docent, non nisi quattuor horis post mortem fieri separationem *serum* inter et *fibrinam* globulos rubros secum trahentem (vide Longet, *Physiologie*, t. 2, p. 701).

3ª sententia, aquam fluixsse sine ullo miraculo ex pericardiis transfossis.

Contra est in pericardiis non contineri nisi umorem viscosum, qui et rarus nimis est et minime fluit sicut aqua.

4ª sententia, sanguinem fluxisse secundum leges naturae, aquam per miraculum. Haec nostra est, quae videtur sola admitti posse, ceteris exclusis (1).

SS. Patres, Chrysost., August., Cyrill. etc. in hac re agnoscunt et luculenter celebrant mysterium duplicis sacramenti, Eucharistiae per sanguinem, baptismi per aquam figurati; adeoque e latere novi Adami in cruce dormientis fuisse a Deo ei formatam sponsam Ecclesiam, matrem omnium viventium in Christo.

Chrysostomus : « Ad haec enim mysterium ineffabile con» summabatur. *Exivit* enim *aqua et sanguis*. Non sine causa

(1) De opinione medici anglici W. Stroud, qui tenet cor Jesu in cruce disruptum fuisse, et inde mortem subito fuisse secutam factamque ilico separationem inter serum et placentam sanguinis, vide Bisping, in h. l. Jesum tamen *morbo* obiisse sensui christiano contrarium est. Praeterea si Christus morbo, etiam ex toleratis suppliciis orto, obiisset, non adeo recte diceretur a Judaeis fuisse *occisus*, uti Act. 3, 15; Luc. 18, 33; Act. 10, 39. Demum constat mortem ex disrupto corde iis tantum accidere quibus dudum organismus erat morbidus. Filium autem Dei assumpsisse sibi corpus humanum morbidum nemo cogitaverit. — Rejicienda igitur est illa opinio.

Digitized by Google

» vel casu hi fontes manarunt; sed quia ex hoc utroque Ecclesia » constituta est. Hoc sciunt initiati, qui per aquam regenerantur » ac per sanguinem et carnem nutriuntur. Hinc initium mysteria » sumunt, ut cum ad tremendum poculum accesseris, sic venias » ac si ex hoc latere potaturus esses (1). »

Augustinus : « Vigilanti verbo evangelista usus est, ut non » diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud; » sed *aperuit* : ut illic quodammodo vitae ostium panderetur, » unde sacramenta Ecclesiae manaverunt, sine quibus ad vitam, » quae vera vita est, non intratur. Ille sanguis qui fusus est, in » remissionem fusus est peccatorum; aqua illa salutare temperat » poculum; haec et lavacrum praestat et potum. Hoc praenun- » tiabat quod Noe in latere arcae ostium facere jussus est, qua » intrarent animalia quae non erant diluvio peritura, quibus » praefigurabatur Ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est » de latere viri dormientis et appellata est vita materque vivorum. » Magnum quippe significavit bonum, ante magnum praevari- » cationis malum. Hic secundus Adam inclinato capite in cruce » dormivit, ut inde formaretur ei conjux quod de latere dor- » mientis effluxit. O mors unde mortui reviviscunt? Quid isto » sanguine mundius? quid vulnere isto salubrius? »

Cyrillus Alex. : « Lancea latus ejus perfodiunt, unde cruor » aqua mistus scaturiit, quod eulogiae mysticae et baptismatis » imago quaedam erat atque primitiae. Christi enim est vere » et a Christo sanctum baptisma, et mysticae eulogiae vis ex » sancta nobis carne prodiit. »

V. 35. ET QUI VIDIT, ipse evangelista, TESTIMONIUM PERHIBUIT, μεμαρτύρηκε, ET ideo VERUM EST TESTIMONIUM EIUS. ET (etenim) ILLE SCIT QUIA VERA DICIT, idque instanter affirmat, UT ET VOS CREDATIS in Christum Filium Dei.

(1) Vide praeterea egregie de his mysteriis disserentem Chrysostomum, in breviario, lectionibus V et VII officii pretiosissimi Sanguinis Domini.

Digitized by Google

V. 36. Duo enim modo narrata facta constituunt duo motiva credibilitatis in Christum. FACTA SUNT ENIM HAEC eo fine UT SCRIPTURA IMPLERETUR : OS NON COMMINUETIS EX EO. Haec verba quoad sensum bis veniunt in Scriptura : Exod. 12, 46 : *nec os illius confringetis*; et Num. 9, 12 : *os eius non confringent*. In utroque loco sermo est de agno paschali sensu litterali, de Christo autem sensu typico.

V. 37. ET ITERUM ALIA SCRIPTURA DICIT : VIDEBUNT IN QUEM TRANSFIXERUNT. Emphasis ponenda non in *videbunt*, sed in *transfixerunt*. — Cf. Apoc. 1, 7. —Vaticinium hoc est Zachariae, 12, 10, ubi Vulgata habet : *et aspicient ad me, quem confixerunt*. Ita et textus hebraicus וְהִבִּיטוּ אֵלַי אֵת אֲשֶׁר־דָּקָרוּ (tamen nota adjecta a masoretis ad calcem paginae monet legendum אֵלָיו, *ad eum*, pro אֵלַי, *ad me)*. Sic omnino haberemus citationem S. Joannis, quae etiam contextui Zachariae videretur facilius quadrare. Tamen, cum lectio *ad me* in antiquis versionibus etiam inveniatur et sit difficilior, est critice praeferenda. S. Joannes forte in suo codice habebat אֵלָיו, vel certe ad sensum dumtaxat citavit. — Notandum est S. Joannem hoc vaticinium secundum textum hebraicum citasse, non vero secundum LXX. Hi enim habent : καὶ ἐπιβλέψονται πρός με ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο, *et aspicient ad me pro eo quod insultaverunt*. Error translatoris graeci procul dubio ortus est ex eo quod pro דָּקָרוּ, *transfixerunt*, legit רָקָדוּ, *saltaverunt*.

Jesus sepulcro reconditur

38. ***Post haec autem rogavit Pilatum Ioseph ab Arimathaea, (eo quod esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudaeorum) ut tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, et tulit corpus Iesu.*** **39.** ***Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhae, et***

Digitized by Google

aloes, quasi libras centum. 40. Acceperunt ergo corpus Iesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudaeis sepelire. 41. Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus : et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat. 42. Ibi ergo propter Parasceven Iudaeorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.

V. 38. ... AB ARIMATHAEA. Graece : ὁ Ἰωσήφ ὁ ἀπὸ Ἀριμαθαίας, cum duplici articulo : iste enim vir ejusque patria per Synopticos nota jam supponuntur. — ARIMATHAEA est hodiernum *Ramlah*, octo leucis distans a Jerusalem (Hengstenb.). — Erat vir bonus, justus et dives, membrum synedrii Judaeorum, cujus tamen nefariis in Jesum consiliis non consenserat — EO QUOD ESSET DISCIPULUS IESU, OCCULTUS AUTEM PROPTER METUM IUDAEORUM quos in synedrio collegas habebat. — UT TOLLERET CORPUS IESU et eo pro libitu faceret. VENIT ERGO, ET TULIT CORPUS IESU de cruce.

V. 39. De Nicodemo vide Jo. 3, 2 sq. et 7, 50. Nunc, sicut Joseph, audacior factus est. — QUASI LIBRAS CENTUM : magna aromatum copia, quae Christum, si vixisset, necessario suffocasset.

V. 40. LIGAVERUNT ILLUD LINTEIS CUM AROMATIBUS adhiberi solitis, μετὰ τῶν ἀρωμάτων. Cf. Jo. 11, 44.

V. 41. HORTUS ille Calvariae adjacebat, ita ut sepulcrum quadraginta quinque metris distaret a loco crucifixionis. — MONUMENTUM NOVUM, ipsius Josephi proprietas (Matth.), IN QUO NONDUM QUISQUAM POSITUS ERAT, quod et S. Lucas monet. Hinc nullum erat postea possibile dubium de corporis identitate.

V. 42. PROPTER PARASCEVEN IUDAEORUM, cujus terminus instabat, QUIA IUXTA (ἐγγὺς) ERAT MONUMENTUM, POSUERUNT IESUM. — Reliqua supplent Synoptici, quos vide.

Digitized by Google

SCHOLION ASCETICUM

Jure meritoque dicit S. Augustinus (Tract. 119 in Jo.) : « Lignum, in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra » fuit magistri docentis : » Docentis videlicet praecipua fidei capita et christianorum virtutum exercitium perfectissimum.

A) ***Fidei capita*** revelantur in mysterio crucis : 1) pluralitas Personarum in Deo, ubi Filius Dei patiens Deum invocat Patrem suum et moriens ei spiritum suum commendat. — 2) Dei attributa in opere redemptionis prae ceteris manifestata : *bonitas* et *misericordia*, qua lapso generi humano subvenit dando Filium suum; *justitia*, adaequatam pro peccato satisfactionem exigens; *sanctitas*, tanto odio prosequens peccatum ut ad illud delendum proprii Filii sanguinem requirat. — 3) *oeconomia incarnationis*, seu duarum naturarum in unica Christi divina hypostasi conjunctio : humanae, qua patitur et moritur; divinae, qua sponte sua tradit (παρέδωκε) spiritum suum et moriens omnia elementa commovet. — 4) ineffabilis *malitia peccati*, quod ipsi Deo mortis causa exstiterit. — 5) summum *pretium animarum* quas Filius Dei proprio sanguine redimere non dubitaverit. — 6) dogmata *sacrificii* et *sacramentorum* novae legis, baptismi scilicet et Eucharistiae e vulnere cordis Jesu mystice prosilientium.

B) ***Virtutum exercitium.*** In Christo crucifixo, quasi sanguineis characteribus carni ejus insculptae, nobis imitandae proponuntur virtutes praestantissimae : 1) *humilitas*, qua Dei Filius forma servi indutus factus est opprobium hominum et abjectio plebis, et cum sceleratis reputatus est. — 2) *paupertas*, qua rex regum omnibus nudatus in cruce pependit et ante mortem vestimenta sua inter milites dividi conspexit. — 3) *obedientia* usque ad mortem, mortem autem crucis, ad exsequendum beneplacitum Patris. — 4) *patientia* in doloribus corporis, quos sine querela sustinuit acerbissimos, et *resignatio* in animae derelictae angu-

Digitized by Google

stiis. — 5) ***abnegatio omnimoda***, qua rebus omnibus sibi carissimis libenter privari sustinuit, bonis externis, amicis, fama, interna consolatione atque adeo vita ipsa. — 6) ***tolerantia*** injuriarum, qua excepit scommata et irrisiones sibi in mortis agonia insultantium. — 7) ***amor inimicorum***, quo pro crucifigentibus se oravit. — 8) ***odium peccati***, contra quod usque ad mortem dimicavit. — 9) ***amor in proximum***, quo vitam pro amicis suis profudit. — 10) ***filialis pietas*** in parentes qua, suorum dolorum oblitus, matrem suam dilecto discipulo commendavit. — 11) ***misericordia in peccatores paenitentes***, qua latroni post primum contriti cordis suspirium ilico paradisum pollicitus est. — 12) ***fidelitas in bonis propositis*** qua, licet sollicitatus ut descenderet de cruce, in ea perseveravit donec omnia consummata essent quae sibi a Patre perficienda data fuerant.

Digitized by Google

CAPUT XX

Argumentum. Mane post sabbatum Magdalena, cum reperisset sublatum lapidem a sepulcro, Petrum et Joannem monet (1. 2). — Hi sepulcrum vacuum reperiunt, ideoque credit Joannes (3-10). — Magdalena ad sepulcrum reversa angelos primum, deinde ipsum Jesum videt eumque agnoscit, et quae vidit et audivit discipulis nuntiat (11-18). — Sero eodem die Jesus apparet apostolis, absente Thoma, eisque potestatem peccata dimittendi et retinendi concedit (19-23). — Thomae incredulitas (24-25). — Nova apparitio post octiduum, praesente Thoma, qui fidem suam in Christum vivum et Deum profitetur (26-29). — Evangelista cur scripserit declarat (30. 31).

DISSERTATIO PRAEVIA

De primis Christi resurrectionis nuntiis

Quomodo dominicae resurrectionis adjuncta primum comitatui Christi innotuerint, a quattuor evangelistis refertur; sed ita procedunt singulae eorum narrationes ut prima specie videantur in multis sibi contradicere. Maxima autem difficultas est in conciliandis iis quae de Magdalena in hac re habent Synoptici et quae de ea narrat Joannes. Igitur

Quaeritur 1° ***utrum Magdalena venerit ad sepulcrum sola, priusquam eo venerit cum aliis mulieribus.***

R. Nullo pacto admitti potest Magdalenam prius venisse solam ad sepulcrum quam eo veniret cum aliis mulieribus, de quibus Synoptici (Matth. 28, 1; Marc. 16, 1). Nam *a)* ipsa ceteris associata adveniens adhuc ignorabat sublatum fuisse lapidem (Marc. 16, 3); ergo idipsum sola antea non viderat (Jo. 20, 1). — *b)* accedit quod dicit Petro et Joanni : *Nescimus*, numero plurali; ergo lapidem esse sublatum viderat simul cum ceteris feminis. —

Digitized by Google

c) si jam venisset prius ad sepulcrum et porro Dominum viventem vidisset, neque ipsa neque ejus sociae ivissent ad sepulcrum cum aromatibus ad ungendum corpus Jesu.

Quaeritur 2° *utrum Magdalena cum ceteris mulieribus angelos ad sepulcrum viderit et audierit, necne.*

R. *1ª sententia* affirmat.

Rationes. 1) Quae hic narrat Joannes referuntur ad id quod Magdalena vidit ceteris mulieribus sociata, nec proinde potuit non videre et audire angelum (Matth., Marc.), vel angelos (Luc.). — 2) Synoptici narrant visionem angelicam de *mulieribus* illis indiscriminatim, et inter eas principem locum assignant Magdalenae. — 3) Apud Synopticos mulieres monentur ab angelo ut nominatim *Petro* nuntient, « *quia surrexit* Dominus. » Apud Joannem primum hujusmodi nuntium *Petro* defert *Magdalena* (Jo. 20, 2), dicens : « *Quia tulerunt Dominum...., et nescimus ubi posuerunt eum.* » Videtur ergo Magdalena pro se angeli monitum sumpsisse. — 4) S. Lucas (24, 9. 10) diserte dicit Magdalenam nuntiasse apostolis resurrectionem ab angelis relatam : ... *nunciaverunt haec omnia illis undecim... Erat autem Maria Magdalena et... quae dicebant ad apostolos haec...* V. 12. *Petrus autem surgens...* (Cf. Jo. 20, 3). — 5) Juxta Luc. 24, 22-24, mulieres narraverunt apostolis *visionem angelorum*; et ideo *quidam* ex eis (Petrus utique et Joannes) *abierunt ad monumentum*. Ergo Magdalena narravit Petro et Joanni, non modo corpus Christi fuisse ablatum, sed et angelos sibi apparuisse : quod quidem tacet Joannes sed supplendum est ex Synopticis.

Sunt qui addant : 6) Si vidit lapidem sublatum, non potuit non videre angelum *qui sedebat super eum* (Matth. 28, 2). At neque Joannes dicit Magdalenam ipsum lapidem vidisse, neque affirmat Matthaeus mulieres vidisse angelum sedentem super lapidem. Sed et ceterae mulieres, ut apparet ex narratione S. Lucae, angelum sedentem super lapidem *extra* sepulcrum non viderunt;

Digitized by Google

sed duos tantum angelos *intra* sepulcrum. Igitur putandus est ille angelus mansisse quidem super lapidem donec diffugissent custodes, postea vero recessisse. Duo angeli, intra sepulcrum stantes, alloquuntur mulieres : Lucas utriusque verba refert, Matthaeus et Marcus, unius dumtaxat; nisi malis Lucam ad utrumque angelum attribuisse verba unius, utriusque nomine loquentis.

2ª sententia negat.

Rationes. 1) Si angelos vidisset et audisset, non potuisset dicere, *Nescimus ubi posuerunt eum.* Surrexisse enim Jesum cognovisset. — 2) Neque ad sepulcrum regressa, potuisset angelos alloqui prout facit (Jo. 20, 13). — 3) Synoptici venisse quidem dicunt Magdalenam cum ceteris, at non dicunt cum ceteris eam recessisse. Secundum Joannem autem, statim ac vidit lapidem sablatum cucurrit ad apostolos. Ergo vel non accessit ad sepulcrum nec vidit angelum unum sedentem supra lapidem extra sepulcrum neque angelos duos in sepulchro, vel introivit quidem in sepulcrum sed recessit ante apparitionem angelicam (Luc. 24, 4), et sic de resurrectione Domini nihil tunc didicit. — 4) Si angelos audiisset, eis procul dubio credidisset, nec dixisset : « *Tulerunt Dominum... et nescimus.* » — Accedit quod S. Lucas diserte dicit mulieres quae angelos audiverant, eis credidisse. Ait enim (24, 8) : *Et recordatae sunt verborum eius*, Christi scilicet, qui ipsis resurrecturum se praedixerat.

Epicrisis. Eumdem Mariae Magdalenae ad sepulcrum accessum et a Synopticis et a S. Joanne referri ex supradictis clare elucet. Sic autem evangelistas conciliari posse putamus : Quae referunt Synoptici, intellegenda sunt de *mulieribus complexive* sumptis, non de singulis earum; quae autem habet Joannes, intellegenda sunt de sola Magdalena, ceteris omissis. Igitur Maria Magdalena venit ad sepulcrum cum ceteris mulieribus, et simul ac ipsae vidit sepulcrum sublato lapide esse vacuum. Ingressa et ipsa sepulcrum vidit ibi jam non esse corpus Domini (Luc. 24, 3). Dum autem sociae *mente consternatae* haerebant in sepulcro,

Digitized by Google

ipsa eas reliquit et cucurrit ad duos apostolos. Ita absente jam Magdalena duo angeli mulieribus apparuerunt. Quod autem dicat Lucas : *Erat autem Maria Magdalene et Ioanna et Maria Iacobi, et ceterae, quae cum eis erant, quae dicebant ad apostolos haec,* id ita intellegendum est, ut ab omnibus quidem simul sumptis apostoli *omnia haec* audiverint, non autem *omnia* a singulis. Magdalena nimirum nuntiavit primum Petro et Joanni sepulcrum apertum esse et ablatum inde corpus, postea discipulis narravit quomodo sibi apparuisset Dominus; ceterae mulieres reliqua quae sibi acciderant apostolis retulerunt. Ivisse autem quosdam discipulos ad monumentum ob narratam a mulieribus etiam visionem angelicam non dicit S. Lucas (24, 24). Unde ille locus non facit difficultatem.

Qui priorem sententiam defendunt, admittere debent Magdalenam, ob nimium suum videndi Jesu desiderium, angelos eorumque verba parvi pendisse; ita ut absentis corporis cogitatione penitus absorpta, de sublato corpore dumtaxat loqueretur. Eam certe prae amoris desiderio quasi delirasse confirmant ex Jo. 20, 13. 14. 15. Haec tamen explicatio duriuscula est, nec sufficit ad explicandos Synopticos, qui (in illa certe sententia) etiam Magdalenae tribuunt relationem visionis angelicae.

Quaeritur 3° *quomodo apparitiones primi diei sint chronologice ordinandae.*

R. Ceteris mulieribus ad sepulcrum haerentibus, Magdalena currit ad Petrum et Joannem. Hi statim festinant ad sepulcrum, sed antequam eo perveniant mulieres jam recesserant, nuntium resurrectionis ad apostolos laturae. Magdalena Petrum et Joannem sequitur, et post eorum a sepulcro discessum ibi remanet plorans. Angelos mox videt et Domini Jesu apparitione omnium prima (1) donatur (Marc. 16, 9). Paucis post momentis,

(1) Loquimur jam de iis solis apparitionibus quas S. Scriptura commemorat. Minime igitur intendimus in dubium vocare piam traditionem, secundum quam B. Virgo prima omnium filium suum resuscitatum viderit.

Digitized by Google

puta, mulieres Bethaniam petentes Jesum in via obvium habent. Magdalenam tunc cum eis fuisse parum est probabile. Tempus enim non suppetebat ut se eis currendo Maria adjungeret. Sed admonita ab ipso Christo, nihil habuit antiquius quam ut apostolis resurrectionem Domini nuntiaret. Qua audita, putandus est Petrus ardenti desiderio a Christo obtinuisse ut ante vesperam visione Domini viventis frueretur, secundum illud Lucae (24, 34) : *et apparuit Simoni.* Circa solis occasum videndum se praebuit Jesus duobus discipulis euntibus Emmaum versus, et postquam hi quae sibi accidissent ceteris discipulis narraverant, Jesus in cenaculo decem apostolis aliisque qui cum eis erant apparuit.

Quaeritur 4° ***quomodo evangeliorum narrationes sint harmonice connectendae.***

Secundum datam explicationem, hoc modo ordinanda est in illa re harmonia evangeliorum :

Cum transisset sabbatum, Maria Magdalene et Maria Jacobi et Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Jesum. Una autem sabbati, valde diluculo cum adhuc tenebrae essent, venerunt (Bethania profectae sunt) ad monumentum, portantes quae paraverant (et coemerant) aromata. Et veniunt ad monumentum, orto jam sole. Et dicebant ad invicem : Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt revolutum (esse) lapidem. Angelus enim Domini descendit de caelo, et accedens revolvit lapidem et sedebat super eum (sed recesserat quando in conspectu sepulcri erant mulieres). Hae invenerunt lapidem sublatum a monumento. Et ingressae non invenerunt corpus Domini Jesu. Et factum est, dum consternatae essent de isto, Magdalena (eas relinquens) cucurrit et venit ad Simonem Petrum et ad alium discipulum, quem amabat Jesus, et dicit illis : Tulerunt Dominum de monumento et nescimus ubi posuerunt eum. (Interea) ecce duo viri steterunt secus illas (mulieres in sepulcro) in veste fulgenti candida. Cum timerent autem, et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas (unus nomine

Digitized by Google

amborum) : Nolite expavescere : scio enim quod Jesum, qui crucifixus est, quaeritis; quid quaeritis viventem cum mortuis? Surrexit, non est hic, venite et videte locum ubi posuerunt eum. Recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilaea esset, dicens : Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertia resurgere. Et recordatae sunt verborum ejus. (Et dixit angelus) : Cito euntes dicite discipulis ejus et Petro quia surrexit; et ecce praecedit vos in Galilaeam, ibi eum videbitis : ecce praedixi vobis. Et exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus, et nemini quidquam dixerunt. (Quae dum recederent a sepulcro), exiit ergo Petrus et ille alius discipulus et venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus praecucurrit citius Petro et venit primus ad monumentum... Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. Maria autem (quae post eos venerat) stabat ad ostium monumenti foris plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum, et vidit duos angelos (qui discipulis se videndos non praebuerant), etc. ut Jo. 20. 12-17. (Interea) ecce Jesus occurrit illis (ceteris mulieribus), dicens : Avete. Illae autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum. Tunc ait illis Jesus : Nolite timere; ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilaeam, ibi me videbunt. Et regressae a monumento (Magdalena et ceterae) nuntiaverunt haec omnia illis undecim et ceteris omnibus. Venit (scilicet) Maria Magdalene annuntians discipulis : Quia vidi Dominum, et haec dixit mihi. Illa vadens nuntiavit his qui cum eo fuerant, lugentibus et flentibus. Et illi audientes quia viveret et visus esset ab ea, non crediderunt. (Aliae) venerunt, dicentes, se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non crediderunt illis.

Digitized by Google

EXPOSITIO TEXTUS

Magdalena ad sepulcrum

1. ***Una autem sabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebrae essent, ad monumentum : et vidit lapidem sublatum a monumento.*** **2.** ***Cucurrit ergo, et venit ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum, quem amabat Iesus, et dicit illis : Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum.***

V. 1. UNA AUTEM SABBATI, τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων, id est, *prima die hebdomadis* (1), MARIA MAGDALENE (ita dicta a Magdala, oppido Galilaeae unde erat oriunda) VENIT cum aliis mulieribus quae Jesum secutae fuerant a Galilaea (Matth. 28, 1; Marc. 16, 1; Luc. 23. 55; 24, 1. 10) MANE, CUM ADHUC TENEBRAE ESSENT; tunc scilicet reliquit domum quam habebat Bethaniae 3/4 leucis a Calvaria (2), et sic *venit ad monumentum valde mane*, *orto iam sole*, ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου. — Aliquas saltem ex aliis mulieribus etiam Bethaniae tunc habitasse merito conjicitur ex eo quod Jesum secutae erant e Galilaea adeoque censendae sunt eodem loco ac Jesus tunc divertisse; ultimis autem illis diebus Jesus commoratus fuerat Bethaniae (Marc. 11, 11. 12). — ET VIDIT LAPIDEM SUBLATUM A MONUMENTO, καὶ βλέπει τὸν λίθον ἠρμένον ἐκ τοῦ μνημείου, quod et aliae mulieres viderunt (Marc. 16, 4; Luc. 24, 2). Id autem vidisse eas cum adhuc sat longe essent a sepulcro, concluditur ex Marc. 16, 4: *erat quippe magnus valde*. — Eas tamen ipsum lapidem revolutum statim vidisse non dicit evangelista. Scribit enim : καί

(1) Cf. Luc. 18, 12 : *Ieiuno bis in sabbato*, δὶς τοῦ σαββάτου.

(2) Supponimus hic Magdalenam eamdem ac sororem Lazari. Vide p. 299 sq.

Digitized by Google

ἀναβλέψασαι θεωροῦσιν ὅτι ἀποκεκύλισται ὁ λίθος, non vero : θεωροῦσιν ἀποκεκυλιμμένον τὸν λίθον.

V. 2. VENIT AD SIMONEM PETRUM ET AD ALIUM DISCIPULUM, πρὸς τὸν ἄλλον μαθητὴν, QUEM AMABAT IESUS, qui ergo, ut videtur, in eadem domo ac Petrus versabantur, non procul a sepulcro, ita ut interjectum spatium potuerint ambo currendo perficere. Juxta aliquam traditionem S. Joannes domum habebat prope Calvariam, in qua tunc supponere possumus fuisse et Petrum, Joannis socium individuum. — TULERUNT (abstulerunt) DOMINUM DE MONUMENTO. — Ita dicit, de resurrectione Domini minime cogitans. — ET NESCIMUS ego et sociae meae UBI POSUERUNT EUM. — ALIUS ille DISCIPULIS, ὁ ἄλλος μαθητής. S. Joannes est, ut supra vidimus, p. 7 et 8.

Discipuli ad sepulcrum

3. Exiit ergo Petrus, et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum. 4. Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus praecucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum. 5. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introivit. 6. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum, et vidit linteamina posita, 7. Et sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. 8. Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum : et vidit, et credidit : 9. Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere. 10. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos.

V. 3. 4. CURREBANT, curiositatis sanctae ardore impulsi. Joannes, utpote multo junior, PRAECUCURRIT CITIUS PETRO.

V. 5. CUM SE INCLINASSET in aperturam, tres pedes supra solum elatam, VIDIT POSITA LINTEAMINA quibus corpus Jesu

Digitized by Google

involverant, NON TAMEN INTROIVIT, « tremore detentus, aut his jam contentus, » ait Euthym. — S. Thom. Aq., Tolet., etc. non intrasse tenent ob reverentiam debitam Petro seniori et apostolorum capiti. Nihil tamen in contextu motivum hujusmodi insinuat.

V. 6. INTROIVIT, ut erat Joanne audacior, ET VIDIT LINTEAMINA POSITA, κείμενα, *jacentia*.

V. 7. ET SUDARIUM, quod Joannes videre non potuerat. Adverte quam accurate omnia describat, utpote oculatus testis.

Multus est S. Chrysostomus (in h. l.) in evolvendo argumento veritatis dominicae resurrectionis quod eruitur ex dispositione sepulcri.

V. 8. ET VIDIT eadem ac Petrus, ET CREDIDIT vera esse quae dixerat Magdalena, ait S. Augustinus, sed probabilius CREDIDIT Jesum resurrexisse. Id enim sonat apud Joannem τὸ *credidit* absque regimine : *credidit* nempe mysterium messianicum cum iis quae viderat connexum, qualis erat Christi resurrectio. — Praeterea, si vera esset interpretatio S. Augustini, etiam Petrus idipsum credidisse diceretur. — Hic tamen non credidit, sed (Luc. 24, 12) *abiit, secum mirans quod factum fuerat.*

V. 9. NONDUM ENIM SCIEBANT antea, immo et illo ipso momento SCRIPTURAM praedicentem (Ps. 3, 6 et Ps. 15 (16), 10; etc.) QUIA OPORTEBAT... Ideo non credidit antequam videret, sed solum postquam viderat sepulcrum vacuum et linteamina cum sudario derelicta. — Tunc forte recordatus est praedictionis Jesu. — Fidem suam Petro non aperuit, ut videtur.

Patet duos apostolos non vidisse duos angelos in sepulcro. Hi non apparent nisi ut munere nuntiorum resurrectionis fungantur, quod munus apud mulieres tunc jam impleverant.

Jesus apparet Magdalenae

11. ***Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans : Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum :*** **12.** ***Et***

vidit duos angelos in albis, sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Iesu. **13.** *Dicunt ei illi : Mulier, quid ploras? Dicit eis : Quia tulerunt Dominum meum : et nescio ubi posuerunt eum.* **14.** *Haec cum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Iesum stantem : et non sciebat quia Iesus est.* **15.** *Dicit ei Iesus : Mulier, quid ploras? quem quaeris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei : Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum : et ego eum tollam.* **16.** *Dicit ei Iesus : Maria. Conversa illa, dicit ei : Rabonni (quod dicitur Magister.)* **17.** *Dicit ei Iesus : Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum : vade autem ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum.* **18.** *Venit Maria Magdalene annuncians discipulis : Quia vidi Dominum, et haec dixit mihi.*

V. 11. MARIA Magdalena, quae duos apostolos pone secuta fuerat, post eorum discessum STABAT AD MONUMENTUM FORIS, PLORANS amissum corpus Magistri.

V. 12. ET VIDIT DUOS ANGELOS... Angelos esse non cogitat; sed nec mirari videtur eorum praesentiam, una semper cogitatione ablati Domini sui absorpta. Fueruntne iidem angeli qui antea mulieribus apparuerant? Non liquet. Probabile est eos Magdalenae non apparuisse *in veste fulgida*, ἐν ἐσθήσεσιν ἀστραπτούσαις (Luc. 24, 4), secus obstupuisset Magdalena, sicut sociae ejus (Marc. 16, 5).

V. 13. Idem angelis dicit Magdalenā quod discipulis, sed NESCIO, numero singulari.

V. 14. CONVERSA EST RETRORSUM, audiens viri praesentis strepitum, vel omnia circum se perlustrans. — ET VIDIT IESUM STANTEM, aliena specie velatum, vel certe *oculi Mariae tenebantur ne eum agnosceret*. Cf. Luc. 24, 16.

V. 15. QUEM QUAERIS? vel quod Mariae agendi ratio indicaret

Digitized by Google

eam quaerere aliquem, vel potius quod Jesus id divina sua scientia nosset. Dicit enim non, *quid*, sed, *quem* quaeris? — ILLA EXISTIMANS QUIA HORTULANUS ESSET, ὁ κηπουρός, horti in quo erat sepulcrum (19, 41)... SI TU SUSTULISTI EUM... Quem? Non dicit, nec dicere cogitat, quasi omnes essent eadem ac ipsa cogitatione occupati. — ET EGO EUM TOLLAM. Amoris sanctum delirium!

V. 16. DICIT EI IESUS, tono suo naturali se manifestans : MARIA! — CONVERSA rursus ad eum, DICIT EI : RABBONI (aramaicum רִבּוֹן pro רַבָּן, cum suffixo primae personae י. Itaque *Rabboni* idem est ac *Magister meus!* Aliis tamen placet habere י ut paragogicum : unde ipsis *Rabboni* sonat tantum *Magister!).*

V. 17. Magdalena visione Domini frui non contenta, eum tangere, pedes ejus amplecti parat, eique sic diutius adhaerere cupit, ut amori suo satisfaciat; id autem prohibet Dominus dicens : NOLI ME TANGERE nunc, vel diutius apud me haerere : postea suppetet me pluries videndi occasio (Patrizi) : NONDUM ENIM ASCENDI AD PATREM, sed quadraginta dies in terris deinceps versabor; VADE AUTEM AD FRATRES MEOS discipulos, quos fratres vocat ut sciant Magistrum in vita gloriosa non minore familiaritate et amore suos complecti. — ASCENDO mox... secundum humanitatem meam,... VESTRUM addit, ut dicipulis fiduciam inspiret et spem excellentium donorum per Christi exaltationem consequendorum. — Quam dulcia haec verba discipulis fuerint, qui die passionis Magistrum fugientes reliquerant! — Fratres Christi sunt, quia eumdem cum Christo Deum habent patrem, cujus sunt filii adoptivi. — Duplex Christi natura iterum egregie hoc loco revelari conspicitur.

Christum prohibuisse Magdalenam a contactu corporis sui ob debitam sibi reverentiam, non est probabile : nam et se olim eidem Magdalenae tangendum praebuit ad mensam Simonis pharisaei; et post resurrectionem discipulis se permisit contrectandum. —

Digitized by Google

Accedit quod, in illa expositione, nullus est nexus causalis cum sequente, *nondum enim ascendi ad Patrem.*

V. 18. Mandatum exsequitur Magdalena; sed ei discipuli non crediderunt (Marc. 16, 11), sicut nec ceteris mulieribus (Luc. 24, 11).

Apparet apostolis absente Thoma

19. ***Cum ergo sero esset die illo, una sabbatorum, et fores essent clausae, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudaeorum : venit Iesus, et stetit in medio, et dixit eis : Pax vobis.*** **20.** ***Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, et latus. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino.*** **21.** ***Dixit ergo eis iterum : Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.*** **22.** ***Haec cum dixisset, insufflavit : et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum :*** **23.** ***Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt.***

V. 19. CUM ERGO SERO ESSET DIE ILLO, et jam post solis occasum. Nam duo discipuli, quibus Emmaum euntibus Jesus *inclinata jam die* apparuerat, reduces tunc erant in civitatem. Cf. Luc. 24, 29. 33. 36. 13. Morem igitur Graecorum etiam hic sequi putandus est S. Joannes in dierum partitione. — ET FORES ESSENT CLAUSAE, καὶ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, intellege in sensu composito, cum veniret. — UBI ERANT DISCIPULI, decem apostoli et alii (Luc. 24, 33) CONGREGATI, in cenaculo, ut videtur (Act. 1, 13), quod putatur illud fuisse in quo ultimam cenam cum Christo egerant, situm in monte Sion. — PROPTER METUM IUDAEORUM : id explicat cur fores essent clausae. — Dum adhuc loquerentur duo discipuli regressi ab Emmao (cf. Luc. 24, 36), et statim post increduli Thomae discessum (Luc. 24, 33 : *undecim),* VENIT IESUS, ob corporis gloriosi subtilitatem fores clausas penetrans, ET STETIT IN MEDIO, ut omnibus esset conspicuus,

Digitized by Google

quippe magnum acturus cum eis arcanum, ET DIXIT EIS : PAX VOBIS, solita Semitarum utens salutandi formula.

V. 20. ET CUM HOC DIXISSET, discipulis stupentibus et existimantibus se spiritum videre, OSTENDIT EIS MANUS, ET LATUS, vulnerum cicatrices gerentia, ita carnis suae veritatem comprobans. — Cetera vide apud Luc. 24, 33 sq., ubi eadem apparitio describitur. — GAVISI SUNT ERGO DISCIPULI, VISO DOMINO. S. Chrysostomus : « Viden' rebus verba confirmari. Nam quod » dixit ante crucem : *Iterum videbo vos, et gaudebit cor* » *vestrum*... (Jo. 16, 22), hoc nunc opere complevit. »

V. 21. DIXIT ERGO EIS ITERUM, quasi discessurus et suis consueta formula valedicens : PAX VOBIS. Discessurus autem et brevi terram relicturus, pro se apostolos ad opus messianicum perficiendum mittit. SICUT MISIT ME PATER, divina auctoritate et ad munus redemptionis humanae procurandae, ET etiam vicissim, simili modo, eadem nempe divina auctoritate et ad idem munus implendum, EGO MITTO VOS. Adverte perfectum parallelismum : *Pater, ego; misit, mitto; me, vos.*

Haec autem verba dixisse Jesum non ad omnes discipulos ibi tunc praesentes, sed ad solos *apostolos*, apte concluditur ex substrata materia verborum istorum. Hi enim soli, prae ceteris qui aderant (Luc. 24, 33), electos se noverant a Christo ad talem missionem, ideoque ab ipso Domino ἀπόστολοι, שְׁלִיחָא, *missi* vocati fuerant. — Nec tamen poterat haec missio in mente Christi ad solas apostolorum *personas* coarctari, sed ab ipsis erat certis successoribus communicanda : opus enim Christi continuandum erat in Ecclesia; ideo missio ad idipsum durare debebat *usque ad consummationem saeculi* (Matth. 28, 20). Ergo praesens Christo sermo valebat pro apostolis eorumque in Ecclesia successoribus. Cum autem postea apostolis successerint alii cum sacerdotii potestatis plenitudine, qui sunt episcopi, alii in partiali tantum potestate, qui sunt presbyteri, traditionis catholicae erat definire quae et quanta pars istius missionis eique tunc a Christo

Digitized by Google

adnexae potestatis fuerit a Christo simplicibus presbyteris communicata. In casu praesenti, potestas remittendi et retinendi peccata ex constanti traditione noscitur etiam presbyteris fuisse concessa, cum certis tamen limitationibus quoad exercitium. Praeterea ratio de congruo assignari potest, cur Christus noluerit hac potestate donare solos episcopos : cum enim haec potestas exerceri debeat, et quidem per modum judicii, circa fideles individuos qualescumque, pronum erat putare noluisse ea Christum tam paucos Ecclesiae ministros investire. — Videsis S. Chrysostomum (in h. l.) multis disserentem de dignitate sacerdotum deque honore eis debito.

V. 22. Specificat jam Christus peculiarem concreditae apostolis missionis partem. HAEC CUM DIXISSET, INSUFFLAVIT (unico in decem apostolos flatu, ut probabile est), actione symbolica manifestans donum Spiritus sancti ipsis impertiendum. — ET DIXIT EIS : ACCIPITE (λάβετε) eo ipso momento SPIRITUM SANCTUM, quem a se procedere verbo et actione illa non obscure insinuabat. — Potestas peccata remittendi et retinendi plane divina est : nemo enim nisi Deus, per peccatum offensus, aliquid in peccati veniam efficere valet. Unde non nisi ex Dei delegatione dari potest hominibus. Merito igitur dicuntur apostoli cum hac ipsa potestate Spiritum sanctum accipere. — Haec tamen potestas est *gratia gratis data*, non vero *gratum faciens*.

Quaeritur quomodo ***daretur Spiritus sanctus tunc*** qui videbatur promissus in diem Pentecostes tantum.

R. Promissa erat in diem Pentecostes plenitudo donorum Spiritus sancti; sed hoc non impedit quominus potuerit antea communicari secundum virtutem partialem. Ita etiam dudum antea in apostolos Spiritus sanctus venerat cum gratia sanctificante.

V. 23. QUORUM REMISERITIS. Graece ἄν τινων, *si quorum*, *si erga aliquos exercueritis hanc potestatem*. Nullus hic excipitur nisi infidelis, ut patet ex aliis Scripturae locis. Hic enim, quamdiu

Digitized by Google

talis est, *manet sub ira Dei* (Jo. 3, 36). Praeterea, cum sit haec potestas exercenda per modum *judicii*, ut constat ex doctrina catholica, sequitur eam non posse ab Ecclesia exerceri nisi circa sibi subditos, ac proinde hic non agi nisi de peccatis commissis post baptismum. — REMISERITIS verbum est activum : ergo remissio intenditur quae fiat per actionem propriam et efficacem, non per meram declarationem remissionis jam factae a Deo.

Nec dicas : Sufficit ad sensum textus ut actio illa remissiva sit efficax ad forum Ecclesiae externum tantum, praesupposita remissione interna facta a solo Deo immediate.

Nam respondeo : Connexum cum hac potestate donum communicati Spiritus sancti satis ostendit agi de potestate efficaci circa animarum sanctitatem *internam*, quae Spiritus sancti virtuti debeatur.

PECCATA, τὰς ἁμαρτίας. Nulla fit restrictio; attamen in usu loquendi Scripturae sub hoc nomine non solent venire nisi *peccata mortalia :* haec autem hic intellege qualiacumque, externa et interna, numero quocumque. Ergo in Ecclesia nullum est peccatum irremissibile (1). Sacerdoti videndum tantum est an *tali* vel *tali* personae (ἄν τινων), pro sua cuique dispositione, remittenda sint *omnia peccata*. — REMISERITIS autem, sive integre quoad culpam et poenam, sive cum onere congruae satisfactionis praestandae. Hoc ultimum intendi manifestat traditio. — REMITTUNTUR EIS (ἀφίενται). Tempus praesens pro futuro insinuat immediatam sacerdotalis sententiae efficaciam. — ET QUORUM (ἄν τινων, *si quorum)* RETINUERITIS (κρατῆτε), ut quos judicaveritis ad absolutionem recipiendam ineptos, RETENTA SUNT (κεκράτηνται, tempore perfecto), quia eorum peccata ipsis, prout erant antea, remanent. Adverte etiam, Christum non dicere

(1) Venialia, quae et ipsa sunt peccata, per potestatem Ecclesiae posse remitti, concluditur a fortiori. Non esse ea necessario clavibus subjicienda sola traditione docemur.

Digitized by Google

in 2° membro, *quorum non remiseritis*, sed, *quorum retinueritis*, ita ut τὸ *retinere* intellegatur fieri a sacerdote actione positiva, sententia prolata contraria ei sententiae per quam peccata remittat.

SCHOLION DOGMATICUM

A) Sensus hujus textus definitus est ab Ecclesia in concilio tridentino, Sess. XIV, can. 3 de Paenit. Haec nempe verba *esse intellegenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento Paenitentiae, sicut ecclesia catholica ab initio semper intellexit;* et damnat eum qui ea *detorserit ad auctoritatem praedicandi evangelium.*

B) Canone 2 damnat, *si quis, sacramenta confundens, ipsum baptismum Paenitentiae sacramentum esse dixerit.*

Ad quae nota :

Si verba Christi nude per se, praescindendo a sensu quo ea ecclesia catholica ab initio intellexit, considerentur, possent *utcumque* de baptismo exponi (non vero ullo modo de potestate praedicandi). Attamen *a)* quotiescumque in novo testamento sermo est de baptismo, semper fit aliqua mentio externae ablutionis, sive per vocem βαπτίζειν sive alio modo. Cf. Jo. 3, 5; Eph. 5, 26; 1 Pet. 3, 21; etc. — *b)* in baptismo remissio peccatorum non solet attribui (ut hic) hominis baptizantis voluntati sed potius virtuti aquae sanctificatae. — *c)* valde improprie dicerentur sacerdotes aliquem non baptizantes (vel aliquem baptizare renuentes) ejusdem RETINERE peccata.

Itaque sensus obvius loci hujus omnino convenit cum interpretatione catholica quae tenet hanc potestatem exerceri per *judicialem* sacerdotis *sententiam.*

C) **Quaeritur** an et quomodo possit ex hoc textu deduci : 1) sacramentum Paenitentiae esse *lapsis post baptismum ad salutem necessarium ut nondum regeneratis (est) ipse baptismus*

Digitized by Google

(Trid. XIV, cap. 2 de Paenit.) — 2) *in sacramento Paenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia* (Trid XIV, can. 7 de Paenit.).

R. ad 1) Verba : *Quorum remiseritis remittuntur, et quorum retinueritis retenta sunt* sensu obvio sonant, circa peccata remittenda vel retinenda nihil in Ecclesia effici nisi mediante illa potestate sacerdotum, ac proinde nullum aliud extra eam potestatem superesse medium. Confirmatur ex usu loquendi Scripturae, ut Matth. 16, 19; Apoc. 3, 7; Marc. 16, 16; Jo. 3, 36; etc. — τὸ *retenta sunt* dicitur absolute : ergo absolute est intellegendum, donec adversarius probet subaudiendum esse : *nisi peccator aliud remissionis medium adhibeat.*

Nec dicas : Aliud medium dari revelatum est, *caritatem cum contritione perfecta.* Ergo per eam poterit peccator justificari.

Nam respondeo : Haec caritas supponit observationem praeceptorum Dei; ergo hoc medium recidit in usum sacramenti Paenitentiae, si probari possit hunc usum esse peccatori praeceptum.

ad 2) Judicium confessarii, juxta textum nostrum, fertur *primario* in dispositiones paenitentis : has ergo debet cognoscere confessarius. Ad id autem requiritur ut *aliquousque* paenitens manifestet quot et qualia peccata commiserit : ex hac enim notitia valde juvatur confessarius ut judicet de contritione et de emendationis proposito. Sed praeterea, ad servandam aequitatem in poenis injungendis requiritur notitia accuratior de numero et gravitate peccatorum (1). Jam vero verba Christi, ad hermeneuticae regulas exacta, *possunt* includere potestatem et debitum exigendae congruae satisfactionis; et traditio eadem sic intellegi *debere* manifestat (de qua traditione vide theol. dogm.). Ergo verba Christi sic intellecta indicant ejus voluntatem, ut omnia

(1) Non potest tamen nimis urgeri hoc argumentum, secus probaret etiam, in confessione esse aperiendas circumstantias notabiliter aggravantes, quod a plerisque theologis jam non admittitur.

Digitized by Google

peccata mortalia per numerum et speciem necessario clavibus sacramenti subjiciantur. Demum, licet multitudo et gravitas peccatorum nequeant impedire quominus in paenitentem rite dispositum confessarius sententiam remissionis pronuntiet, verum tamen est peccata paenitentis esse *causam* quae ad sacrum tribunal defertur : constat autem, aiunt Patres tridentini, judicem incognita causa sententiam ferre non posse. Ergo peccata illa omnia judici declaranda sunt.

Thomae incredulitas

24. ***Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Iesus.*** **25.** ***Dixerunt ergo ei alii discipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus eius, non credam.***

V. 24. THOMAS... NON ERAT CUM EIS. Communis tamen est sententia et ipsum cum ceteris accepisse potestatem clavium, ut quam voluerit Christus apostolorum integro collegio largiri.

V. 25. VIDIMUS DOMINUM, et palpavimus (Luc. 24, 39). — FIXURAM CLAVORUM : unde certum est manus Jesu fuisse clavis cruci affixas. Apud Luc. 24, 39 idipsum de pedibus innuitur : secus cur eos ostendisset in argumentum? Accedit, nullum exstare antiquitatis testimonium quod probet cruciariorum pedes aliquando non fuisse clavis confixos (vide Dissertat., p. 501-503).

Apparitio praesente Thoma

26. ***Et post dies octo, iterum erant discipuli eius intus : et Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, et stetit in medio, et dixit : Pax vobis.*** **27.** ***Deinde dixit Thomae : Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum : et noli esse incredulus, sed fidelis.*** **21.** ***Respondit Thomas, et dixit***

Digitized by Google

ei : Dominus meus, et Deus meus. 29. Dixit ei Iesus : Quia vidisti me Thoma, credidisti : beati qui non viderunt, et crediderunt.

V. 26. ITERUM ERANT... INTUS, sive in eodem loco Jerosolymis, sive jam in Galilaea, quo se conferre jussi fuerant.

S. Chrysostomus (in h. l.) : « Cur non statim illi apparuit, sed » post dies octo? Ut antea a discipulis institutus et edoctus in ma» jus traheretur desiderium, et magis in futuro confirmaretur. » — Et supra : « Tu vero cum vides non credentem discipulum, » Domini clementiam cogita, quomodo vel pro una anima osten» dat se vulnera habere, et adveniat ut etiam unum salvet quam» vis ceteris crassiorem. »

V. 27. VIDE MANUS... vide simul et tange et sic evidenter cognosce meipsum viventem. — ET NOLI ESSE INCREDULUS, SED FIDELIS. Graece : καὶ μὴ γίνου ἄπιστος, ἀλλὰ πιστός, id est, *noli* fieri *incredulus, sed fidelis*. Antea non crediderat et putatur quidem in hoc graviter peccasse, sed nondum erat *incredulus* seu in statu ἀπιστίας obfirmatus. — SED FIDELIS, resurrectionem meam deinceps credens.

V. 28. Thomas palpasse non dicitur : probabiliter non est ausus; sed respondit : ... DOMINUS MEUS, ET DEUS MEUS! ὁ Κύριός μου καὶ ὁ θεός μου. Nominativus ponitur hic pro vocativo (cf. Marc. 9, 25; Matth. 27, 29; Jo. 8, 10; Matth. 11, 26; Luc. 18, 11, et Beelen, Grammat., p. 182-184). S. Thomas praeclaro encomio Christi duplicem naturam profitetur. — Haec verba S. Thomam direxisse ad Christum, patet ex textu : καὶ εἶπεν αὐτῷ, estque praeterea certum ex concilii Constantinopolitani II cap. 12, ubi damnat defendentes Theodorum Mopsuestenum in eo quod dixit : « haec verba a Thoma non dicta fuisse » de Christo, sed miraculo resurrectionis perculsum, Thomam » laudasse Deum qui Christum suscitasset. »

V. 29. ... QUIA VIDISTI ME THOMA viventem, CREDIDISTI me surrexisse adeoque Deum me esse professus es! BEATI, id est,

Digitized by Google

beatiores te sunt, qui NON VIDERUNT me suscitatum et nihilominus CREDIDERUNT. Tales laudat S. Petrus (1 Pet. 1, 8). Magnae nobis consolationis haec verba sint oportet! Quo minora quis habet et pauciora humanae rationis et experientiae argumenta in re fidei, eo majoris meriti fides ejus est (suppone tamen actus fidei eliciendi motiva sufficientia).

Conclusio evangelistae

30. ***Multa quidem, et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc.*** **31.** ***Haec autem scripta sunt ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei: et ut credentes, vitam habeatis in nomine eius.***

V. 30. MULTA QUIDEM, ET ALIA SIGNA, in vita sua mortali et gloriosa, FECIT IESUS...

V. 31. HAEC AUTEM, quae hoc libro narrata sunt, SCRIPTA SUNT, non ut eorum historiam tantum habeatis, sed UT CREDATIS, QUIA IESUS, homo sic appellatus, EST CHRISTUS, Messias promissus, FILIUS DEI naturalis adeoque unius divinae cum Patre naturae; ET UT CREDENTES, VITAM aeternam, supernaturalem, hic per gratiam, olim per gloriam HABEATIS IN NOMINE EIUS, per ejus merita et vitalem influxum.

Digitized by Google

CAPUT XXI

Argumentum. Piscantibus ad mare Tiberiadis discipulis Christus se per copiosi piscatus miraculum manifestat. — Petrus primum, deinde alii ad Jesum veniunt, et prandio sibi a Jesu parato assident (1-14). — Petrus a Christo ter de amore interrogatus, ter accipit pascendum Christi gregem (15-17), et futuri martyrii sui vaticinium audit (18. 19). — Curiose de exitu Joannis scrutatur (20-23). — Epilogus (24. 25).

QUAESTIO PRAEVIA

De authentia hujus capitis

Cum hoc caput in omnibus codicibus inveniatur et ex eodem antiquissimi Patres citent, dubitari nequit illud primitus partem quarti evangelii constituisse. Praeterea illud esse inspiratum docet nos Ecclesia. Tota igitur quaestio esse potest, utrum ab ipso S. Joanne an ab alio auctore inspirato exaratum fuerit, vel totum vel ex parte.

1ª sententia. Totum caput scriptum esse ab aliquo discipulo S. Joannis vel S. Petri, secundum commentarios scriptos a S. Joanne, quod spectat v. 1-23.

Rationes. 1) Jo. 20. 30. 31 clausula est qua Joannes evangelium suum terminat. — 2) 21, 24 SCIMUS, in plurali, testimonium est discipulorum Joannis, puta ecclesiae ephesinae. — 3) Versus 23 scriptus fuit post mortem Joannis, ut opinio de non morituro illo discipulo erronea fuisse ostenderetur. — 4) 21, 25 hyperbole est a simplici stylo Joannis aliena. — 5) Discipulum Petri prodere videntur 21, 15-22. — 6) Scriptum tamen secundum commentarios S. Joannis, patet ex v. 24.

Digitized by Google

2a sententia. Cap. 21, 1-23 scriptum esse a S. Joanne et ab eo annexum suo evangelio, quod antea cum capite 20 terminare intenderat; versus tamen 24 et 25 additos ab aliquo ex ejus discipulis, Spiritu sancto inspirante vel non. Additionem autem 1-23 factam fuisse in ipso autographo Joannis antequam extra Ephesum quartum evangelium (vel haec certe appendix) mitteretur.

Rationes. 1) Nil mirum, quod terminato jam operi aliquid postea ipse auctor addere voluerit. — 2) Nec, quod post obitum Joannis ejus discipuli authentiam et veracitatem evangelii istius testari voluerint : tale vero testimonium respicere integrum evangelium, et non tantum ea quae hoc capite narrantur, suadent ταῦτα et περὶ τούτων v. 24. — 3) Sicut dubitari licet de inspiratione inscriptionum evangeliorum et titulorum psalmorum, ita, aiunt, et de hujus evangelii clausulae (v. 24. 25) inspiratione dubium moveri absque temeritate posse videtur, praesertim ob hyperbolem fere intolerabilem versus 25 (1).

3a sententia. Omnia esse a Joanne et scripta et edita.

Rationes. 1) Quomodo Joannes ipse non misisset ad ecclesias evangelium suum, quod rogantibus Asiae episcopis scripserat? Et si ita, ad quid commendatio ecclesiae ephesinae scripto evangelico annexa? — 2) οἴδαμεν (21, 24) potuit Joannes scribere suo et discipulorum suorum nomine. — 3) Potuit et clausulam adjicere quae totum evangelium respiceret. — 4) Versus 25 non est Joanne indigna hyperbole, si haec dixerit pro rei amplitudine et profunditate. Facta enim Christi thesaurus sunt inexhauribilis. — 5) Temerarium saltem nobis videtur dubitare de inspiratione alicujus partis quantumvis exiguae *textus* sacri.

Conclusio. Prima sententia minus probabilis est. — De gradu probabilitatis secundae et tertiae judicium sapientioribus relinquimus. — Tutius certe est admittere tertiam, quam Patres et

(1) Schanz et alii solum versiculum 25 tribuunt discipulo cuidam ephesino.

Digitized by Google

interpretes catholici fere omnes constanter tenuerunt et a qua ut recedatur rationes secundae sententiae certe non cogunt.

EXPOSITIO TEXTUS

Apparitio ad mare Tiberiadis

1. ***Postea manifestavit se iterum Iesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic :*** **2.** ***Erant simul Simon Petrus, et Thomas, qui dicitur Didymus, et Nathanael, qui erat a Cana Galilaeae, et filii Zebedaei, et alii ex discipulis eius duo.*** **3.** ***Dicit eis Simon Petrus : Vado piscari. Dicunt ei : Venimus et nos tecum. Et exierunt, et ascenderunt in navim : et illa nocte nihil prendiderunt.*** **4.** ***Mane autem facto stetit Iesus in littore : non tamen cognoverunt discipuli quia Iesus est.*** **5.** ***Dixit ergo eis Iesus : Pueri numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei : Non.*** **6.** ***Dicit eis : Mittite in dexteram navigii rete : et invenietis. Miserunt ergo : et iam non valebant illud trahere prae multitudine piscium.*** **7.** ***Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro : Dominus est. Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) et misit se in mare.*** **8.** ***Alii autem discipuli navigio venerunt : (non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium.*** **9.** ***Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem.*** **10.** ***Dicit eis Iesus : Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc.*** **11.** ***Ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete.*** **12.** ***Dicit eis Iesus : Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum : Tu quis es? scientes, quia Dominus est.*** **13.** ***Et venit Iesus, et accipit panem, et dat eis, et piscem similiter.*** **14.** ***Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis cum resurrexisset a mortuis.***

Digitized by Google

V. 1. POSTEA, μετὰ ταῦτα, ... ITERUM, πάλιν, *rursus*. — DISCIPULIS aliquot, AD MARE TIBERIADIS in Galilaea.

V. 2. ALII ... DUO. Quinam? Forte parum noti in Ecclesia et ideo non nominati.

V. 3. NIHIL PRENDIDERUNT, Jesu id divina sua virtute procurante, quo illustrius esset prodigium a se faciendum.

V. 5. PULMENTARIUM, προσφάγιον (neerlandice ad litteram, *toespijs)*, latine etiam *obsonium*, id est quidquid cum pane comedi solet. Hoc ergo loco est *piscis* intellegendus. — Interrogatio ad futurum miraculum attentiores reddit. — Jesum tunc audire poterant, at nondum distincte videre. Aurora erat.

V. 6. IN DEXTERAM, id est ex parte litoris, ubi rarior solet esse piscatus, et quo ideo nondum rete jecerant. — MISERUNT, suspicati forte Dominum esse, vel quidlibet utcumque tentare volentes.

V. 7. DIXIT ... Joannes PETRO, tamquam eorum capiti : DOMINUS EST. Cur Joannes nunc Jesum agnoscit? *a)* Ex miraculo, quale jam olim Christus fecerat. — *b)* Lux diei etiam clarior aderat. — *c)* Accedebat forte superna illuminatio, in praemium virginitatis. — *d)* Sed et amantis oculi perspicaciores sunt.

SIMON PETRUS ... pro nativo suo fervore, navigii per rete onustum impediti moras non sustinens, ilico SUCCINXIT SE TUNICA, ἐπενδύτην, veste ampliori qua qui laborare volebant exuebant se; ERAT ENIM NUDUS usque ad cingulum; ideo ob reverentiam erga Jesum induit vestem superiorem, ET MISIT SE (ἔβαλεν ἑαυτὸν) IN MARE, natando litus petens, ut sic primus esset apud Dominum. — S. Chrysostomus (in h. l.) : « Proprios » sibi mores exhibent discipuli, Petrus et Joannes. Ille ferventior, » hic sublimior; ille promptior, hic perspicacior. »

V. 9. VIDERUNT PRUNAS POSITAS... Novum Christi in gratiam suorum miraculum, iisque jucundissimum, quorum famem integrae noctis improbus labor procul dubio acuerat.

Digitized by Google

V. 10. AFFERTE DE PISCIBUS... Magis enim sapit piscatus proprio labore comparatus; et piscis antea a Jesu paratus tot hominibus escam praebere non potuisset.

V. 11. Joannes *piscator* numerum piscium sedulo computavit. — S. Augustino numerus ille mysterio plenus videtur (vide in h. l.). — NON EST SCISSUM RETE, et hoc novum fuit prodigium.

V. 12. VENITE, PRANDETE. Suavissima familiaritas! — Ita fecerunt discipuli. — ET NEMO AUDEBAT... INTERROGARE EUM : TU QUIS ES? SCIENTES ex visis prodigiis QUIA DOMINUS EST. Nondum ergo eis in consueta corporis sui specie Jesus apparuerat vel, si ita jam apparuerat, sic explica : cum eum et ex externa specie et ex actibus satis superque agnovissent, interrogare de nomine ejus non audebant.

V. 13. VENIT IESUS... ipse discumbentibus ministrans. An cum eis et ipse manducaverit non dicit evangelista, sed vix dubitandum est Jesum, sicut in alia apparitione (Luc. 24, 43), cum eis manducasse.

V. 14. HOC IAM TERTIO... DISCIPULIS SUIS, pluribus simul intellege.

Petrus supremus pastor

15. ***Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus : Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei : Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos.*** **16.** ***Dicit ei iterum : Simon Ioannis, diligis me? Ait illi : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos.*** **17.** ***Dicit ei tertio : Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? et dixit ei : Domine tu omnia nosti : tu scis quia amo te. Dixit ei : Pasce oves meas.***

Digitized by Google

Jesus resuscitatus patrarat modo coram septem discipulis miraculum piscatus prodigiosi, quo mirabilis Ecclesiae fecunditas praefigurabatur. Hujus operis suscipiendi dux fuerat Petrus; sed et Petrus rete plenum 153 piscibus traxit in terram (Jo. 21, 11), postquam paulo ante ferventissimi in Christum amoris specimen dederat (v. 7). Hanc opportunitatem jam arripit Christus ut, sicut olim Petro ob singularem suae divinitatis confessionem primatum in sua ecclesia conferendum spoponderat, ita nunc eidem, ob singularem amoris ab eo exactam professionem, primatum illum in manus tradat.

V. 15. Antea Christus cum septem discipulis egerat, eos simul omnes alloquens ac uno convivio recreans.

CUM ERGO PRANDISSENT, et jam nulla re impediti toti esse possent in audiendo Domini oraculo, DICIT SIMONI PETRO, ei soli jam, non ceteris loquens : SIMON IOANNIS (graece Σίμων Ἰωνᾶ, sed in praestantioribus codicibus Σίμων Ἰωάννου (1). Ita Christus diserte significat se individuam alloqui personam. Cf. Matth. 16, 17; Luc. 22, 31. S. Chrysost. (in h. l.) : « Et cur » aliis praetermissis, de his hunc alloquitur? Eximius erat inter » apostolos, os discipulorum et coetus illius caput : ideo Paulus » prae aliis hunc visurus venit. » — DILIGIS ME PLUS HIS?, ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων. Hoc aliqui protestantes, ob rationem sane dogmaticam dumtaxat, voluere intellegendum esse objective : *diligis me plus quam hos diligis?* Insulse valde : praesertim quod haec *Petro* dicantur, amore in Magistrum nunquam non aestuanti, qui hujusce amoris praeclarum specimen modo dederat, quemque nemo sanus potuisset suspicari magis socios discipulos quam Magistrum diligere, filios hominum quam Filium Dei (Matth. 16, 16), creaturas quam creatorem. — Itaque, subjective : *diligis me plus quam hi me diligunt?* Petri igitur

(1) Ideo pluribus eruditis videtur *Iona* (Matth. 16, 17) esse forma contracta a *Ioannes*. Quae opinio videtur nobis aegre probari posse.

Digitized by Google

amorem sedulo discernit ab amore ceterorum, volens *singulari* et *supereminenti* amori *singulare* ac *supereminens* potestatis ac dignitatis charisma rependere. — Interrogat Jesus, non utique ignorans, sed volens assidentibus discipulis ostendere, ad munus supremi pastoris requiri eximiam Christi divini pastoris dilectionem. — Petrum autem revera plus ceteris Christum amasse ex omnibus quae sequentur facile apparebit.

DICIT EI, timidus et humilis ex lapsu factus, sed in ipsa responsionis humilitate exquisitum in Jesum amorem prodens : ETIAM (ναὶ, *certo*) DOMINE, TU SCIS QUIA AMO TE! ideoque cum fiducia ad omniscientiae tuae testimonium, potius quam ad propriae conscientiae dictamen confugio. Interim tamen non audet addere *plus his*.

DICIT EI (Jesus), amoris protestationi vicem reddens : PASCE AGNOS MEOS : esto pastor agnorum gregis mei, ecclesiae meae. — Christus ipse est *bonus pastor* (Jo. 10, 11), *pastor et episcopus animarum, princeps pastorum* (1 Pet. 2, 25; 5, 4), *pastor magnus ovium* (Heb. 13, 20); nunc vero, abiturus ad Patrem, idem hoc munus suum Petro vicaria potestate transmittit. « Elevandus in caelum, amoris sui veluti vicarium relinquebat » (Ambros. in Luc., 10, 175). — AGNOS porro dicit fideles suos, termino utens teneritudinis, ut et Petrus intellegat quanta amoris sollicitudine eos pascere debeat. Graece βόσκε τὰ ἀρνία μου.

V. 16. DICIT EI ITERUM... Eadem interrogatio, eadem responsio. — DICIT EI : PASCE AGNOS MEOS. Paulo aliter in graeco originali : ποίμαινε τὰ πρόβατά μου, *rege oves meas*. Ποιμαίνειν, sensu proprio, est circa gregem omnia munera pastoris exercere. Metaphorice de hominibus : *regere, gubernare, imperium exercere, magisterio fungi*... Ita Homerus *regem* vacat ποιμένα λαῶν. Et S. Scriptura : 2 Sam. 5, 2 : *Tu pasces populum meum Israel, et tu eris dux super Israel*. Ibid. 7, 7; Ps. 2, 9 : *Reges* (ποιμανεῖς) *eos in virga ferrea;* Ps. 22, 1; 77, 71, de Davide; Is. 40, 11, de Christo : ὡς ποιμὴν ποιμανεῖ τὸ ποίμνιον αὐτοῦ. Jer. 23, 2;

Digitized by Google

Zach. 11, 9 etc. Et in novo testamento : Matth. 2, 6, juxta Mich. 5, 2; 1 Pet. 5, 2; Act. 20, 28; Eph. 4, 11, ubi simul ποιμένας καὶ διδασκάλους; Apoc. 2, 27. — *Agnos* pascendos dicit et *oves* : ergo gregem universum, in quo ipsi apostoli reliqui comprehenduntur. Ergo et hos Petrus pascat oportet.

Ita S. Leo M. (Sermo 4, 2) : « De toto mundo unus Petrus » eligitur, qui et universarum gentium vocationi et omnibus » apostolis cunctisque Ecclesiae pastoribus praeponatur. »

Ambros. (in Luc., 10, 175) : « Quia solus profitetur (amorem » suum) ex omnibus, omnibus antefertur. »

Bernard. (De Consid., 2, 8, 15) ad Petri successorem : « Nec » modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id » probem, quaeris? Ex verbo Domini : Pasce agnos meos, pasce » oves meas. »

V. 17. DICIT EI TERTIO, volens trinam Petri negationem trina amoris protestatione palam expiari. Vel, ut habet S. Chrysostomus : « Ter interrogat et ter eadem imperat, ut ostendat » quanti faciat ovium curam, et hoc maximum esse amoris erga » se argumentum. » Vel etiam, ut Maldonatus : « Ego, ait, ad » negationem non dubito Christum allusisse; sed credo etiam » propterea ter interrogasse, quia rem illi maximi momenti com» mittere volebat... Solet enim hic numerus perfectionem signi» ficare. »

SIMON IOANNIS, AMAS ME? φιλεῖς nunc pro ἀγαπᾷς, at eodem sensu. Distinctionis quam hic facit S. Ambrosius ratio congrua non reperitur. Ita ipse (in Luc., 10, 176) : « Denique tertio Do» minus, non jam *diligis me*, sed *amas me* interrogat; et jam non » *agnos*, ut primo, quodam lacte pascendos; nec *oviculas* (1), » ut secundo; sed *oves* pascere jubetur, perfectiores ut perfectior » gubernaret. »

(1) Codices B, C et 19 habent v. 16° τὰ προβάτια, et juxta eam lectionem codex Italae *b* et aliqui Patres legunt *oviculas*. Probabilius πρόβατα legendum est.

Digitized by Google

CONTRISTATUS EST PETRUS, sibi quidem de suo amore conscius at aliquid sinistri suspicans, quasi Dominus vel de ipsius amore dubitaret vel alium rursus lapsum vellet praedicere. Unde cum majori instantia : DOMINE, TU OMNIA NOSTI, divina quippe scientia praeditus : cur igitur pergis me quasi tentando interrogare? TU SCIS QUIA AMO TE!

DICIT EI : PASCE OVES MEAS, βόσκε τὰ πρόβατά μου.

SCHOLION DOGMATICUM

A) His verbis Christus contulit S. Petro soli universi gregis sui curam postoralem eamque eminentem super eam quam ceteris apostolis Petro conjunctis dederat, ubi dixit : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (Jo. 20, 21). Secus trinae amoris, ceterorum amore supereminentis, protestationi nihil novi fuisset Petro in mercedem a Christo collatum quod cum ceteris apostolis jam non accepisset, et Christus tam sollemni oraculo vix non aerem verberasset.

B) Christus ergo necessario contulit S. Petro omnem ad idipsum requisitam potestatem. Est autem haec potestas eadem, quamvis ministerialis, quam Christus ipse, unius ovilis unicus invisibilis pastor, in hoc ovile exercet. In grege omnia a pastore dependent; neque concipitur primatus pastoris ut primatus dignitatis tantum, sed ut verae potestatis et auctoritatis. — Quid autem importet munus *pastoris ovilis Christi*, ab ipso Domino docemur Joannis c. X, ubi de *bono pastore* qualem se profitetur versu 11. Oves pastorem suum agnoscunt et a mercenario discernunt; vocem ejus audiunt, alieni vocem non noverunt; ipse ante eas vadit et sequuntur eum. Pastor bonus venit ut vitam habeant et abundantius habeant. Quicumque introierit per ostium illius pastoris, tuto prorsus conversabitur et bona pascua aeternae vitae ovibus suis inveniet. Qui non credunt non sunt de ovibus pastoris Christi (Jo. 10, 26); quae vero oves audiunt vocem, id

Digitized by Google

est doctrinam pastoris, non peribunt in aeternum et non rapiet eas quisquam de manu pastoris. Praeterea pastoris est adducere ad ovile suum alias oves quae ad illud nondum pertinent. — Igitur primatus Petro sub hac metaphora collatus, ***potestas*** in Ecclesia est ***ordinaria, immediata, universalis, suprema*** *docendi* homines doctrinam Christi, praebendi eis *pascua* salutis per sacramenta, consilia evangelica etc.; *leges ferendi* quibus ovile dirigatur ad aeterna pascua; *constituendi pastores subordinatos; exsecutionem legum procurandi; coercendi* debitis poenis oves indociles, *adducendi* ad ovile *oves errantes*... Est ergo potestas ***jurisdictionis*** plenissima ***episcopalis***. Unde ipse S. Petrus (1 Pet. 2, 25) vocat Christum *pastorem* et *episcopum animarum*.

C) Praeterea, cum sub ductu pastoris introeuntis per ostium Christi promittatur ovibus summa securitas (Jo. 10, 9), sequitur, pastorem a Christo suo loco constitutum non posse ducere oves ad pascua venenosa, adeoque doctrinam quam tradat Petrus fore necessario cum veritate connexam. Igitur et his verbis : *Pasce agnos, pasce oves,* Christus intendit conferre S. Petro ***infallibile magisterium*** in re fidei et morum.

D) Tandem, cum ovile Christi debeat perseverare *usque ad consummationem saeculi*, patet in eodem ovili munus pastorale perenne esse debere. Ergo Christus censendus est id munus cum potestate pastorali suprema dedisse S. Petro ***in successoribus*** permansuro usque ad consummationem saeculi. Si enim exordia Ecclesiae ita constituit Christus ut munus pastorale exerceretur ab uno principaliter, ab apostolis vero subordinate ad hunc unum, nihil dubitandum quin eam normam regiminis voluerit in perpetuum Ecclesiae assignare. — Et si quod dubium superesset, id definitorio testimonio sustulit traditio, de qua vide theologiam dogmaticam.

E) **Interpretationes protestantium.**

Hengstenberg (in h. l.) omnino sicut catholici textum exponit

Digitized by Google

de supremo primatu jurisdictionis Petri. Nihil tamen dicit de transmissione ad successores ejus.

Ebrard tenet haec dici Petro quatenus repraesentabat ipse collegium apostolicum.

Contra est quod Petrum ibi Christus sedulo a ceteris apostolis etiam adstantibus secernit. Cf. Matth. 16, 17-19 et Luc. 22, 31. 32, et videbis eam intentionem alte inhaesisse menti Christi ipsumque voluisse illam omni modo manifestare.

Alii ex imperativo *pasce* concludunt verba Christi ad Petrum esse mere exhortatoria, adeoque nullius potestatis collativa.

Respondeo. Si haec esset mens Christi Petrus dicendus foret moneri a Christo ut munere supremi pastoris olim sibi promisso (Matth. 16, 18. 19) deinceps fungi inciperet. Immo, etiamsi nihil promissum fuisset, tale monitum collationem potestatis includeret. Ut si quis rex alicui de suis diceret : « Ducito meum exercitum ad pugnam et ad victoriam », eo ipso ducem illum exercitus constitueret.

Alii contendunt, nihil præter nudum *praedicandi* munus Petro commendari.

Contra est *a)* ποίμαινε. — *b)* ipsa metaphora. Pastor enim oves non nutrit tantum, sed regit etc.

Alii dicunt Christum nihil potestatis novae voluisse Petro conferre, sed tantum eum facere certiorem, ipsum, quamvis olim lapsum, a munere tamen apostolatus non excidisse. Ideo, aiunt, eum alloquitur *solum* et *ter*.

Contra est *a)* τὸ *plus his* : magis ceteris amans magis ceteris obtinet. — *b)* Id saltem muneris voluit Christus tunc conferre Petro quod ei conferendum olim spoponderat : singularem scilicet et supremam in Ecclesia potestatem. Unde etiamsi nihil novi accepisset tunc Petrus, quod ultro admittimus sensu modo exposito (id est, idem omnino collatum fuisse tunc quod Matth. 16, 18. 19 conferendum promissum fuerat), nihil proficerent protestantes et invicta persisteret expositio catholica de prærogativis S. Petri ejusque successorum.

Digitized by Google

Petrus martyrio coronandus

18. ***Amen, amen dico tibi : cum esses iunior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas : cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis.*** **19.** ***Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei : Sequere me.***

V. 18. Collationi supremae in gregem suum potestatis Petro jam factae subjungit Dominus vaticinium de ejus martyrio, quod procul dubio addit ad Petri consolationem ne, semel olim lapsus, de sua perseverantia formidet. Quae formido inde etiam potuit in discipulo confirmari, quod Dominus ter de ejus amore interrogando visus ei fuisset de discipuli sui amore dubitare. — Vaticinium autem illud suum Christus per sollemnem formulam : AMEN, AMEN DICO TIBI, pro more exorditur.

CUM ESSES IUNIOR, oppositum ad CUM AUTEM SENUERIS, ita est intellegendum ut repraesentet totum illud vitae Petri spatium quod ejus futuram senectutem praecesserit. Haec igitur verba non probant Petrum jam tunc non valuisse se propriis manibus praecingere, sed Dominus per prolepsim loquitur. — CINGEBAS TE, dum ad iter agendum ampliori te veste induebas, et AMBULABAS (versabaris) UBI VOLEBAS, tui ipsius dominus. — CUM AUTEM SENUERIS, EXTENDES MANUS TUAS, ut ab alio induaris, vel (quod videtur multo probabilius ex v. 19) ut extensae manus cruci portandae aptentur. Crux enim solebat ita a cruciariis portari, ut brachia extensa ligno transverso funibus alligarentur (1). — ET ALIUS TE CINGET, velamentum lumbis tuis circumponet, et DUCET QUO TU NON VIS, nempe juxta naturae inclinationem, ad locum subeundi crucis supplicii.

(1) Vide (anonymi) *Joodsche oudheden,* t. I, p. 721-722; et J. Lips., De Cruce, p. 116.

Digitized by Google

V. 19. HOC AUTEM DIXIT, SIGNIFICANS QUA MORTE, ποίῳ θανάτῳ, *quo mortis genere*, crucifixionis scilicet, CLARIFICATURUS ESSET DEUM, martyrio pro Dei gloria tolerando.

Joannes, qui scripsit post mortem Petri, optime potuit ex eventu sensum praedictionis dominicae intellegere; et verisimile est, verba illa Christi etiam Petro sensum satis translucidum praebuisse. Extensio certe manuum apud antiquos crucifixionem innuisse videtur (cf. Lücke, p. 817, in h. l. et Wetstein, item in h. l.) (1).

ET CUM HOC DIXISSET, mora aliqua interposita, DICIT EI : SEQUERE ME. Aliqui ita exponunt : « Sequere me, simili qua ego morte perimendus. » — Alii : « Tu nunc retro me incede. » Utrum probabilius sit non liquet.

Quid de Joanne futurum

20. ***Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui et recubuit in coena super pectus eius, et dixit : Domine, quis est qui tradet te?*** **21.** ***Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Iesu : Domine hic autem quid?*** **22.** ***Dicit ei Iesus : Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.*** **23.** ***Exiit ergo sermo iste inter fratres quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus : Non moritur : sed : Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?***

V. 20. ... VIDIT ILLUM DISCIPULUM, QUEM DILIGEBAT IESUS, SEQUENTEM post se, licet injussum. — QUI ET RECUBUIT... Vide Jo. 13, 23.

V. 21. Sicut in cena Joannes rogaverat pro Petro, ita nunc Petrus rogat pro Joanne, volens ei fraterni obsequii vicem reddere : HIC AUTEM QUID acturus est? Quis ei exitus reservatur?

(1) S. Barnabas (c. 12) et S. Justin. (Tryph., c. 97) textum Is. 65, 2 : *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum*, de Christo crucifixo exponunt.

Digitized by Google

Quaerit ergo a Jesu ut, sicuti de se Petro vaticinatus fuerat martyrium crucis, ita et Joannis mortem praedicere dignetur.

V. 22. DICIT EI IESUS : SIC EUM VOLO MANERE... In hoc versiculo et in sequenti, ubi Vulgata ponit *sic*, graecus textus habet ἐὰν, *si*, quod melius quadrat contextui, quomodo etiam Patres graeci et latini legunt et ipsius Vulgatae nonnulli codices habent. Mendosa ergo est lectio *sic*, a librariis procul dubio introducta. — EUM VOLO MANERE in hoc mundo superstitem, DONEC VENIAM vel ad ruinam Jerusalem, vel ad judicium ultimum, QUID AD TE? Ne sis de ea re sollicitus! TU ME SEQUERE, sicut mandavi tibi. Tui esto sollicitus, ceterorum sortem mihi relinque.

V. 23. EXIIT ERGO SERMO ISTE INTER FRATRES, ob haec verba Christi non bene intellecta, QUIA DISCIPULUS ILLE NON MORITUR, in qua interpretatione potuerat eos mira S. Joannis longaevitas confirmare. — ET tamen NON DIXIT IESUS : NON MORITUR, SED : SIC... Adeoque sermonem hypothetice enuntiatum immerito sensu absoluto sumptum fuisse concludit evangelista.

Epilogus

24. ***Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec : et scimus, quia verum est testimonium eius.*** **25.** ***Sunt autem et alia multa quae fecit Iesus : quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.***

V. 24. HIC EST DISCIPULUS ILLE... Utrum hanc clausulam scripserit ipse evangelista an aliquis ex ejus discipulis, disputatur, ut supra diximus. Prius admittere satius est ob parallelismum Jo. 19, 35. — SCIMUS, ego evangelista et discipuli mei...

V. 25. SUNT AUTEM ET ALIA MULTA... Hujus versiculi authentia minus certa est quam praecedentis, quia minus videtur congruere scribendi modo S. Joannis. Discrimen tamen non tantum est ut cogat nos a traditione christiana veteri recedere.

Digitized by Google

NEC IPSUM ARBITROR MUNDUM... Hyperbolica sane dictio, rerum a Christo gestarum altitudinem et pretium encomio proverbii instar adhibito celebrans. Haec igitur verba minime esse ad litteram intellegenda, per se patet. Similia hyperbolicae dictionis exempla non pauca exhibet Scriptura in locis de quorum authentia minime disputatur, v. g. Matth. 7, 3; 19, 24; 23, 24; Gen. 22, 17; etc. Immerito ergo aliqui praesentem dicendi formam Spiritus sancti oraculo indignam censuerunt et ideo totum versiculum ut spurium et nullatenus inspiratum repudiarunt.

LAUDETUR JESUS CHRISTUS!

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google